

# OFFICIA PROPRIA

# SANCTORUM

## S. ROMANÆ ECCLESIÆ

## SUMMORUM PONTIFICUM



TAURINI

EXCUDEBAT HYACINTHUS MARIETTI

MDCCCLXIX

# OFFICIA PROPRIA
# SANCTOR. S. ROM. ECCL. SUMM. PONTIFICUM
## ET ALIA QUÆDAM CLERO URBIS CONCESSA
PRÆTER EA QUÆ HABENTUR
## IN SUPERIORI APPENDICE PRO ALIQUIBUS LOCIS

N. B. Lect. I. Noct. cum nihil adnot. sunt de Script. occurrente.

### FESTA NOVEMBRIS
**DIE XXVIII.**
**S. Gregorii III.** Pp. et Conf.
Duplex.
Oratio. Da, quæsumus.
**IN II. NOCTURNO**
Lectio IV.

GREGÒRIUS, hujus nòminis Tèrtius, natiòne Syrus, patre Joànne, Gregòrio Secùndo vita functo, unànimi Cleri et pòpuli consènsu, nec non divìno quodam instìnctu, cum dignìssimus òmnium esset, subrogàtus est, anno Christi septingentèsimo trigèsimo primo. Vir singulàri doctrìna et virtùte, latìna et græca lingua erudìtus, miràbili dicèndi facùndia, atque àdeo felìci memòria, ut totum psaltèrium memòriter recitàret; is demum, quem prædecessòri suo Gregòrio, doctrìna et prudèntia sapientìssimi hòmines æquiparàndum esse duxèrunt.
℟. Invèni David.
Lectio V.

CATHÒLICÆ fidei propugnàtor acèrrimus, Leònem Isàurum imperatòrem iconoclàstam patèrnis mònitis et lìtteris ad saniòrem mentem redùcere conàtus est. Sed cum nihil proficeret, convocàto Romæ nonagìnta quinque Episcopòrum Concìlio, sacràrum Imàginum cultum Apostòlico decrèto firmàvit, et diro anathèmate fèriit Iconòmachos. Quæ cum ad Leònis àures pervenìssent, àltius rugìre cœpit, misìtque advèrsus Gregòrium flòrentìssimam classem cum potentìssimo exèrcitu, sed hæc, volènte ac vìndice Deo, in Hadriàtico sæva tempestàte agitàta, fœdo naufràgio pèriit.
℟. Pòsui adjutòrium.
Lectio VI.

MULTA quoque a Luitpràndo Longobardòrum Rege inìque passus est, qui et Urbem longa obsidiòne cinxit, et sancti Petri Basilicam sacrìlega manu dirìpuit. In his angùstiis sanctìssimus Pòntifex ad Càrolum Martèllum, antecessòris exèmplo, Legàtos cum sacris munèribus destinàvit. Munìvit Urbis mœnia, largas in egènos eleemòsynas erogàvit, novas Basìlicas a fundamèntis extrùxit, antìquas ornàvit ac restauràvit, Vaticànam præsèrtim, intra quam oratòrium

àuro, argènto, gemmis, omnique pretiòsi òperis gènere ditàtum erèxit, in quo sanctòrum Apostolòrum et Màrtyrum relìquias, summa cura et diligèntia toto christiàni orbis àmbitu conquisitas repòsuit, et colèndas expòsuit, eo màxime tèmpore, quo illas Agiòmachi diabòlico furòre proculcàbant. Multa monastèria restituit et sanctis lègibus instrùxit, statuìtque, ut Presbỳteri, et Mònachi altèrnis noctu diùque divìnas làudes celebràrent. Fractus demum labòribus, mèritis licet atque virtùtibus ìnclytus, anno sui Pontificàtus undècimo nondum peràcto, quarto kalèndas decèmbris pie òbiit in Dòmino, et in prædicto Oratòrio Vaticàno sepùltus est. ℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

DIE XXIX.

**S. Gelasii I.** Papæ et Conf.

Duplex. (M. S.)

Oratio. Da, quæsumus.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Gelàsius, gente Africànus, patre Valèrio, in Felìcis Tèrtii locum subrogàtus, Pontificàtum gessit annos quàtuor, menses octo, duodevigìnti dies. Creàvit in dùplici Ordinatiòne Diàconos duos, Presbỳteros trigìnta et duos, sexaginta septem per divèrsa loca Epìscopos. Vir sane singulàri fìdei propagàndæ ac servàndæ zelo ardentìssimus, omni litteratùra, præsèrtim sacra instructìssimus, et intrèpidi pèctoris ròbore, tum ad vindicànda Ecclèsiæ et Sedis Apostòlicæ jura, tum ad retundèndam hæreticòrum et schismaticòrum protèrviam, armàtus.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Ejus cura et stùdio non Clerus modo plùrimum àuctus est, verum ètiam univèrsa Ecclèsia magnis incremèntis adolèvit. In quo certe illìus prudèntia miràbilis fuit, cum eo tèmpore Anastàsius Imperàtor hærèticus, et Teodoricus Ariànus, rerum utriùsque impèrii potirèntur. Imminènte famis perìculo, ùbere annòna Urbem recreàvit. Lupercàlia àliaque gentìlium spectàcula, quæ ad hæc usque tèmpora post tam multa Imperatòrum edicta advèrsus idololatrìam lata, et Romanòrum Pontìficum stùdia ad eam extirpàndam adhìbita, viguìsse constat, Andròmacho senatòre, aliìsque Romànis, frustra licet, refragàntibus, pènitus abolèvit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Alia quamplùrima ad dignitàtem et disciplìnam Ecclèsiæ spectàntia præstitit, sancìvit et scripsit. Defensòres Acàcii, Euphèmium præsèrtim Constantinopolitànum damnàvit; scriptìsque ad divèrsos nervosìssimis juxta atque doctìssimis lìtteris, vel eos in offìcio continuit, vel aberràntes redùxit. Pelagiànos, Manichæos et àlios hærèticos coèrcuit, eorùmque libros pùblicis flammis tradi curàvit. Præter Decretàles et Hymnos Ecclesiàsticos, egrègia scrìpsit opùscula contra Nestòrium, Arium, Pelàgium et Eutychètem. Sed illud præ cèteris memoràndum, quod libros Canònicos ab àliis, et probàtos ab apòcryphis in Romàna Sỳnodo septuagìnta Episcopòrum, singulàri decrèto distìnxit. Post multos demum labòres in regènda universàli Ecclèsia exantlàtos, sanctìssimus et doctìssimus Pòntifex pie òbiit in Dòmino undècimo kalèndas decèmbris, anno Christi quadringentèsimo nonagèsimo sexto, et sepùltus est in Vaticàno.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

Lectio IX. de Homil. et comm. Vig. (extra Adv.) et s. **Saturnini** Mart.

## FESTA DECEMBRIS

DIE IX.

**S. Eutychiani** Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Eutychiànus, natiòne Tuscus, pàtria Lunènsis, Marìno patre, post beàti Felicis Sacerdòtium, Romànæ Ecclèsiæ Episcopàtum suscèpit. Constituit, fruges, fabas et uvas super altàri benedici: itèmque a fidèlibus nullàtenus màrtyrem sepelìri sine dalmàtica aut purpuràto colòbio. Qui cum per divèrsa loca trecèntos sexaginta duos màrtyres sua manu sepelìsset, illis et ipse sociàtus, sub Numeriàno Imperatòre, martỳrio coronàtus est sexto idus decèmbris, sepultùsque in cœmetèrio Callìsti via Appia. Quinque Ordinatiònibus mense decèmbri creàvit Presbỳteros quatuòrdecim, Diàconos quinque, Episcopos per diversa loca novem. Vixit in Pontificàtu annos octo, menses quinque et dies àliquot.

℟. Honèstum.

Sermo sancti Màximi Episcopi.

De s. Cypriano Homil. 2.

Lectio V.

In Martỳrio beatìssimi Eutychiàni, fratres carìssimi, univèrsa nobìscum Christi exùltat Ecclèsia, quam in omne gàudium, et cœlèstis eruditiòne sermònis instrùxit, et mùnere triumphàlis sànguinis decoràvit. Fuit enim in eo, sicut compèrtum habèmus, et contra erròres diàboli, spirituàlis sapièntiæ plenitùdo, et advèrsum persecutiònes mundi, christiàni pèctoris mitigàta constàntia. Quis non hujùsmodi virum quantis valet præcòniis prosequàtur, cujus eloquèntia inspiràta divìnitus et Ecclèsias dòcuit et sæculum confutàvit?

℟. Desidèrium.

Lectio VI.

Vere hic miràbilis atque òmnium ubique stùdiis celebràndus, quem sànctitas sacerdòtem, perìtia doctòrem, fides màrtyrem consecràvit. Pretiòsa, inquit David, in conspèctu Dòmini, mors sanctòrum ejus. Vidète, carìssimi, in quantum veneràbilis Eutychiànus ètiam prophèticam supergrèssus est làudem, cujus in conspèctu Dòmini non solum mors, sed et vita èxtitit pretiòsa. Morièndo namque, pròprium Christo sànguinem dedit: vivèndo, nihilòminus cohortatiòne fortìssima innùmeros cœlo màrtyres acquisìvit.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Homil. de Com. 2. loco.

Et fit comm. Oct. Immac. Concept. et Feriæ in Laud.

DIE XII.

**S. Melchiadis** Pp. Mart.

Duplex.

Oratio Infirmitàtem.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Melchìades Afer, post Eusèbium, Romànam tènuit Ecclèsiam. Qui cum àdhuc Prèsbyter esset, misit Diàconos cum lìtteris Maxèntii Imperatòris, et lìtteris præfècti prætòrii ad urbis præfèctum, ut ea loca recìperet, quæ fùerant christiànis, tèmpore persecutiònis, ablàta. Rèddita àutem ecclèsiis pace, Constantìnum Augùstum adivère Donatìstæ, ut in eòrum contra Cæciliànum Carthaginènsem Episcopum càusa, jùdices daret. Quibus Constantìnus respòndit: Petìstis a me in sæculo judìcium, cum ego ipse Christi judìcium expèctem. Àttamen dati sunt jùdices Epìscopi tres missìque Romam ad Melchìadem Pontìficem, ut ibi pro fratrum concòrdia et unitàte sỳnodus cogerètur.

℟. Honèstum.

Lectio v.

In urbem ìtaque hi tres profècti, convenèrunt cum àliis quìndecim Epìscopis, ipsòque Melchiade, in domum Fàustæ in Laterànis, ubi càusa discùssa, Cæciliànus òmnium Episcopòrum sentèntiis ìnnocens est pronunciàtus, et ejùsdem Melchiadis decrèto judìcium est clàusum. Ut àutem Donatìstæ cathòlicæ unirèntur Ecclèsiæ, Melchiades (prout scribit sanctus Augustinus) tamquam vir òptimus, fìlius christiànæ pacis et pater christiànæ plebis, àdmodum laboràvit, oblàta ètiam conditiòne, ut quibuscùmque in locis duo essent contrariàrum factiònum Epìscopi, is confirmarètur qui prior fuìsset ordinàtus, et àlteri plebs àlia regènda providerètur.

℟. Desidèrium.

Lectio vi.

Sanxit ne, ulla ratiòne, die Domìnico, aut quinta fèria quis fidèlium jejunàret, quia eos dies quasi sacro jejùnio deputàtos Pagàni celebràbant. Item stàtuit ut oblatiònes consecràtæ per Epìscopum, quæ dicebàntur fermèntum, per ecclèsias dirigerèntur, ne Presbỳteri in suis titulis una cum suis plèbibus celebràntes, se ab Epìscopi communiòne separàtos judicàrent. Qui cum in persecutiòne Maximiàni multa passus esset, tandem sub Constantino quièvit in Dòmino, quarto idus decèmbris, sepultùsque est in cœmetèrio Callìsti, via Àppia. Una ordinatiòne creàvit Presbỳteros sex, Diàconos quinque, Epìscopos per divèrsa loca ùndecim.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Homilia de Com. 1. loco.

℟. viii. Dòmine, prævenìsti.

Et fit comm. Oct. in Laud.

## FESTA JANUARII

### DIE XXVII.

### S. Vitaliani Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio Da, quæsumus.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Vitaliànus, pàtria Signiènsis, natiòne Campànus, Anastàsio patre, duòbus fere mènsibus ab Eugènii hujus nòminis Primi òbitu, non sine pùblica bonòrum òmnium gratulatiòne, in ejus locum subrogàtus fuit, vir sane disciplìnæ ac règulæ ecclesiàsticæ amantìssimus, et retinentìssimus. Illam in vigòre suo, ut a prædecessòre lætus accèperat, ita sèdulus successòri relìquit, et nihil unquam omìsit, quod ad illìus splendòrem servàndum pertinèret.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Nulli labòri, nulli pepèrcit indùstriæ, ut Orientàlem Ecclèsiam, jam diutùrno schìsmate a Romàna separàtam, et Constàntium Imperatòrem Heraclìi nepòtem, Monothelitàrum fautòrem, impiìque auctòrem Typi, ad meliòrem frugem redùceret. Eòdem ànimo et fine Petrum Patriàrcham Constantinopolitànum, scriptis ad eum lìtteris, hortàtus est ad reddèndam Ecclèsiæ pacem, et fidem cathòlicam amplectèndam.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Vàrias scripsit epìstolas, ut sacròrum cànonum indemnitàti, et divìnæ fìdei propagatiòni consùleret. In id præsèrtim pastoràlis illìus cura incùbuit, non sine pròspero evèntu. Religiònem enim in Ànglia collabèntem restituit: et cum ibi esset sacròrum ministròrum penùria, magnum Theodòrum Tharsènsem, et Hadriànum Abbàtem eo misit: illum quidem, ut Ecclèsiæ Anglicànæ Primas

esset, hunc vero, ut monàsticam disciplìnam restauràret. Cum demum illius pìetas multum diùque refulsisset, ac sedìsset annos quatuòrdecim, et menses quinque, ex hac vita ad Deum migràvit, anno Christi sexcentèsimo sexagèsimo nono, et in Vaticàno sepùltus est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

**DIE XXX.**

**S. Felicis IV.** Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio Exàudi.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Felix Quartus, Samnìtis, Càstoris fìlius, divìna gràtia copiòse instrùctus, beàto Joànne Papa in Theodorìci Regis Itàliæ Ariàni càrcere defùncto, ob hùmilem pietàtem, atque simplicitàtem cèteris prælàtus, celsum Romàni Episcopàtus locum promèruit. Per id tempus Athalarìcus Theodorìci succèssor, quamquam et ipse Ariànus, Apostòlicæ tamen Sedis honòri cònsulens, instantìsque Romàni cleri desidèriis favens, suo decrèto constituit, quod juxta priscæ consuetùdinis tenòrem (ne clerus forènsibus lìtibus profanàtus sæculàribus implicètur) si quis àliquem ad Romànum clerum pertinèntem in quàlibet càusa probàbili crèderet actiòne pulsàndum, ad beatìssimi Papæ judìcium prius venìret audièndus; ut, aut ipse inter utròsque more suæ Sanctitàtis cognòsceret, aut càusam delìgeret æquitàtis stùdio terminàndam. Qui vero reverèntiam tantæ Sedi exhibère contèmneret, decem libràrum àuri dispèndio mulctàri jussit, per manus memoràti Antìstitis erogàndo.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Porro Felix nefàriam damnàvit præsumptiònem eòrum, qui sacerdotàli ordinatiòne suscèpta, ad sæculàris vitæ mores demigràbant. Erèxit in Urbe Basìlicam sanctòrum Cosmæ et Damiàni eo loco qui appellàtur Via sacra, juxta templum Urbis Romæ, consumptàmque incèndio sancti màrtyris Saturnini Basìlicam via Salària a solo refècit. Idem paupèribus largus, et mìseris solàtia præbens, cum crèscere fecìsset opes Apostòlicæ Sedis, ærumnòsam hanc cum beàta vita commutàvit, sepùltus in Basìlica sancti Petri, quarto Idus Octòbris, Justiniàno Imperatòre, et Athalarico Itàliæ Rege. Duàbus ordinatiònibus mense Februàrio et Màrtio creàvit Presbỳteros quinquagìnta quinque, Diàconos quàtuor, Epìscopos per divèrsa loca vigìnti novem. Sedit in Pontificàtu annos quàtuor, menses duos, dies decem et octo.

℟. Pòsui adjutòrium.

Sermo sancti Gregòrii Papæ.

2 Par. Past. c. 1.

Lectio VI.

Tantum debet actiònem pòpuli àctio transcèndere Prǽsulis, quantum distàre solet a grege vita pastòris. Opòrtet namque, ut metiri se solìcite stùdeat, quanta tenèndæ rectitùdinis necessitàte constrìngitur, sub cujus æstimatiòne pòpulus grex vocàtur. Sit ergo, necèsse est, cogitatiòne mundus, actiòne præcìpuus, discrètus in silèntio, ùtilis in verbo, sìngulis compassiòne pròximus, præ cunctis contemplatiòne suspènsus, bene agèntibus per humilitàtem sòcius, contra delinquèntium vìtia per zelum justìtiæ erèctus, internòrum curam in exteriòrum occupatiòne non mìnuens, exteriòrum providèntiam in interiòrum solicitùdine non relìnquens.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. in Evang. Vigilàte, de Com. 2. loco. LII.

## FESTA FEBRUARII

DIE III.

**S. Dionysii** Papæ et Conf.

Duplex. (M. S.)

Oratio. Da, quæsumus.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Dionysius ex mònacho, post beàtum Xystum Secùndum Romànæ Ecclèsiæ Episcopus est constitùtus. Is contra Sabelliànos scripsit, et advèrsus eos, qui Fìlium Dei opus, aut creatùram asseveràbant, plura volùmina èdidit. Dionỳsii Alexandrìni Episcopi apud se accusàti, quasi qui Fìlium Dei factum, et non substantiàlem Patri dìceret, in Romàna Sỳnodo càusam discùssit, ad quem ejùsdem Sỳnodi id indìgne ferèntis sentèntiam perscrìpsit. Sed cum Alexandrìnus Antìstes ìterum, atque ìterum missis Romam suis scriptis, se purgàsset, atque defendìsset, maturo demum consìlio est absolùtus. Presbỳteris Ecclèsias in Urbe Dionỳsius distribuit, et cœmetèria, paròchias, atque diœcèses, divìsit. Dènique multis pro Ecclèsia perfùnctus labòribus, ac fidei documèntis clarus, Aureliàno Imperatòre, migràvit ad Dòminum, sepultùsque est in cœmetèrio Callìsti via Àppia sexto Kaléndas Januàrii. Hàbuit mense Decèmbri ordinatiònes duas, quibus creàvit Presbỳteros duòdecim, Diàconos sex, Epìscopos per divèrsa loca septem. Sedit annos ùndecim, menses tres, dies quatuòrdecim.

℟. Invèni David.

Sermo sancti Joànnis Chrysòstomi.

In Ep. ad Rom. cap. 15, serm. 29.

Lectio V.

Christum dìligens, et gregem illius ùtique dìligit. Et Mòysen tum primum super pòpulum Judæòrum pòsuit, quando, qua esset in illum benevolèntia, re ipsa jam declaràverat. David quoque, sìmili modo, regno inauguràtus est, pòsteaquam appa-rùerat, quam amico esset in pòpulum affèctu: ita, quippe jùvenis àdhuc, pòpuli càusa dòluit, ac zelàvit, ut et ànimam suam expòneret, cum vidèlicet bàrbarum illum e mèdio tollèbat. Quod vero dicèbat: Quid dàbitur ei, qui alienìgenam hunc interfècerit? non ìdeo dicèbat, quod mercèdem exìgeret, sed quo sibi crederètur, et in pugnam cum illo committerètur: nam cum adèpta jam victòria, ad regem esset ingrèssus, nihil de mercède mèminit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Et Sàmuel quoque benignus erat, et amàtor pòpuli: unde et dicèbat: absit àutem hoc a me peccàtum, ut cessem pro vobis oràre Dòminum. Ita et Pàulus, imo non ita, sed multo plus òmnibus ardèbat erga sùbditos. Unde et discìpulos ita erga se animàvit, ut dìceret: si possìbile fuìsset, òculos vestros eruissètis, mihìque dedissètis. Et Christus, òptimi pastòris règulam pròferens, dixit: Bonus pastor ànimam suam ponit pro òvibus. Sunt enim sanctòrum ànimæ vehemènter mites, et hòminum amàntes, non solum erga domèsticos, sed alièno; ita ut hanc suam mansuetùdinem ètiam ad animàntia bruta extèndant. Proptèrea et sàpiens quìspiam dixit: Justus miserètur animàrum jumentòrum suòrum: si jumentòrum, multo magis hòminum.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco. Lect. IX et comm. S. Blasii Ep. M. ut in Brev., 708.

DIE IX.

**S. Zosimi** Papæ et Conf.

Duplex. (M. S.)

Oratio. Da, quæsumus.

In Quadrag. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Zósimus Græcus Abrahàmi filius, post sanctum Innocèntium Romànæ Ecclèsiæ Episcopàtum suscèpit. Is Africanòrum Conciliòrum decrètis advèrsus Pelagiànam hæresim sentèntiæ suæ robur adnèxuit, et ad impiòrum excidium glàdio Petri dèxteras òmnium armàvit Antìstitum; iis namque ab ipso probàtis, per totum mundum hæresis Pelagiàna damnàta est. Damnàvit et Pelàgium ipsum una cum Cælèstio, datis hac de re lìtteris ad univèrsam Ecclèsiam.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Ecclesiàsticæ disciplìnæ tenacìssimus fuit, complùribus ad eam ubìque sive servàndam sive restituèndam destinàtis gràvibus epìstolis. Definiit juxta probàtum Ecclèsiæ morem, ut si quis ab infàntia ecclesiàsticis ministèriis nomen dedìsset, inter Lectòres usque ad vigèsimum ætàtis annum continuàta observatiòne, duràret. Si vero màjor jam et grandævus post baptismum, sive inter lectòres, sive inter exorcìstas, quinquènnio tenerètur, et inde accolỳthus vel subdiàconus, quàtuor annis, et sic ad diaconàtum (si mererètur) accèderet, in quo Òrdine quinque annis hærère debèret, et inde, suffragàntibus votis, Sacerdòtium promerèri posset.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Sancìvit, ut diàconi lævas linòstimis pallis tègerent: potestatèmque fecit, ut per paròchias paschàlis cèreus benedicerètur. Cavit prætèrea, ne clèrico pòculum propinarètur in pùblico, prætèrquam in fidèlium cellis, et màxime clericòrum. Qui cum sanctissime rexìsset Ecclèsiam annum unum, menses quàtuor, dies septem, quièvit in pace; sepultùsque est juxta corpus sancti Laurèntii màrtyris via Tiburtìna sèptimo Kalèndas Januàrii, Honòrio, et Theodòsio Junióre imperàntibus. Una ordinatiòne mense Decèmbri, creàvit Presbỳteros decem, Diàconos tres, Epìscopos per divèrsa loca octo.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco. Lect. IX. (extra Quadrag.) et comm. s. Apolloniæ Virg. M. in Laud., 715.

**DIE XI.**

**S. Antheri** Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem.

In Quadrag. Lect. I. Noct. A Milèto.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Anthèrus, natiòne Græcus, patre Ròmulo, post sanctum Pontiànum Romæ ordinàtus est Episcopus. Is gesta Màrtyrum diligènter a Notàriis conquisìvit, ac in ecclèsia recòndidit. Propter eam càusam a Màximo Præfècto martỳrio coronàtus est, tèrtio nonas januàrii, sepultùsque in cœmetèrio Callìsti via Àppia, Maximìno Prìncipe. Ùnica Ordinatiòne mense decèmbri ordinàvit Epìscopum Fundànæ civitàtis in Campània. Sedit in pontificàtu mensem unum, dies duòdecim.

℟. Honèstum.

Sermo sancti Augustìni Epìscopi.

Serm. 50 de Verbis Domini.

Lectio V.

Pastor bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ànimam suam pro òvibus pòsuit? Quid Pàulus? Quid cèteri Apòstoli? Quid eòrum tèmpora consequèntes beàti Epìscopi Màrtyres? Quid ètiam iste sanctus Anthèrus (vel N.)? Nonne omnes pastòres boni, non mercenàrii, de quibus dìcitur: Amen, dico vobis, percepèrunt mercèdem suam? Omnes ergo illi pa-

stòres boni, non solum quia sànguinem fudèrunt, sed quia pro òvibus fudèrunt. Non enim fudèrunt elatiòne, sed caritàte.

℟. Desidèrium.

Lectio vi.

Nam et apud hærèticos, qui propter iniquitàtes et erròres suos àliquid molestiàrum perpèssi fuèrunt, nòmine martỳrii se jactant: ut hoc pàllio dealbàti facìlius furèntur, quia lupi sunt. Si àutem vultis scire in quo nùmero habèndi sunt, pastòrem bonum Pàulum Apòstolum audite; quòniam non omnes, qui còrpora sua in passiòne ètiam ignibus tradunt, æstimàndi sunt sànguinem fudisse pro òvibus, sed pòtius contra oves. Si distribùero, inquit, òmnia mea paupèribus, et tradìdero corpus meum ut àrdeam: jam ipsi sunt. Sed vide quid sèquitur: Caritàtem àutem non hàbeam, nihil mihi prodest. Ecce venìtur ad passiònem, ecce venìtur et ad sànguinis effusiònem, venìtur et ad còrporum incensiònem: et tamen nihil prodest, quia càritas deest. Adde caritàtem, prosunt òmnia: dètrahe caritàtem, nihil prosunt cètera.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

DIE XII.

**S. Telesphori** Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In Quadrag. Lect. I. Noct. A Milèto.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Telèsphorus, natiòne Græcus, pàtria Thuriènsis in magna Græ̀cia, ex Presbỳtero, Romànæ Ecclèsiæ (cujus dignum minìstrum ègerat) Pòntifex Màximus creàtus est. Hoc suprèmum munus ita òbiit, ut eximius Petri succèssor lectus esse viderètur. In ejus càthedra sedit sub Imperatòre Antonìno Pio, fervènte persecutiònis æstu. Qui tamen non òbstitit, ne sèdulam òperam regèndæ Christi Ecclèsiæ solìcitus navàrit.

℟. Honèstum.

Lectio v.

Hinc novis decrètis multa illum egrègie sancivisse lègimus, quæ ad fidèlium mores, Ecclesiasticòrum libertàtem, et sacros ritus àttinent; scìlicet quadragesimàle jejùnium, jam olim ab Apòstolis tràditum, novo edìcto restauràsse; ac mandàsse, ut in natàli Dòmini sanctum Missæ sacrifìcium ter celebrarètur, mèdia nocte, illucescènte auròra, hora demum tèrtia post solis ortum, et constituìsse, ut sacræ Liturgiæ hymnus angèlicus, Glòria in excèlsis Deo, adderètur.

℟. Desidèrium.

Lectio vi.

Edixìsse quoque, ne sacerdòtes a pòpulo arguerèntur, ut sublìmis Òrdinis dignitàti consùleret. Ordinatiòne quadrùplici, mense Decèmbri, creàvit Presbỳteros duòdecim, Diàconos octo, Epìscopos trèsdecim per divèrsa loca. Cum àutem in propagànda fide ardentìssimus esset, ac proìnde idolòrum sacerdòtibus invìsus, captus tandem, càpitis abscissiòne martỳrium consummàvit nonis Januàrii, et ejus corpus in Vaticàno sepùltum est.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Homilia in Evang. Si quis vult, de Com. 2. loco. XXIII.

DIE XIII.

**S. Gregorii** II. Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæ̀sumus.

In Quadrag. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Gregòrius hujus nòminis Secùndus, natiòne Romànus, patre Marcèllo, anno Christi septingentèsi-

mo dècimo quarto, miràbili totìus cleri, et pòpuli concòrdia ad suprèmum Ecclèsiæ Cathòlicæ Pontificàtum evèctus est. Hic a pueritia divino cùltui addictus in Lateranènsi Patriàrchio, sub beàti Sèrgii òculis et disciplina vixerat, subdiàconi primum, tum sacellàrii mùnere functus. Mox bibliothècæ cura illi crèdita, ad diaconàtus tandem Òrdinem promòtus, in règiam urbem, una cum sanctissimo Papa Constantino profèctus est. Ibi ab Imperatòre de nonnùllis capitibus interrogàtus, cum sacràrum litteràrum peritissimus esset, et constantissimus rerum ecclesiasticàrum defènsor, òptima, et cathòlica responsiòne, Prìncipi satisfècit.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Urbis mœnia contra Longobardòrum excursiònes, àliqua ex parte reparàvit. Àliquot Basìlicas, tèmporum injùria collàpsas, restìtuit. Urbàna monastèria fere desèrta, et mònachos in prìstinam formam et disciplìnam redègit. Imo post mortem Honèstæ matris, patèrnam domum in Ecclèsiam et monastèrium commutàvit, quod multis prǽdiis instrùctum relìquit. Corbiniànum et Bonifàcium viros apostòlico spiritu plenos, in Germàniam misit ad prædicàndum gentìlibus Christi Evangèlium, eòsque sacris Episcopàtus ìnfulis decoràvit, postquam innùmeram paganòrum multitùdinem, ab iis ad Christi fidem convèrsam fuisse accepisset. Ut omnes òptimi pastòris partes implèret, òptimis lègibus ecclesiàsticam disciplìnam, et Christianòrum mores instrùxit. Gèminam Sỳnodum Romæ hàbuit, àlteram advèrsus illìcita conjùgia, àlteram advèrsus Iconoclàstas.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Leònem Isàurum sacràrum imàginum destructòrem vàriis epìstolis ab illa hǽresi removère, omnìque illum officiòrum gènere sibi demerèri stùduit; cum tamen hic ad scèleris cùmulum, òptimum Pontificem neci tràdere ferro sèxies, semel àuro et munèribus corrùmpere, quamvis frustra tentàsset, Luitpràndo, cum Exàrcho ad excìdium Urbis properànti, sanctìssimus Pòntifex, Dei fretus præsìdio, ad prata Nerònis occùrrit, et piis mònitis Regis ànimum ita mollìvit, ut non jam hostis, sed pius adoràtor ensem et corònam Prìncipi Apostolòrum obtùlerit. Cum àutem Imperàtor destructiònem machinarètur, eùndem diro anathèmate pèrculit, et ìnito cum Francis fœdere, ab ìmpio molìmine detèrruit. Rebus demum præclàre gestis, quibus màximis quibùsque prædecessòrum suòrum æquiparàtur, pie òbiit in Dòmino, sexto Pontificàtus anno, et in Basìlica Vaticàna cònditus est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

In II. Vesp. Oratio Exàudi.

DIE XIV.

## S. Agathonis Papæ et Conf.

Duplex. (M. S.)

Oratio. Da, quǽsumus.

In Quadrag. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

### IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Àgatho, natiòne Sìculus, ex doctìssimo ac sanctìssimo mònacho Românus Pòntifex creàtus est, anno Christi sexcentèsimo septuagèsimo octàvo. Vir summa humanitàte, exìmio ànimi candòre, singulàri morum suavitàte et comitàte prǽditus, cunctòrum amans, cunctis amabilìssimus. Ita demum a natùra et gràtia comparàtus, ut ad suprèmam illam dignitàtem gerèndam natus, seu factus esse viderètur.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Accèptis a Constantino Pogonàto lìtteris, ad Donum prædecessòrem scriptis, pro convocàndo Concìlio Œcumènico ad diutùrnum schisma tollèndum, quo laboràbat Ecclèsia, et definièndas fidei controvèrsias, quæ toto fere Oriènte màximas tempestàtes atque ruìnas excitàrant, provinciàles Sỳnodos in Occidènte hàberi curàvit, in quibus Monothelitàrum càusa discuterètur, et damnarèntur erròres.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

His præmìssis, legàtos suos, et Concìlii Romàni, misit Constantinòpolim cum binis litteris ad Imperatòrem, in quibus prædicta hæresi docte, fuse ac sòlide refutàta, damnatìsque primàriis illìus sectatòribus, Sèrgio, scìlicet, Cyro, Pàulo, Pyrrho, Petro, et àliis, antecessòres suos ab omni erròris labe immùnes hucùsque fuìsse, exprèssis verbis declaràvit. Agathònis ìgitur auctoritàte, sexta Sỳnodus universàlis congregàta est, in qua iìdem erròres, iidèmque erràntes damnàti fuèrunt. Demum cum tres annos, et quinque cìrciter menses sedisset, pie òbiit in Dòmino, et in Basìlica Prìncipis Apostolòrum sepultùræ mandàtus est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

Comm. S. Valentini Mart. in Laud., 716.

DIE XVI.

**B. Gregorii X. Papæ et Conf.**

Duplex. Oratio.

Deus qui Ecclèsiam tuam beàti Gregòrii Confessòris atque Pontìficis religiònis zelo, et apostòlicis curis amplificàsti: ejus mèritis, et intercessiòne concède; ut fidei, et sanctitàtis nova semper incremènta suscìpiat. Per Dòminum.

In Quadrag. Lect. I. Noct. Laudèmus viros gloriòsos, LI.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Gregòrius Dècimus, Theàldus, seu Theobàldus àntea nuncupàtus, Placèntiæ ad Æmìliæ fines nòbili Vicecòmitum gènere natus est. Adolèscens ecclesiàsticæ milìtiæ adscriptus singulàri nituit honestàte morum, vitæque mundìtia, nulla unquam, ut crèditur, crìminis contagiòne pollùta. In Gàlliam cum Jacòbo Cardinàli Pecoràrio, Gregòrii Noni legàto, profèctus, Archidiàconus Leodiènsis renunciàtus est. Eo in Itàliam redeùnte, theologìæ Parìsiis òperam dedit, ac magìstri munus adèptus, verbo et exèmplo, fidèles ac Prìncipes ad Terræ sanctæ recuperatiònem vehemènter accèndit. In Sỳriam deinde peregrinàtus, dum ibi sacram expeditiònem urgèret, a Cardinàlibus, Vitèrbii Pontìficis electiònem in annum fere tèrtium protrahèntibus, in Petri sedem evèctus est anno millèsimo ducentèsimo septuagèsimo primo.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Accèpto Ptolemàide electiònis decrèto, in Itàliam navigàvit, ac Vitèrbium se còntulit, deinde Romam, ubi anno insequènte solèmniter inauguràtus est. Ab ipso Pontificàtus exòrdio ad generàlis Concìlii celebratiònem curas et cogitatiònes omnes adjècit. Eo Lugdùnum Galliàrum indicto, Michaèlem Palæòlogum Græcòrum Imperatòrem, tum àlios Christiànos Prìncipes, et Græcæ Latinæque Ecclèsiæ Præsules lìtteris amantìssimis invitàvit, accersìtis ètiam exìmiis doctrìna et sanctitàte viris, uti sancto Thoma Aquinàte, in ipso itinere vita functo, sancto Bonaventùra, sancto Philìppo Benìtio, beàto Albèrto Magno, Petro de Tarantàsia Òrdinis Prædicatòrum, qui eìdem in

Pontificàtu succèssit. Ìgitur Œcumènicam Sỳnodum Patrum nùmero òmnium frequentìssimam, cui præfuit Pòntifex ipse, Græcis, ejuràto schìsmate, ad Ecclèsiæ unitàtem recèptis, decrètis pro sacra expeditiòne subsidiis, editisque plùribus sanctìssimis lègibus, trimèstri spàtio feliciter celebràvit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

De pace in Ecclèsia firmànda cum primis solicitus, prælatòrum dissidia, Regum inimicitias, provinciàrum òdia, populòrum factiònes compòsuit, dirèmit, extinxit. Ecclèsiæ jura ètiam advèrsus Reges et Prìncipes sevère ac fòrtiter vindicàvit, nullam esse prædicans solidiòrem regnòrum basim, quam tutèlam ecclesiàsticæ libertàtis. Pàuperum amantìssimus, primus òmnium in apostòlico palàtio piàrum in illos largitiònum præsidem constituit, iisque pròpriis mànibus pedes quotidie abluèbat. In Itàliam a Concilio redux, dum profectiònem in Palæstinam meditàtur, plùraque àlia Christiànæ reipùblicæ bono molirètur, Arètii in Etrùria morte intercèptus est quarto ab electiòne sua anno, mense quarto, die dècima. Fuit vir ànimi plane invìcti et apostòlici, terrenòrum contèmptu, cultus divìni stùdio, fidei zelo, disciplìnæ et morum restauratiòne, rerum gerendàrum prudèntia, fortitùdine, magnanimitàte, aliìsque virtùtibus prorsus exìmius. Miràculis post mortem claruisse Ecclèsiæ Aretìnæ monumènta testàntur.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. in Evang. Homo pèregre, de Com. 1. loco.

DIE XVII.

**S. Hygini** Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem.

In Quadrag. Lect. I. Noct. A Milèto.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Hyginus Atheniènsis, philòsopho patre, cum jam Romànæ Ecclèsiæ Prèsbyter esset, cleri suffràgiis, Telèsphoro suffèctus est. Sedit in sancta Petri sede, Imperatòre Antonìno Pio Augùsto, annos tres, menses ùndecim, dies viginti octo. Ubi primum Pòntifex renunciàtus est, clericòrum òrdines in suos gradus distinxit, ac fecit, ut in iis Ecclèsiis quas Tìtulos vocant, tum primàrii ministri, tum àlii eìsdem subjècti adèssent, qui fidèlibus, cum res postulàret, sacra ministràrent.

℟. Honèstum.

Lectio V.

Instìtuit ètiam, ne absque celebratiòne Missæ, templa, vel oratòria sacro ritu consecrarèntur: ne inconsùlto Epìscopo, vel nova construerèntur, vel jam constrùcta destruerèntur, et ne matèries ad sacrum illum usum congèsta et destinàta, in profànos usus converterètur. Edìxit pretèrea, ut patrìni baptismo adèssent, qui de sacro fonte infàntes levàrent: ne quis Epìscopus reus crìminis damnarètur, nisi a comprovinciàlibus Epìscopis ejus càusa probe discùssa fuìsset. Cuncta hæc ejus tìtulo ac nòmine sancìta extant. Tres ordinatiònes hàbuit mense Decèmbri, in quibus creàvit Epìscopos sex, Presbỳteros quìndecim, Diàconos quinque.

℟. Desidèrium.

Lectio VI.

Cum àutem pàulo ante Justìnus claríssimus philòsophus, et Christi martyr scripsisset Apologìam pro Religiòne Christiàna ad Imperatòrem Antonìnum Pium Augùstum, obtinuit, ut persecùtio desævìret. Hinc a Christianòrum cæde, non quidem omnìno, plùrimum tamen pùblico Prìncipis edìcto, temperàtum est. Sanctìssimo

tamen pastòri, cujus cura domìnico gregi consùltum fùerat, pàrcitum non fuit: nempe hic gloriòso martỳrio, ne antecessòribus dissìmilis esset, innocentìssimam vitam terminàvit, die undècima Januàrii, et sepùltus est in Vaticàno.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

In Vesp. tantum pro commem. S. Simeonis Episc. et Mart.

Oratio. Deus, qui nos.

DIE XXV.

vel XXVI. anno bissextili.

## S. Felicis III. Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

In Quadrag. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

### IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Felix Tèrtius pàtria Romànus, natus ex nobilissima domo Anìcia, et divi Gregòrii Magni àtavus, post Simplìcium Papam ad summi Pontificàtus àpicem est evèctus. Hic mira ànimi constàntia, tamètsi Roma sub Hèrulis Ariànis propèmodum captìva viderètur, aliìque Patriàrchæ conciliatiònem Zenònis Imperatòris approbàssent, solus illi non communicàvit. Ejùsdem de fide edìctum promulgàntis, audàciam fòrtiter reprèssit. Petrum Fullònem Patriarchàtu Antiochèno dejècit. Acàcium Constantinopolitànum Epìscopum Romam venìre coègit, ut contra eum objèctis, in Apostòlicæ Sedis judìcio respondèret, ac in eùmdem sentèntia excommunicatiònis animadvèrtit.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Constìtuit, ut Ecclèsiæ nonnìsi ab Epìscopis consecrarèntur; semel baptizàtos, ìterum rebaptizàri sub gràvibus pœnis prohìbuit. Basìlicam sancti Agapìti constrùxit. Anno ejus Pontificàtus tèrtio, sanctus Bàrnabas Apòstolus, cum sancti Matthæi Evangèlio, in Cypro, Anthèmio Epìscopo Salamìnæ appàruit; sicque prævia trina revelatiòne, corpus sancti Bàrnabæ cum Evangèlio supradicto est invèntum. Duas fecit ordinatiònes mense Decèmbri, quibus creàvit Romæ Presbỳteros vìginti novem, Diàconos quinque, Epìscopos per divèrsa loca trigìnta. Quinto Kalèndas Màrtii, e terris excèdens ad sùperos evolàvit. ℟. Pòsui adjutòrium.

Sermo sancti Gregòrii Papæ.

Ex Homilia 38 in Evang.

Lectio vi.

Quia nonnùmquam mentes audièntium plus exèmpla fidèlium, quam docèntium verba convèrtunt, volo vobis àliquid de pròximo dìcere, quod corda vestra tanto formidolòsius àudiant, quanto eis hoc de propìnquo sonat. Neque enim res longe ante gestas dìcimus, sed eas, de quibus testes exìstunt, eìsque interfuìsse se rèferunt, memoràmus. Tres pater meus soròres hàbuit, quæ cunctæ tres sacræ vìrgines fuèrunt; quarum una Tarsìlla, àlia Gordiàna, àlia Æmiliàna dicebàtur. Quadam vero nocte huic Tarsìllæ (quæ inter soròres suas, virtùte contìnuæ oratiònis, afflictiònis stùdio, abstinèntiæ singulàris, gravitàte vitæ veneràbilis, in honòre et cùlmine sanctitàtis excrèverat), sicut ipsa narràvit, per visiònem àtavus meus Felix hujus Romànæ Ecclèsiæ Antìstes appàruit, eìque mansiònem perpètuæ claritàtis ostèndit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansiòne suscìpio. Quæ subsequènti mox febre corrèpta ad diem pervènit extrèmum; et sicut nobìlibus fèminis, virìsque morièntibus multi convèniunt, qui eòrum pròximos consolèntur, eàdem hora ejus èxitus, multi viri, ac fèminæ ejus lèctulum circumstetèrunt, inter quas mater mea quo-

que àdfuit; cum, rursum illa respìciens, Jesum venièntem vidit, et cum magna animadversiòne cœpit circumstàntibus clamàre, dicens, recèdite, recèdite, Jesus venit. Cumque in eum intènderet, quem vidèbat, sancta illa ànima a carne solùta est, tantàque sùbito fragràntia miri odòris aspèrsa est, ut ipsa quoque suàvitas cunctis osténderet, illuc auctòrem suavitàtis venisse.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

## FESTA MARTII

### DIE II.

### S. Simplicii Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

In Quadrag. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

### IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Simplicius Tiburtìnus, patre Castòrio, pròxime post sanctum Hilarum Romànæ Ecclèsiæ principàtum suscèpit, ac difficillimis tempòribus (cum magna ex parte Christiàni orbis cathòlica fides, ob cunctos fere principes hæresi infèctos, nutàret) summa vigilàntia gubernàvit. Leòni Imperatòri petènti, ut rata haberèntur concèssa ab Episcopis Sỳnodi Chalcedonènsis Ecclèsiæ Constantinopolitànæ privilègia, vehemèntius rèstitit, misso ètiam eam ob càusam Constantinòpolim suo legàto. Eàdem pastoràli solicitùdine plùrimum laboràvit, ut Timòtheus Ælùrus Alexandrìnæ Ecclèsiæ invàsor, qui Constantinòpoli libere degens, adnitebàtur quam màxime propagàre hæresim, novùmque Zenònis Imperatòris òpera cogi Concilium, pelleretur in exilium, sicque integritàti suæ Alexandrìna redderètur Ecclèsia. Reliquòrum item perduèllium pro nova Sỳnodo indicènda conàtibus fòrtiter òbstitit, àsserens, nova Concilia non fàcile convocànda, nisi cum àliquid in pravis sènsibus novum, aut in assertiòne dògmatum emersisset ambìguum.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Damnàvit iterum Petrum Moggum, àlterum Alexandrìnæ sedis invasòrem, curavìtque, ut ex urbe pellerètur, ne àliquos mòdicæ fidei infìceret, et ad perversitàtis suæ factiònem pertràheret. Timòtheo Solofaciolo, legìtimo ejùsdem Ecclèsiæ Antìstiti, juxta prìstinum institùtum, per suos legàtos, erròris sui condonatiònem expetènti, idcìrco quod timòre pertèrritus Diòscorum ad altàre nominàsset, vèniam impèrtiit. Antiochèni Epìscopi electiònem ad seditiònes vitàndas Constantinòpoli in Concilii Nicæni præjudicium peràctam, ea lege ratam hàbuit, ut deìnceps, secùndum Patrum definitiònes, Orientàli comprovinciàlium Episcopòrum Sỳnodo, creàtio Antiochèni Pontìficis reservarètur. Oblatiònes Ecclèsiæ ita partièndas esse præcèpit, ut una dumtàxat pòrtio Epìscopo, una ìtidem clero, duæ vero in Ecclèsiæ fàbricam, et peregrinos, ac pàuperes erogarèntur. Zenònem Epìscopum Hispalènsem vicària Sedis Apostòlicæ auctoritàte fulcìvit, ne apostòlicæ institutiònis decrèta, et sanctòrum tèrminos Patrum in Hispàniis transcèndi permìtteret.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Statuit in urbe hebdòmadas, ut propter baptismum, et pœnitèntiam petèntes, presbỳteri quidem de regiòne prima apud sanctum Pàulum, de tèrtia apud sanctum Laurèntium, et de sèptima apud sanctum Petrum manèrent. Dedicàvit Basìlicas sancti Stèphani in Cælio monte, sancti Andrèæ Apòstoli juxta sanctam Marìam, item àliam sancti Stèphani

juxta sanctum Laurèntium, ac postrèmo sanctæ Bibiànæ màrtyris àliam intra Urbem juxta palàtium Liciniànum: itèmque vasa complùra tum argèntea, tum àurea Romànæ còntulit Ecclèsiæ. Demum Zenòne Imperatòre, et Odoàcre Itàliæ Rege, migràvit ad Dòminum. Hàbuit ordinatiònes tres mense Decèmbri, quibus creàvit Presbỳteros quinquaginta octo, Diàconos ùndecim, Epìscopos per divèrsa loca trigìnta sex. Sacerdòtium administràvit annos quìndecim, menses quinque, et dies decem.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco. In Quadrag. Lect. IX. Homil. et comm. Feriæ.

DIE IV.

## S. Lucii I. Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

In Quadrag. Lect. I. Noct. A Milèto.

### IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Lùcius Romànus, patre Porphỳrio, post sancti Cornèlii consummatiònem, Romànæ Ecclèsiæ Episcopàtum tènuit. Sanxit, ut duo Presbỳteri, ac tres Diàconi, ecclesiàstici càusa testimònii, quovis loco Epìscopum non desèrerent. Pacem lapsis dandam, et pœnitèntia acta, communicatiònis fructum negàndum non esse, Spìritu Dei plenus (ut sanctus Cypriànus scripsit) lìtteris suis significàvit. Ob Christi fidem exìlio relegàtus, et pòstmodum ad Ecclèsiam suam incòlumis redire permìssus, tandem omni Ecclèsiæ facultàte Archidiàcono suo Stèphano prius tràdita, càpite truncàtus est quarto nonas màrtii, Gallo et Volusiàno Princìpibus. Duas hàbuit Ordinatiònes mense decèmbri, quibus Presbỳteros quàtuor, Epìscopos per divèrsa loca septem creàvit. Ejus corpus primo via Àppia ad sanctum Sixtum in cœmetèrio Callìsti sepùltum, inde a Paschàli Papa in sanctæ Cæcìliæ tìtulum, una cum ejùsdem Virginis et Sociòrum corpòribus translàtum, ibi sub sancto altàri collocàtum fuit.

℟. Honèstum.

De Epìstola s. Cypriàni Episc. et Mart. et Collegàrum ejus ad s. Lùcium Papam et Màrtyrem.

Lectio V.

Nuper quidem tibi, frater carìssime, gratulàti sumus, cum te honòre geminàto in Ecclèsiæ suæ administratiòne Confessòrem pàriter, et Sacerdòtem constituit divìna dignàtio. Sed et nunc non minus tibi, et comìtibus tuis, atque univèrsæ fraternitàti gratulàmur, quod cum eàdem glòria, et làudibus vestris, rèduces vos dènuo ad suos fècerit benìgna Dòmini et larga protèctio; ut pascèndo gregi pastor, et gubernàndæ navi gubernàtor, et plebi regèndæ rector redderètur; et apparèret relegatiònem vestram sic divìnitus esse dispòsitam, non ut Episcopus relegàtus et pulsus Ecclèsiæ deèsset, sed ut ad Ecclèsiam major redìret. Neque enim in tribus pùeris minor fuit martỳrii dìgnitas, quia, morte frustràta, de camìno ignis incòlumes exièrunt; aut non consummàtus Dàniel èxtitit in suis làudibus, quia qui leònibus missus fùerat ad prædam, protèctus a Dòmino, vixit ad glòriam. In Confessòribus Christi dilàta martỳria, non mèrita confessiònis mìnuunt, sed magnàlia divìnæ protectiònis ostèndunt.

℟. Desidèrium.

Lectio VI.

Repræsentàtum vidèmus in vobis quod apud Regem fortes atque illùstres pùeri prædicavèrunt, ipsos quidem paràtos esse ardère flammis, ne diis ejus servìrent, aut imàginem,

quam fècerat, adoràrent: Deum tamen, quem colèbant, quemque et nos còlimus, potèntem esse, ut eos de camìno ignis exìmeret, et de Regis mànibus, ac de pœnis præsèntibus liberàret. Quod invenìmus in confessiònis vestræ fide, et in Dòmini circa vos protectiòne nunc gestum: ut cum vos paràti fuèritis et prompti omne subìre supplicium, Dòminus tamen vos pœnæ subtràheret, et Ecclèsiæ reservàret. Regredièntibus vobis, breviàta non est in Epìscopo confessiònis suæ dignitas, sed magis crevit sacerdotàlis auctòritas, ut altàri Dei assistat Antistes, qui ad confessiònis arma sumènda, et faciènda martỳria, non verbis plebem, sed factis cohortètur, et imminènte Antichrìsto, paret ad prælium mìlites, non solum sermònis et vocis incitamènto, sed fìdei et virtùtis exèmplo.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Homil. de Com. 2. loco, Lect. IX. Hom. et comm. Feriæ in Quadrages.

DIE XV.

**S. Zachariæ** Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

Post Pascha de Script. occurr.

## IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Zacharìas natiòne Græcus, patre Polychrònio, Gregòrio Tèrtio ex hac luce subtràcto, ad beàti Petri càthedram est evèctus. Vir fuit mitìssimi ingènii, miræ suavitàtis et gràtiæ; cleri, ac pòpuli Romàni amàtor, ad iram tardus, ad misericòrdiam, et clemèntiam promptìssimus: nulli malum pro malo reddens, sed vincens in bono malum; àdeo ut, quos habùerat æmulos, et inimìcos, eòsdem inìtio Pontificàtus honòribus et prǽmiis affècerit. Pòntifex creàtus, ut Itàliam, armis Longobardòrum vexàtam, suæ tranquillitàti restitùeret, ad Luitpràndum Regem Interàmnæ degèntem, et legàtos misit, et ipse profèctus est; ubi, et oratiònis elegàntia, et vitæ sanctitàte sic Regem demùlsit, ut quas civitàtes, òppida, et patrimònia ab Ecclèsia abstùlerat, eìdem restitùerit.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Sed et Ticìnum usque profèctus, eùmdem inflèxit, ut a Ravennàtum oppressiòne cessàret. Rachim àdiit, Perùsiam acri obsidiòne premèntem, quem tanta oratiònis majestàte permòvit, ut et ab omni oppugnatiòne desìsteret, et religiònis amòre succènsus, règiam dignitàtem, et paludamèntum, monachàli instital et hàbitu permutàret. Consùltus a Francis, regnum illud a Childerico viro stùpido et ignàvo ad Pipìnum pietàte et fortitùdine præstàntem, auctoritàte apostòlica trànstulit. Multas Sỳnodos, et Concìlia celebràvit pro ecclesiàsticæ disciplìnæ restauratiòne.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Romæ òmnia loca sacra, aut reparàvit, aut ditiòra effècit. Sanctòrum imàgines vetustàte exolètas renovàvit, et Lateranènse Patriarchìum, quod magna in penùria invènerat, pene a novo restauràvit, ac multas relìquias ibi invèntas divèrsis Ecclèsiis distrìbuit. Paupèribus alèndis rèdditus assignàvit. Bibliothècam sancti Petri constrùxit, Basìlicam sancti Gregòrii in Velàbro còndidit: ædificàvit et oratòrium divæ Cæcìliæ via Tiburtìna. Clerum valde dilèxit, et donatìvum sìngulis presbỳteris, et diàconis erogàvit. Sancti Gregòrii dialogòrum libros in Græcum trànstulit, rebùsque vàriis pro Ecclèsiæ uti-

litàte, non minus pie, quam pròspere gestis, sanctitàtis làurea est coronàtus. ℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

In Quadrages. Lect. ix. Homil. et comm. Feriæ.

DIE XXVIII.

**S. Xysti III. Papæ et Conf.**

Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

Post Pascha de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Xystus hujus nòminis Tèrtius, pàtria Romànus, fìlius Xysti, defùncto sancto Cœlestìno, Romànæ Ecclèsiæ Epìscopus præfìcitur, totìus Urbis pace et consensiòne miràbili. Eum àdhuc presbỳterum sanctus Augustìnus exìmie commendàvit, tum quod prior anàthema Pelagiànis in pòpulo frequentìssimo pronunciàrit, tum quod suis quoque scriptis advèrsus eòrum erròrem vehemènter pugnàrit. Ut àutem Romàni Sacerdòtii gubernàcula suscèpit, decrètum Ephesìnæ Sỳnodi advèrsus Nestòrium hàbitum volùmine describens, ad Orièntis et Occidèntis dedit Ecclèsias, confìrmans, duàbus in Christo manèntibus perfècte natùris, unam Filii Dei credèndam esse persònam. Qua de re, et ad Nestòrium ipsum, et ad Orièntis Epìscopos, ad ejus erròrem succidèndum, sentèntias dirèxit, hæc inter cètera scribens Antiochèno Epìscopo: Nihil ultra lìceat novitàti, quia nihil addi cònvenit vetustàti: perspìcua majòrum fides et credùlitas, nulla cœni permixtiòne turpètur.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Is a beàto Petro Apòstolo sibi per visum apparènte, una cum sancto Apollinàre ejus discìpulo, primo Ecclèsiæ Ravennàtis Epìscopo, quem ejùsdem Ecclèsiæ Pontìficem ordinàre debèret, admònitus; Petrum Ecclèsiæ Forocorneliènsis diàconum præter Ravennàtum sentèntiam, illis præfècit Antìstitem, quem cognomènto Chrysòlogum admirànda morum sanctitùdo, et doctrìna insignis mirìfice commendàrunt. Cum àutem Xystus Ecclèsiæ prædium abnùerit alienàri, studerètque sublevàre gravàtos, òdium in se convèrtit Anìcii Bassi excònsulis et Mariniàni patricii, a quibus turpi calùmnia exagitàtus, sponte vòluit suam in Sỳnodo càusam judicàri. Itaque in Basìlica Heleniàna, quæ dìcitur Sessoriànum Àtrium, quinquagìnta sex Episcopòrum Concìlio coàcto, præsènte Valentiniàno Imperatòre, cum univèrso clero, atque senàtu, Xystus declaràtus est innocens, Bassus vero, et Mariniànus calumniatòres damnàti, atque proscrìpti, bonis prætèrea Bassi Ecclèsiæ adjudicàtis: quem intra tres menses divìna ultiòne defùnctum, Xystus reddens bona pro malis, cum linteamìnibus et aromàtibus, mànibus ipse contrèctans, recòndidit, sepelivitque apud beàtum Petrum Apòstolum, in sepùlcro majòrum suòrum.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Veneràndus hic Pòntifex complùra in Urbe magnìfica præstitit, nam argèntea et àurea vasa, possessionèsque complùres Ecclèsiis còntulit. Refècit Basìlicam sanctæ Marìæ Majòris ad Præsèpe, quam et metàllis àureis, sacrìsque imaginibus decoràvit. Fecit et in Constantiniàna Basìlica ornamèntum supra fontem, quod àntea non erat, nam marmòrea epistỳlia, et porphyrèticas colùmnas, quas Constantìnus Augùstus congregàtas dimìserat, èrigi curàvit, ac vèrsibus exornàvit. Ejus item rogàtu, Valentiniànus Augùstus argènteum fastìgium a bàrbaris sublàtum, in eàdem

Constantiniàna Basìlica restituit: cujus Imperatòris, et Theodòsii principàtu Xystus viam univèrsæ carnis ingrèssus quièvit in Dòmino, sepultùsque est via Tiburtìna in crypta juxta corpus sancti Laurèntii màrtyris. Una ordinatiòne mense Decèmbri, creàvit Presbỳteros vigìnti octo, Diàconos duòdecim, Epìscopos per divèrsa loca quinquagìnta duos, et rexit Ecclèsiam annos septem, menses ùndecim.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

In Quadrages. Lect. IX. Homil. et comm. Feriæ.

## FESTA APRILIS

### DIE VI.

### S. Xysti I. Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem.

Lect. I. Noct. A Milèto.

Post Pascha de Script. occurr.

#### IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Xystus hujus nòminis primus, Romànus natiòne, de regiòne Urbis sèptima, quæ via Lata dicta est, patre Pastòre gènitus, in locum Alexàndri Primi Romàni Pontìficis nobilìssimo martỳrio coronàti, totìus cleri suffràgiis suffèctus, suprèmo illo mùnere egrègie, et summa cum làude perfùnctus est, annis novem, mènsibus decem, dièbus octo, sub Imperatòribus Hadriàno, et Antonìno Pio Augùstis.

℟. Honèstum.

Lectio V.

Nonnùlla ad disciplìnam ecclesiàsticam pertinèntia prudentìssime stàtuit, scilicet, ne sacra vasa et ministèria ab àliis, qui sacri minìstri non essent, contrectarèntur; ne sacrum corporàle, ut vocant, ex àlia, quam lìnea matèria fieret: ut sacrum trisàgium in Missa pòpulus decantàret, et ne ullus Epìscopus Romam evocàtus, ad suam deìnde diœcèsim rèdiens susciperètur, nisi lìtteris apostòlicis, quas Formàtas et Canònicas antìqui vocàbant, munìtus esset.

℟. Desidèrium.

Lectio VI.

Tres ordinatiònes mense Decèmbri pro more fecit, in quibus creàvit Epìscopos quàtuor pro divèrsis locis, Presbỳteros ùndecim, Diàconos tres. Vir revèra singulàri vitæ sanctimònia, incredìbili morum facilitàte, exìmia in pàuperes liberalitàte, frequèntibus ètiam insìgnis miràculis; illùstri tandem martỳrio coronàtus, octàvo Idus Aprìlis, et sepùltus in Vaticàno.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

Temp. Pasch. Homil. Iste locus, de Com. 1. loco, XXVIII.

### DIE VII.

### S. Cœlestini I. Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

Post Pascha de Script. occurr.

#### IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Cœlestìnus Romànus Prisci fìlius, sancto Bonifàcio sine ulla plebis discissiòne subrogàtus, Romànæ Ecclèsiæ præsèdit Epìscopus. Hic veneràbilis Pòntifex (cui ad Ecclèsiæ Cathòlicæ præsidium, multa Dòminus gràtiæ suæ dona largìtus est) sciens, damnàtis non exàmen judìcii, sed solum pœnitèntiæ remèdium esse præstàndum, Cœlèstium primàrium Pelàgii discìpulum, suam quasi non discùsso negòtio audièntiam postulàntem, totìus Itàliæ fìnibus jussit extrùdi. Nec segniòre cura, ab hoc eòdem morbo Britànnias liberàvit, quando quosdam inimìcos gràtiæ, solum suæ orìginis occupàntes, ètiam ab illo secrèto exclùsit Ocèani. Quamòbrem

sancto Germàno Antissiodorènsi Epìscopo illuc vice sua misso, ordinatòque Scotis Epìscopo Pallàdio, qui Romànæ Ecclèsiæ Diàconus erat, dum Românam Ìnsulam stùduit servàre Cathòlicam, fecit ètiam bàrbaram Christiànam.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Cum àutem Nestòrius Constantinopolitànus Epìscopus novum Ecclèsiæ molirètur errórem indùcere, prædicans Christum, ex Marìa hòminem tantum, non ètiam Deum natum, eìque divinitàtem collàtam esse pro mèritis; ejus impietàti, sua Cœlestìnus auctoritàte àcriter repugnàvit. Quare sancto Cyrillo Epìscopo Alexandrìno suas vices delegàvit, ut nisi decem dièrum intervàllo Nestòrius resipìsceret, in illum sentèntiam ferret. Verum cum Nestòrius id pertinàcius recusàsset magìsque crevìssent dissensiònes ac tumùltus, apud Èphesum tèrtia œcumènica Sỳnodus est congregàta, in qua Cœlestìnus per suos Legàtos præsèdit: quibus suo commonitòrio eos lìmites præscrìpsit, ut de Episcopòrum sentèntiis judicàrent, certàmen non subìrent. Ìtaque in ea Sỳnodo Nestòrius cum hæresi nòminis sui, et cum multis Pelagiànis, qui cognàtum erròri suo dogma juvàbant, damnàtus est.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Per suas lìtteras eòrum sacerdòtum superstitiònem Cœlestìnus redàrguit, qui vèteri dimìsso hàbitu, amìcti pàllio, lumbòsque præcìncti, in Ecclèsia ministràbant. Cavit prætèrea, ne ulli in morte ùltima negarètur pœnitèntia; neve ex làicis, vel criminòsis ad Episcopàtum àliqui promoverèntur: itèmque ne Metropolitànus in alièna provìncia àliquid præsùmeret, et ne in creàndis Epìscopis, extrànei emèritis in sua Ecclèsia clèricis præponerèntur. Instìtuit, ut ex òmnibus centum quinquagìnta psalmis, ante sacrifìcium antiphonàtim psallerètur. Dedicàvit Basìlicam Jùliam, propriùmque suum cœmetèrium pictùris decoràvit, vàriaque ad Ecclèsiæ ornàtum dona òbtulit. Qui cum tribus ordinatiònibus mense Decèmbri creàsset Presbỳteros trigìnta duos, Diàconos duòdecim, Epìscopos per divèrsa loca quadragìnta sex, obdormìvit in Dòmino octàvo Idus Aprìlis, sepultùsque est in cœmetèrio Priscìllæ via Salària, Theodòsio et Valentiniàno imperàntibus. Sedit annos octo, menses quinque, et dies tres.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

DIE XII.

## S. Julii I. Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio Da, quæsumus.

Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

Post Pascha de Script. occurr.

### IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Jùlius Romànus Rùstici fìlius, post beàtum Marcum ad summum Pontificàtum evèctus, vitæ sanctitàte, et stùdio asserèndæ fìdei Christiànæ insìgniter elùxit. Grassabàtur per Orièntem Ariànæ hæresis impìetas, multìque sanctìssimi Epìscopi e suis sèdibus exulàre cogebàntur: quos ille, præsèrtim sanctum Athanàsium, humanìssime excèpit, et constantìssime contra adversàrios defèndit. Tỳriam et Antiochènam Sỳnodum, ut Nicænam abolèrent fidem, ab Ariànis coàctam condemnàvit, et Romæ duo Concìlia convocàvit, in quibus èxulum Episcopòrum querèlas excèpit, et innocèntiam declaràvit.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Constànti Augùsto religiosìssimo Prìncipi, per Occidèntem imperànti, àuctor fuit, ut Constàntium

fratrem Arianòrum fautòrem, in Oriènte regnàntem, prècibus et minis ad revocàndum ab exìlio Athanàsium permovèret. Dolòsam fìdei fòrmulam ab Eusebiànis Arii sectatòribus, in secùnda Sỳnodo Antiochèna concèptam rejècit, et magnum Sardicènse Concìlium ex Occidèntis et Orièntis Epìscopis indìxit, missìsque Legàtis, multa ibìdem pro fide cathòlica, et disciplìna ecclesiàstica restituènda, utìliter constìtuit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

PRÆTER hæc, Basìlicas duas in Urbe extrùxit, sacrìsque pictùris exornàvit, unam juxta forum Romànum, àlteram in via Flamìnia. Tria ædificàvit cœmetèria, unum in eàdem via Flamìnia, àlterum in via Aurèlia, tèrtium in Portuènsi. Constìtuit, ne sacèrdos àlibi, quam apud jùdicem ecclesiàsticum, càusam dìceret; jussìtque, ut òmnia ad rem ecclesiàsticam spectàntia, per protonotàrium conficerèntur instrumènta. Tribus ordinatiònibus mense Decèmbri creàvit Diàconos tres, Presbỳteros decem et octo, Epìscopos novem. Postquam Dei Ecclèsiam sanctìssime rexìsset annis quìndecim, mènsibus quinque, dièbus septèmdecim, prìdie Idus Aprìlis felìciter migràvit ad Dòminum, sepùltus in cœmetèrio Calepòdii. Inde translàtæ relìquiæ ad Ecclèsiam sanctæ Marìæ Transtỳberim, ab ipso amplificàtam, sub altàri majòri honorìfice recònditæ sunt.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

DIE XVII.

**S. Aniceti** Papæ et Mart.

Duplex.

Off. de Com. 1. Mart. Temp. Pasch.

Oratio. Deus, qui nos.

In II. Noct. Lect. IV. Anicètus, etc., ut in Brev., 751. Lect. V. et VI. Pastor bonus, ut in festo s. Antheri, 9*.

IN III. NOCTURNO

Lèctio sancti Evangèlii secùndum Joànnem.

Lectio VII. Cap. 16.

IN illo tèmpore: Dixit Jesus discìpulis suis: Amen, amen dico vobis: quia ploràbitis, et flèbitis vos, mundus àutem gaudèbit. Et rèliqua.

Homilìa s. Joànnis Chrysòstomi.

Homil. 78 in Joannem.

UT ostènderet post tristìtiam gàudium secutùrum, naturàle addùcit exèmplum. Mùlier, cum parit, tristìtiam habet: qua paràbola in calamitàtibus Prophètæ usi sunt: quasi dicat: dolòres capiètis, sed quales partus, qui lætìtiæ càusa sunt. Simul et resurrectiònem confìrmat, indìcans òbitum suum perìnde esse, ac si ex ùtero matris in lucem pròdeat, quasi dicat: nolìte admiràri si per hanc tristìtiam, ad òptima vos ducam, nam et mater in parièndo sic per tristìtiam transit.

℟. Ego sum vitis.

Lectio VIII.

SIGNÌFICAT àutem hic et mystèrium quoddam, quod mortis dolòres sòlverit, et novum hòminem regeneràri fècerit. Neque dixit tantum tristìtiam transitùram, sed magnitùdine lætìtiæ succedènte, nihil ejus pènitus remansùrum. Ita erit sanctis. Atqui non proptèrea gàudet mùlier, quia venit homo in mundum, sed quod fìlium pèperit. Nam si id esset, nihil prohibèret, quin, quæ non pàriunt, àliis parièntibus gaudèrent.

℟. Càndidi facti sunt.

Lectio IX.

QUA ergo gràtia sic inquit? quia ad hoc solum addùxit exèmplum, ut post brevem tristìtiam perpètuum gàudium secutùrum, et se ad vitam transfèrri, et magnum malòrum lucrum ostènderet. Et non dixit, pèperit fìlium: sed quia venit homo in mundum, ubi suam signifi-

cat resurrectiònem, et non morti illi, sed regno parturièndum. Ìdeo non dixit, quia natus est fìlius, sed homo. Et vos nunc quidem tristìtiam habètis: ìterum àutem vidèbo vos, et gaudèbit cor vestrum: inde quod non àmplius moriètur inquit, et gàudium vestrum nemo tollet a vobis.

Extra Temp. Pasch. Hom. in Evang. Si quis vult, de Com. 2. loco, XXIII.

DIE XIX.

**S. Leonis IX. Papæ et Conf.**

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Leo hujus nòminis nonus, ex nòbili Francòrum prosàpia oriùndus, Dagsburgènsis Comes, ac Tullènsis Episcopus, Bruno àntea dictus, òmnium Cardinàlium suffràgiis ac commùni fidèlium gratulatiòne, ad sanctìssimam Petri sedem evèctus est, et in ea sedit annis quinque, duòbus mènsibus, dièbus octo. Vir omni virtùtum gènere et sacra doctrìna exìmius: ut apostòlicum hoc munus implèret, nullis labòribus, nullis sùmptibus, nullis incòmmodis pepèrcit.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Germàniam, et Itàliam sæpius, Gàlliam, semel visitàvit. Hàbuit novem Concìlia, Rhemis, Mogùntiæ, Vercèllis, Papìæ, Romæ, ad restauràndos Christianòrum mores. Multas lìtteras ad Imperatòres, Reges, Patriàrchas, Epìscopos, zelo, ac pietàte flagràntes scripsit. Legàtos ad Imperatòrem Constantinopolitànum, pro reductiòne Græcòrum, semel, atque ìterum misit. Berengàrium hærèticum semel iterùmque damnàvit, et Michaèlem Cerulàrium Patriàrcham, insìgnem schismàticum, anathèmate pèrculit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Dum Romæ àgeret, ter in hebdòmada a sacrosàncta Ecclèsia Lateranènsi ad Vaticànam, nudis pèdibus, noctu, orans et psallens pergèbat. Prìncipi Apostolòrum dècimam oblatiònum partem sibi de more competèntem, pontifìcio diplòmate cessit. Patrimònium suum pròprium in erectiònem monastèrii impèndit: unde ètiam quotànnis pecùnia submitterètur in sumptus rosæ àureæ, quam Romàni Pontìfices, antìquo et solèmni ritu benedìcunt. In pàuperes, et peregrìnos effùsam liberalitàtem exèrcuit. Sub lepròsi forma et hàbitu, Christum aliquàndo pròprio lecto excèpit. Dènique multis pro Ecclèsia labòribus exantlàtis, òbiit die decimanòna Aprìlis, anno millèsimo quinquagèsimo quarto, ante, et post mortem multis miràculis clarus, ac sepùltus est in Vaticàno.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

DIE XXVII.

**S. Anastasii I. Papæ et Conf.**

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Anastàsius Romànus fìlius Màximi, Sirìcio vita functo, Romànæ Ecclèsiæ est ordinàtus Episcopus, quo eam præclàre regènte, de Orièntis pàrtibus, hæreticòrum Origenistàrum sæva tempèstas simplicitàtem fìdei, quæ Apòstoli voce laudàta est, pollùere, et labefactàre conàta est. Sed vir ditìssimæ paupertàtis, et apostòlicæ solicitùdinis Anastàsius, statim nòxium pèrculit caput, et sibilàntia hydræ ora compèscuit, latitantèsque in fòveis suis hærèticos persecùtus, suis in Occidènte lìtteris damnàvit,

quod erat in Oriènte damnàtum. Nec illi unquam cura dèfuit, Evangèlii fidem circa suos custodire pòpulos, partèsque pòpuli sui, per quæque spàtia divèrsa terràrum diffùsas, quantum pòterat lìtteris convenìre, ne qua profanæ interpretatiònis origo subrèperet, quæ devòtas ànimas immissa sui caligine labefactàret.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Ad eum, atque Venèrium Mediolanènsis Ecclèsiæ Sacerdòtem, Africàna Sỳnodus Epìscopum legàtum destinàvit, ut eìdem Africànæ Ecclèsiæ sacris minìstris màxime indigènti subvenirètur, ne in divèrsis pene emòrtuis plèbibus (in quibus nec unus quidem diàconus, vel literàtus reperiebàtur) innumeràbiles ànimæ perirent. Ad eòsdem Africànos Epìscopos epistolam misit Anastàsius, patèrnæ et fratèrnæ caritàtis solicitùdine et sinceritàte eos adhòrtans; ut hæreticòrum et schismaticòrum Donatistàrum insìdiis, et improbitàtibus (quibus Africànam Ecclèsiam Cathòlicam vexàbant) nullo modo dissimulàrent. Hujus item sancti Pontìficis auctoritàte factum est, ut Donatìstæ Epìscopi, seu quìlibet clèrici, quantum ad ecclesiàstica officia pertinèret, sic in cathòlicam suscipeèntur unitàtem, quemàdmodum expedire viderètur iis, quorum salùti per eòrum consulebàtur officium vel exercèndum, vel omittèndum.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Constìtuit nullàtenus transmarìnum hòminem in clericàtus honòrem sine quinque Episcopòrum chirògrapho suscipièndum. Itèmque sancivit, ut quotiescùmque sancta recitarèntur Evangèlia, Sacerdòtes non sedèrent, sed curvi starent. Fecit in Urbe Basilicam Crescentiànam in regiòne secùnda, via Mamertina. Duàbus ordinatiònibus, mense Decèmbri, creàtis Presbỳteris octo, Diàconis quinque, Epìscopis per divèrsa loca decem, quièvit in pace, sepultùsque est in cœmetèrio suo ad Ursum Pileàtum, sub Arcàdio, et Honòrio; quem (ut sanctus Hierònymus scribit) diu Roma habère non mèruit, ne orbis caput sub tali Epìscopo truncarètur: imo idcìrco raptus est atque translàtus, ne semel latam sentèntiam prècibus suis flèctere conarètur; nam haud pàulo post ejus òbitum, Roma a Gothis capta atque dìruta fuit.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

## FESTA MAJI

DIE III.

### Invent. S. Crucis D. N. J. C.

Duplex 2. cl.

Omnia ut in Breviar. hac die, 767, præter sequentia:

In III. Noct. omitt. IX. Lect. SS. Mm. et legat. VIII. usque ad ea verba: Sed Jesus non se credit eis.

IX. Lect. Intèndat, usque ad finem.

In Laud. fit comm. SS. Mm. sed in Orat. omitt. nom. Alexàndri.

DIE VII.

### S. Benedicti II. Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Benedìctus, hujus nòminis secùndus, Romànus gènere, patre Joànne ortus, post Leònis secundi òbitum, ad munus apostòlicum assùmptus est, anno Christi sexcentèsimo octogèsimo quarto, et suprèmum Christiànæ Reipùblicæ clavum novem circiter menses tènuit, dignìssimus certe, qui diùtius tenèret: cum a primis pueritiæ annis se totum ecclesiàsticis ministèriis addixìsset,

ac sèdulam divinis lìtteris, et sacræ psalmòdiæ òperam navàsset.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Hic non uno dumtàxat nòmine, verum ètiam cœlèstis benedictiònis gràtia, et sanctæ conversatiònis exèmplo Benedìctus, mansuètus, mitis, et hùmilis, insignis ètiam patièntiæ, et pàuperum amantissimus, in quos larga manu rèditus Ecclèsiæ profùdit. Ad restauràndam quoque ac exornàndam Prìncipis Apostolòrum Basìlicam, aliàsque Urbis Ecclèsias, ànimum et manum applicuit, in quo multa aureòrum millia pie consùmpsit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Mirìfico ètiam conservàndæ et propagàndæ religiònis zelo flagràvit. Macàrium Patriàrcham Antiochènum, a sexta Sỳnodo propter hæresim depòsitum, ad saniòrem mentem redùcere, summo stùdio laboràvit. Scriptis ètiam ad Epìscopos Hispàniæ lìteris, eòsdem mònuit, ut declaràrent apèrtius, et sànius, quæ de voluntàte Dei, et tribus Christi substàntiis ante scripserant. Constantìnus vero Imperàtor tanto illum amòre et honòre prosecùtus est, ut et capillos suòrum filiòrum, in signum observàntiæ, illi obtùlerit. Sancto tandem fine quièvit, et sepùltus est in Vaticàno. ℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

DIE XI.

**S. Alexandri I. Papæ et Mart.**

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. I. Noct. A Milèto.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Alexànder Romànus ex patre Alexàndro, de vico Caput Tàuri, jùvenis quidem ætàte, sed sanctitàte incomparàbilis, et fide clarissimus, post Evaristum, Sedem Apostòlicam obtìnuit. In memòriam passiònis Christi primus in Sacrifìcio Missæ àddidit: Qui prìdie quam paterètur: usque ad ea verba: Hoc est corpus meum. Instìtuit, ut tantùmmodo panis et vinum in mystèrio offerrètur, atque in consecratiòne còrporis et sànguinis Dòmini, vinum aqua miscerètur, propter sànguinem et aquam, quæ ex Jesu Christi làtere profluxèrunt. Idem decrèvit ut aqua benedicta, sale admixta, sacris prècibus interpòsitis, tam in templis, quam in cubìculis ad fugàndos dæmones perpètuo asservarètur. Cum àutem esset christiànæ religiònis ferventissimus prædicàtor, dum vixit, mirum in modum in hoc dìligens fuit, ut doctrìna, vitæque exèmplo, quoscùmque posset ad veram Christi religiònem perdùceret.

℟. Lux perpètua.

Lectio v.

Cum igitur multis Romæ, ut abjuràta falsa religiòne, veram fidem suscìperent, persuasisset, senatòres àliquot, et Hermètem urbis Præfèctum cum uxòre, fìliis, soròre, ac tota domo, Jesu Christo pèperit. Quam ob rem accusàtus, quod christiànus esset, ex Prìncipis edìcto captus, et in càrcerem conjèctus, ibìdem diu, quod a christiànæ fìdei professiòne recèdere nollet, detèntus est: cum àutem vinctus tenerètur, pùeri ministèrio, qui facem ardèntem præferèbat, prodigiòse intempèstæ noctis silèntio, e càrcere ad domum Quirìni Tribùni, ubi beàtus Hermes urbis præfèctus pàulo ante captus in custòdia servabàtur, edùctus, primum fìliam ejus Balbìnam ægram sanàvit, deìnde patrem Quirìnum miràculo attònitum, et ad Christum tradùctum, cum fìlia, baptismi lavàcro àbluit. Hinc vero factum est, ut Quirìnus iis òmnibus, quotquot pro fide

Christi vinctos habèbat, libertàtem abeùndi concèsserit. Erant inter illos Evèntius et Theodùlus, qui sancto Alexàndro adjùncti, exìre de càrcere noluèrunt, sed Deo làudes persolvèntes martỳrii palmam constànter expectàrunt.

℟. In servis suis.

Lectio VI.

Ex his sanctus Alexànder primum ab Aureliàno jùdice interrogàtus de christiànæ religiònis mystèriis, ea revelàre nòluit, àsserens sanctum esse, quod Aureliànus manifestàri cupièbat, et non permìtti a Christo sanctum dari cànibus. Ob quæ verba beàtus Pòntifex in equùleum impòsitus est, ùngulis dilaniàtus, atque lampàdibus admòtis gravìssime ustus, cumque nullam àmplius vocem emitteret, interrogàtus ab Aureliàno, cur tacèret? hoc dignum Martyr respònsum dedit: Quia tèmpore oratiònis homo christiànus cum Deo lòquitur. Depòsito Alexàndro, exhìbiti sunt Evèntius, et Theodùlus, quos cum Aureliànus in fide constàntes invenìsset, jussit Alexàndrum et Evèntium, dorsum ad dorsum ligàtos, in ignem præcipitàri, Theodùlum vero ibidem adstàre, ut quasi eòrum pertèrritus passiòne, ad sacrificàndum idòlis consentiret. Cum àutem Theodùlus sponte in flammas prosiliìsset, et cum ipsis hymnos decantàret, ac Deo gràtias àgeret, fecit ìmpius judex Alexàndrum punctis crebèrrimis per òmnia membra perforàri, quo fine vir sanctus martỳrium suum gloriòse complèvit. Hujus corpus beàta Sevèra religiòsa fèmina sùstulit, et cum còrpore beàti Evèntii glàdio consummàti, in uno eodèmque sepùlcro pòsuit via Nomentàna in prædio suo, unde pòstea ad urbem translàtum, in Ecclèsia sanctæ Sabìnæ recònditum fuit.

℟. Filiæ Jerùsalem.

In III. Noct. Hom. Iste locus, XXVIII.

Extra Temp. Pasch. Homil. in Evang. Si quis venit.

DIE XIV.

**S. Paschalis I. Papæ et Conf.**

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Paschàlis, hujus nòminis primus, bìduo post Stèphani Quinti òbitum vix exàcto, commùnibus cleri suffràgiis, ad suprèmum Sedis Apostòlicæ àpicem, invitus licet, et valde relùctans, anno Dòmini nostri Jesu Christi octingentèsimo dècimo sèptimo promòtus est. Vir sane omnìgena doctrina, sacra præsèrtim instructìssimus, vitæ sanctimònia insìgnis, dicèndi facultàte clarìssimus, singulàri dènique pietàte in Deum et caritàte in pròximum, ut exteriòra bona hilari semper ànimo paupèribus erogàbat, ita interiòris ànimi opes, vigìliis, oratiònibus et jejùniis vacans, accumulàbat.

℟. Invèni David.

Lectio V.

A pueritia in Lateranènsis Ecclèsiæ Patriarchio, sub òculis Pontìficum educàtus, ita in omni virtùtum gènere, lìtteris, et disciplìna ecclesiàstica profècit, ut primum sacris ordìnibus initiàtus, mox ejus virtùte perspècta, a Leòne Tèrtio monastèrio sancti Stèphani præfèctus fùerit; in quo, et sùbditis sibi mònachis exèmplo fuit, et peregrìnos ad lìmina Apostolòrum turmàtim accedèntes ita excèpit, ut òmnibus necessària suppeditàret, iìsque Christum imitàtus, abjècta ètiam exhibèret ministèria: quibus pietàtis et caritàtis offìciis, dignìssimus òmnium hàbitus est, qui

dominico gregi, et toti Ecclèsiæ præèsset.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Nihil porro in eo desideràtum est, quod ad perfèctam regìminis Apostòlici solicitùdinem pertinèret. Ecclèsiæ Occidentàlis disciplìnam, quæ sub eo màxime flòruit, intàctam servàvit: Orientàlem vero ab Imperatòre, et Patriàrcha Iconòmachis agitàtam, lìtteris et legatiòne recreàvit, et Græcis Romam confugièntibus, monastèrium sanctæ Praxèdis, amplìssimis redìtibus a se instrùctum, benìgne concèssit. Multa ètiam còrpora sanctòrum ex Cœmetèriis, Pàuli primi exèmplo, ac præsèrtim sanctæ Cæcìliæ, ipsa monstrànte et revelànte, in Urbem ìntulit. Nova templa excitàvit, restauràvit, et mirìfice ornàvit antiqua. Xenodochìa, et sacràrum vìrginum cœnòbia, novo censu recreàvit. Extìncti demum incèndii miràculo clarìssimus, migràvit ad Dòminum, octàvo sui Pontificàtus anno, et in Vaticàna Basìlica cònditus est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco. Nona Lectio (ex 2. fit 1.) et comm. s. **Bonifacii** M. in Laud., 780.

DIE XXVII.

**S. Joannis** I. Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. I. Noct. A Milèto.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio iv.

Joànnes, Etrùscus, Constantino patre gènitus, totìus cleri consènsu in locum Hormìsdæ vita functi, ex Presbỳtero Tìtuli Pammàchii, subrogàtus fuit. Justìno seniòre Imperatòre, rexit Ecclèsiam, ad quem profèctus est Constantinòpolim, auxilii càusa, quod Theodorìcus Rex hærèticus divexàbat Itàliam. Cujus ètiam iter Deus miràculis illustràvit. Nam cum ei nòbilis vir ad Corìnthum, èquum, quo ejus uxor mansuèto utebàtur, itìneris càusa commodàsset, factum est, ut dòmino pòstea remìssus èquus, ita ferox evàderet, ut frèmitu, et totìus còrporis agitatiòne, semper deìnceps dòminam expùlerit, tanquam indignarètur mulìerem recìpere, ex quo sedìsset in eo Jesu Christi Vicàrius. Quamòbrem illi èquum Pontìfici donavèrunt.

℟℟. pro qualitate temp.

Lectio v.

Sed illud majus miràculum, quod Constantinòpoli, in àditu portæ àureæ, inspectànte frequentìssimo pòpulo, qui una cum Imperatòre Pontìfici honòris càusa occùrrerat, cæco lumen restìtuit. Ad cujus pedes prostràtus ètiam Imperàtor, eum veneràtus est. Rebus cum Imperatòre compòsitis, in Itàliam rèdiit, statìmque epìstolam scripsit ad omnes Itàliæ Epìscopos, jubens eos Arianòrum Ecclèsias ad cathòlicum ritum consecràre, illud subjùngens: Quia et nos, quando fùimus Constantinòpoli, tam pro Religiòne cathòlica, quam pro regis Theodorìci càusa, quascùmque illis in pàrtibus eòrum Ecclèsias reperìre potùimus, cathòlicas eas consecràvimus.

Lectio vi.

Quod iniquìssimo ànimo ferens Theodorìcus dolo accersìtum Pontìficem Ravènnam, in càrcerem conjècit, ubi squalòre inediàque afflìctus, pàucis dièbus cessit e vita, cum sedìsset annos duos, menses novem, dies quatuòrdecim; ordinàtis eo tèmpore Epìscopis quìndecim. Pàulo post mòritur Theodorìcus: quem quidam Eremìta, ut scribit sanctus Gregòrius, vidit inter Joànnem Pontìficem, et Sỳmmachum Patrìcium, quem idem occìderat, demèrgi in ignem Lipari-

tianum: ut vidèlicet illi, quibus mortem attùlerat, tanquam jùdices essent ejus intèritus. Joànnis corpus Ravènna Romam delàtum est, et in Basilica sancti Petri sepùltum.

In III. Noct. Hom. Iste locus, XXVIII. Extra Temp. Pasch. Homil. in Ev. Si quis vult, de Com. 2. loco.
℟. VIII. Dòmine, prævenisti.

DIE XXVIII.

**S. Urbani I. Papæ et Martyris.**
Duplex. Oratio.

Da, quæsumus, omnìpotens Deus; ut qui beàti Urbàni Màrtyris tui atque Pontificis solèmnia còlimus, ejus apud te intercessiònibus adjuvèmur. Per Dòminum.

Lect. I. Noct. de Script. occurr., sed in Fer. II. et IV. Rogat. A Milèto.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV. Urbànus Romànus, 787., cum ℟℟. pro qualitate temp.

Sermo sancti Augustini Episcopi.
*De s. Cypriano, Serm. 12.*
Lectio V.

Sermònem èxigit tam grata et religiòsa solèmnitas, qua passiònem beàti Màrtyris Urbàni (vel N.) celebràmus. Tristis pròcul dùbio tunc Ecclèsia fuit, non damno cadèntis, sed desidèrio recedèntis; semper cùpiens vidère præsèntem tam bonum rectòrem, atque doctòrem. Sed quos afflixerat solicitùdo certàminis, consolàta est coròna victòris. Et nunc non solum sine ulla tristitia, verum ètiam cum ingènti lætitia, cuncta, quæ tunc gesta sunt, legèndo recòlimus; dièque isto gaudère nobis concèssum est, non timère. Neque enim formidàmus terribiliter venièntem, sed expectàmus hilàriter redeùntem.

Lectio VI.

Vicina còrporis morte, non moriebàtur in ànimo pastòris vigilàntia pastoràlis: et cura tuèndi Domìnici gregis, usque ad extrèmum vitæ hujus diem, mente sòbria tenebàtur. Nec excutièbat ab ànimo diligèntiam fidelìssimi dispensatòris manus jam pròxima cruènti carnìficis. Ita se Màrtyrem cogitàbat futùrum, ut esse non obliviscerètur Episcopum: magis curans, quam ratiònem pastòrum Principi de commissis sibi òvibus rèdderet, quam quid infidèli Procònsuli de fide pròpria respondèret. Amàbat quippe eum, qui Petro dìxerat: Amas me? Pasce oves meas. Et pascèbat oves ejus, pro quibus sànguinem fùndere, illum imitans, præparàbat.

In III. Noct. Homil. in Evang. Ego sum vitis, de Com. Mart. Temp. Paschali, 1. loco.

Extra Temp. Pasch. Homil. in Ev. Homo pèregre, ut in Com. Confess. Pont. 1. loco, XLVIII.
℟℟. vero de Com. un. Mart.

DIE XXIX.

**S. Bonifacii IV. Papæ et Conf.**
Duplex. (M. S.)

Oratio Da, quæsumus.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. I. Noct. Fidèlis sermo.

IN II. NOCTURNO
Lectio IV.

Bonifàcius hujus nòminis quartus, Joànnis filius, Valèriæ Marsòrum natus, ex mònacho sancti Sebastiàni extra Urbem, et Presbỳtero Cardinàli, sub Imperatòre Phoca, ad Pontificàtum assùmptus est, et consecràtus die domìnico, quinto Kalèndas Septèmbris, anno Dòmini sexcentèsimo sèptimo, seditque annos sex, menses octo, dies trèsdecim, duàbus ordinatiònibus peràctis mense Decèmbri, in quibus Episcopos vigìnti quinque, Diàconos octo creàvit.
℟. Invèni David.

Lectio V.

Statim patèrnam domum in monastèrium erèxit, et fundos suos

in monachòrum usum eìdem monastèrio adscrìpsit; sed ut longe majòri benefìcio, hujus institùti hòmines sibi obstrìngeret, convocàtis ad Sỳnodum Itàliæ Epìscopis, sanctis lègibus labèntem monachòrum disciplìnam restìtuit. Mellìtus Londinènsis Epìscopus, qui Romam vènerat, de rebus Anglicis Christi Vicàrium consultùrus, Sỳnodo intèrfuit, illiùsque decrèta, cum lìtteris Bonifàcii, in Britànniam tulit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Ab Imperatòre Phoca sanctìssimus Pòntifex nòbile Romæ delùbrum, Pàntheon scilicet, obtìnuit: Christiàno ritu consecràtum, in Ecclèsiam Deìparæ Vìrgini et sanctis martỳribus dicàtam mutàvit. Ad majòrem sanctitàtem conciliàndam, incredìbilem sacràrum reliquiàrum vim, ex divèrsis arenàriis edùctam, infèrri, et juxta prìncipem aram condi curàvit. Dènique sub Heraclìo, virtùte ac mèritis clarus obdormìvit in Dòmino octàvo Kalèndas Jùnii, sepultùsque est in Vaticàno.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

DIE XXX.

**S. Felicis I.** Papæ Martyris.

Duplex.

Oratio Infirmitàtem.

Lect. I. Noct. de Script. occurr., sed in Fer. II. et IV. Rogat. A Milèto.

In II. Noct. Lect. IV. Felix Romànus, ut in Brev., 790.

Lect. V. et VI. Pastor bonus, ut supra in festo s. Antheri, 9*.

℟℟. pro qualitate temp.

In III. Noct. Homil. in Evang. Ego sum vitis.

Extra temp. Pasch. Homil. in Ev. Si quis venit, de Com. 1. loco.

## FESTA JUNII

DIE I.

**S. Eleutherii** Papæ Martyris.

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem.

Lect. I. Noct. de Script. occurr., sed in Fer. IV. Rogat. A Milèto.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Eleuthèrius natiòne Græcus, Abùndio patre, natus Nicòpoli Epìri òppido, ex Presbỳtero sanctæ Romànæ Ecclèsiæ, post Sotèris mortem, totìus cleri suffràgiis, Romànus Pòntifex renunciàtus est, Marco Aurèlio Imperatòre Augùsto. Quo mùnere egrègie, et summa cum làude functus est annos quìndecim, dies vigìnti tres: tribus ordinatiònibus mense Decèmbri factis, creatìsque Presbỳteris duòdecim, Diàconis octo, Epìscopis per divèrsa loca quìndecim.

℟℟. Pro qualit. temp.

Lectio V.

Ab Ecclèsia Lugdunènsi per lìtteras de nonnùllis quæstiònibus consùltus, Irenæum virum doctìssimum litteràrum latòrem humàniter excèpit, eìque apostòlicas traditiònes, quas Romàna Ecclèsia illibàtas servàverat, apèruit. Superstitiòsas Montanistàrum Xerophagias damnàvit. Òptimas leges pro recta judiciòrum ecclesiasticòrum forma præscrìpsit. Marciònem et Valentìnum, sæpius relàpsos, ab Ecclèsia pènitus ejècit.

Lectio VI.

Cum summa pace Ecclèsia fruerètur, multos ètiam ex optimàtibus ad Christi fidem Romæ convèrtit. A Lùcio Britannòrum rege lìtteras per Legàtos accèpit, divìni verbi minìstros postulànte, ad quem Fugàtium et Damiànum Romànæ Ecclèsiæ presbỳteros misit, a quibus Rex ipse cum tota famìlia, et sùbditi fere omnes sacro lavàcro regeneràti fuère.

His demum aliisque pro divìno cultu peràctis, sancto fine quièvit sub Imperatòre Còmmodo, quinto kalèndas jùnii; sepùltus in Vaticàno.

In III. Noct. Homil. in Evang. Ego sum vitis, de Com. Mart. temp. Pasch. 1. loco.

Extra temp. Pasch. Homil. in Ev. Si quis venit, de Com. 1. loco.

DIE II.

**S. Eugenii I.** Papæ et Conf.

Duplex. (M. S.)

Oratio. Da, quæsumus.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Beàto Martìno hujus nòminis primo, tyrànnica hærètici Imperatòris sentèntia Chersònam relegàto, Theodòro Exàrcho instànte, Eugènius pàtria Romànus, qui fere a cunàbulis, sacro clericòrum òrdini se addìxerat, absèntis Pontìficis vices gessit, ne Romànæ Ecclèsiæ administràtio cessàsse omnìno viderètur: sed hac revèra potestàte modèste uti visus est, cum probe sciret, Martìno vivènte, se legìtimum Pontìficem non esse, sed illìus duntàxat quasi vices gerèntem.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Ubi vero prædictus Christi martyr ærùmnis et inèdia confèctus, ad beàtam vitam migravisset, in càthedra Petri, clero consentiènte, ut legìtimus Petri succèssor sedit, et in illo Apostòlici ministèrii cùlmine, talem se gessit, qualem suprèmi mùneris ei crèditi dìgnitas, et òmnium Christi fidèlium, ejus curæ commissòrum, salus et utìlitas postulàbant; mitis enim fuit, benìgnus, et mansuètus: et quod caput est, vitæ sanctimònia illùstris.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Singulàrem cleri curam hàbuit, quem patèrno semper amòre, et multis beneficiis prosequùtus est. In egènos tamen miràbilis ejus beneficèntia enìtuit, quibus rèditus Ecclèsiæ vivens et mòriens liberàli manu erogàvit, apprìme ratus, Ecclèsiæ opes ad nobiliòres usus applicàri non posse, et ex mànibus indigèntium ad æternitàtis æràrium, cum incredìbili spiritùalis usùræ lucro, recta tradùci. Transàctis demum duòbus annis, et novem fere mènsibus, sancto fine quièvit, anno Christi sexcentèsimo quinquagèsimo quinto, et ejus corpus in Basilica sancti Petri recònditum fuit.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

Lect. IX. (ex 2. fit 1.) SS. **Marcellini** etc. Mart., et comm. in Laud., 797.

DIE XII.

**S. Leonis III.** Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Leo hujus nòminis Tèrtius, Romànus, ex patre Asùppio, a puerìtia in Vestiàrio Patriarchìi Lateranènsis in omnem ecclesiàsticam, ac divìnam disciplìnam educàtus, ex mònacho sancti Benedìcti, Prèsbyter Cardinàlis ac demum Pòntifex Màximus, incredìbili òmnium consensiòne, ipso die òbitus Hadriàni creàtus est, anno septingentèsimo quinto, seditque in sancta Petri sede annos vigìnti, menses quinque, dies decem et septem.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Talem se in Pontificàtu exhìbuit, qualem se ante assumptiònem præbùerat; pìissimum scìlicet, mitìssimum, singulàri in Deum religiòne, erga pròximum caritàte, prudèntia in rebus gerèndis, pàuperum ægrorùmque parèntem, Ecclèsiæ defensòrem,

divìni cultus promotòrem; ùtpote qui màxima quæque pro Christo et Ecclèsia sèdulo præstitit, et patiènter toleràvit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Cum ab ìmpiis, èrutis òculis, et confòssus vulnèribus, semivìvus relìctus fuìsset, postrìdie per insìgne miràculum, sanus invèntus est, iisdèmque parricìdis vitam suis prècibus obtìnuit. Càrolo Magno Francòrum Regi Romànum impèrium dètulit: peregrìnis amplìssimum xenodochium extrùxit: patrimònium, aliòsque fundos paupèribus adscrìpsit. Basilicas urbis, præsèrtim Lateranènsem (in cujus Patriarchìo triclìnium magnum super omnia triclìnia fundàvit) et sacras ædes, tot ac tantis divìtiis cumulàvit, ut fidem omnem superàre videàtur. Vitam demum religiosìssimam pio fine coronàvit, pridie Idus Jùnii anno Dòmini octingentèsimo dècimo sexto, et sepùltus est in Vaticàno. ℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1 loco.

Lect. IX. et comm. SS. **Basilidis** et Soc. in Laud., 804.

DIE XX.

**S. Silverii** Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem.

In II. Noct. Lect. IV. Silvèrius, 809.

Lectio V. Quamòbrem, ibid.

Lectio VI. Sermo s. Augustini Ep. Sermònem èxigit, quæ est v. supra pro s. Urbano Pp. M., 27*, cum ℟. VI. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

℟. VIII. Dòmine, prævenìsti.

## FESTA JULII

DIE III.

**S. Pauli** I. Papæ et Conf.

Duplex. (M. S.)

Oratio. Da, quæsumus.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Pàulus hujus nòminis primus, natiòne Romànus, patre Constantìno, post òbitum Stèphani Tèrtii germàni fratris, anno Christi septingentèsimo quinquagèsimo sèptimo in ejus locum, novo exèmplo, subrogàtus est. Sed hoc exìmiæ illìus virtùti debebàtur. Cum enim a Gregòrio Secùndo in Patriarchìo Lateranènsi, una cum fratre, a primis annis, ad Christiànos mores, et omnem eruditiònem ecclesiàsticam egrègie formàtus fuìsset, digniòrem clerus non hàbuit, quem perturbatìssimis illis tempòribus, pio fratri successòrem elìgeret.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Constantìnum Copronymum lìtteris per legàtum ad eum missis, semel, atque ìterum solicitàvit, ut saniòrem doctrìnam amplecterètur; sed hærèticus et induràtus princeps, solìciti pastòris vocem audìre nòluit, et in cathòlicos, ac præcìpue in mònachos sævìre non cessàvit, quorum plùrimi, ut a tyrànno se subdùcerent, in Itàliam se recepèrunt, quos benìgne Pàulus excèpit, iisque templa et monastèria, còngruis instrùcta reddìtibus assignàvit, in quibus Græca lingua, et pàtrio ritu sacra peràgerent.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Extant multæ illìus epìstolæ ad Pipinum Francòrum Regem scriptæ, in quibus gràtias agit òptimo, et de Romàna Ecclèsia benemèrito prìncipi, pro suscèpta Ecclèsiæ contra Longobardòrum irruptiònes defensiòne; eumque raris elògiis cumulàtum impènse hortàtur, ne unquam a cœpto desìstat. Cum àutem cœmetèria extra muros a Longobàrdis dìruta fuìssent, multas inde sanctòrum exùvias, ne bàrbaris in prædam cè-

derent, in Urbem intulit; quarum non mòdicam partem in Ecclèsiam monastèrii a se constrùcti in patèrnis ædibus, et pingui censu ditàti, collocàvit. Cèterum si quid ipsi tèmporis residui ecclesiàstici regìminis cura relinqueret, id totum alèndis Christi paupèribus, ægris, vìduis, ac detèntis in càrcere consolàndis, liberandisque opprèssis ære aliène impèndit. Et tandem matùrus cœlo, pie òbiit, undècimo Pontificàtus anno jam inito, et in Vaticàno sepùltus est.

℞. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. I. loco.

DIE IX.

**Prodigiorum B. M. V.**

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V., CIV.

DIE XI.

**S. Pii I.** Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Pius hujus nòminis primus, Rufini filius, Hermètis frater, pàtria Aquilejènsis, ex Presbỳtero sanctæ Romànæ Ecclèsiæ Summus Pòntifex creàtus est; sedìtque Antonino Pio, et Marco Aurèlio imperatòribus Augùstis. Quinque ordinatiònibus, mense decèmbri, Epìscopos duòdecim, octòdecim Presbỳteros creàvit.

℞. Honèstum.

Lectio V.

Extant nonnùlla ab eo præclàre institùta, præsèrtim, ut resurrèctio Dòmini nonnisi die Domìnico celebrarètur: quod pòstea ab ejus successòribus Romànis Pontificibus confirmàtum est; quibus id màxime curæ fuit, ut totius Ecclèsiæ Epìscopi in Paschàli celebritàte unifòrmes essent.

℞. Desidèrium.

Lectio VI.

Praxèdis domum in Ecclèsiam mutàvit, eàmque titulo Pastòris dicàvit, in qua sæpius rem sacram fecit, et multos ad fidem convèrsos, et sacro fonte purgàtos, in fidèlium nùmerum adscrìpsit. Dum vero pii pastòris munus obiret, fuso pro suis òvibus et summo Pastòre Christo sànguine, martỳrio coronàtus est quinto idus jùlii, ac sepùltus in Vaticàno.

℞. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Homilia in Evang. Si quis venit, de Com. 1. loco.

DIE XIII.

**S. Anacleti** Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Anaclètus natiòne Græcus, Atheniènsis, patre Antìocho, multis rebus præclàre gestis celebèrrimus, post interrègnum Pontifìcium quàtuor mènsium, et decem dièrum, christiànæ religiònis summum Pontificàtum adèptus, Clemènti per martỳrium sublàto, tèrtio nonas aprilis subrogàtur: sedìtque in Càthedra Petri novem annos, tres menses et dies decem, Presbỳteris quinque, tribus Diàconis, et sex Epìscopis dùplici Ordinatiòne creàtis, sub Trajàno Imperatòre.

℞. Honèstum.

Lectio V.

Hic Prìncipi Apostolòrum memòriam, seu Ecclèsiam, gratus, et memor tanti benefìcii ab eo accèpti, per sacri Òrdinis collatiònem, dum àdhuc Prèsbyter esset, in Vaticàno extrùxit, atque ornàvit, Apostolòrum Trophæum ab antìquis Pàtribus mèrito appellàtam, quam nullo unquam, furèntis licet persecutiònis tùrbine, dèjici potuisse, sed, quod omnem admiratiònem sùperat, majòre in dies

glòria àuctam fuìsse, compèrtum est; futùrum sane secutùris tempòribus, majòris etampliòris molis nòbile rudimèntum.

℟. Desidèrium.

Lectio vi.

Res ab eo gestæ, quas mirìficas fuìsse multis argumèntis conjìcere licet, commùni scriptòrum antiquòrum naufràgio obscùræ, atque òbrutæ mansèrunt. Multa ad religiònem et disciplinam spectàntia prudènter stàtuit, ac præ cèteris, ut Epìscopus a pauciòribus quam tribus Episcopis mìnime consecrarètur; ut Clèrici sacris Ordìnibus pùblice a pròprio Epìscopo initiarèntur: et ut in Missa, peràcta consecratiòne, omnes communicàrent. Òbiit tandem martỳrio coronàtus, tèrtio idus jùlii, et juxta corpus beàti Petri sepùltus est.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

DIE XVII.

**S. Leonis IV.** Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Leo hujus nòminis quartus, Romànus, Rudùlphi fìlius, mònachus sancti Benedìcti primum, Cardinàlis deìnde, ac demum post òbitum Sèrgii Secùndi, eàdem die, invìtus licet, in Lateranènse Patriarchìum dedùctus, ad sanctam sedem, òmnium votis promòtus est. Vir fuit religiòne, innocèntia, pietàte, humanitàte, liberalitàte, prudèntia, et doctrìna, præsèrtim ecclesiàstica, insìgnis. Sedit annos octo, sex menses, et tòtidem dies, Lothàrio, et Ludovìco juniòre Imperatòribus Augùstis.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Paucis ante illìus assumptiònem mènsibus, cum Basìlicæ sanctòrum Apostolòrum Petri et Pàuli a Saracènis dirèptæ fuìssent, ad àlteram Urbis direptiònem jam accìnctos suis prècibus fregit, et eòrum classem dissipàvit. Muris Vaticànum cinxit, et in civitàtem Leonìnam commutàvit, quam beàto Petro custodièndam tràdidit. Tiberìnam oram tùrribus munìvit, dirèptas Basìlicas restauràvit, et ornàtum domus Dei, præsèrtim in Lateranènsi Patriarchìo, sublàtum restìtuit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Miràculis sanctìssimam vitam illustràvit; nam et basilìscum, cujus anhèlitu jam multi extìncti fùerant, suis prècibus præsens occìdit, et màximum incèndium, quod Basìlicæ Vaticànæ imminèbat, signo crucis extìnxit. Qua sanctitàte permòtus Rex Ängliæ Astùlphus regnum suum Romànæ Ecclèsiæ tributàrium fecit, et censum ànnuum constituit. Vir sane de Urbe, totàque repùblica Christiàna òptime mèritus, òbiit dècimo sexto Kalèndas Augùsti, anno Dòmini octingentèsimo quinquagèsimo quinto, et sepùltus est in Vaticàno.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

DIE XIX.

**S. Symmachi** Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Symmachus gènere Sardus, Patre Fortunàto, ex Diàcono, a majòre et potiòre Cleri parte, in Constantiniàna Basìlica, quarto ab òbitu Anastàsii die, in ejus locum suffèctus est. Quia tamen, distràctis Electòrum suffràgiis, Festi Senàtus Prìncipis Excònsulis instìnctu, a nonnùllis Laurèntius Archiprèsbyter promòtus fùerat, gravìssimum inde schisma ortum hàbuit; ex quo màxima Chri-

## MENSE JUNIO

| Die | | Pag. |
|---|---|---|
| 1 | S. Eleutherii Pp. M. | 28* |
| 2 | S. Eugenii I. Pp. C. | 29* |
| 3 | S. Mariæ Magd. de Pazzis Virg. *dupl.* (assign. ex 27 *Maji*) | 789 |
| 5 | S. Ferdinandi Regis C. *semid.* (assign. ex 30 *Maji*) | CCLXI |
| 12 | S. Leonis III. Pp. C. | 29* |
| 15 | S. Joannis a s. Facundo Conf. *dupl.* (assign. ex 12 *huj.*) | 803 |
| 20 | S. Silverii Pp. M. | 30* |
| 25 | S. Gallicani Mart. *dupl.* | CCLXV |
| 27 | S. Guilielmi Abb. *dupl.* (assign. ex 25) | 818 |
| 28 | (vel 4 *Jul.*) S. Irenæi Ep. M. *dupl.* | CCLXVII |

## MENSE JULIO

| Die | | Pag. |
|---|---|---|
| 3 | S. Pauli I. Pp. C. | 30* |
| 4 | (v. 28 *Jul.*) | |
| 7 | B. Benedicti XI. Pp. C. | CCLXXIV |
| 9 | Prodigiorum B. M. V. *dupl. m.* | 31* |
| 11 | S. Pii I. Pp. M. | ib. |
| 13 | S. Anacleti Pp. M. | ib. |
| 17 | S. Leonis IV. Pp. C. | 32* |
| 19 | S. Symmachi Pp. C. | ib. |
| 21 | S. Alexii Conf. *dupl.* (assign. ex 17 *huj.*) | CCLXXVII |
| 24 | S. Vincentii a Paulo C. *dupl.* (assign. ex 19 *huj.*) | 859 |
| 27 | S. Veronicæ de Julianis Virg. *dupl.* (assign. ex 9 *huj.*) | CCLXXV |
| 28 | SS. Victoris I. Pp. M. — Innocentii I. Pp. Conf. et Soc. Mm. | 33* |
| 29 | S. Felicis II. Pp. M. | ib. |
| 30 | S. Marthæ Virg. *semid.* (assign. ex *heri*) | 870 |

## MENSE AUGUSTO

| Die | | Pag. |
|---|---|---|
| 2 | S. Stephani Pp. M. | 34* |
| 6 | Transfigur. D. N. J. C. *dupl.* 1. *cl. cum Oct.* | 882 |
| 9 | S. Emygdii Ep. M. *dupl.* (tot. Offic. propr.) | CCLXXXI |
| 11 | S. Xysti II. Pp. M. | 34* |
| 13 | Oct. Transfig. D. N. J. C. *dupl.* | ib. |
| 14 | S. Hormisdæ Pp. C. *dupl.* | 35* |
| 16 | S. Rochi Conf. *dupl.* | 36* |
| 18 | S. Hyacinthi Conf. *dupl.* (ass. ex 16 *huj.*) | 907 |
| 19 | S. Philumenæ Virg. M. *dupl.* | CCLXXXIV |
| 24 | S. Alphonsi M. de Ligorio Ep. C. (assign. ex 2 *huj.*) | 877 |
| 26 | S. Zephyrini Pp. M. | 36* |

## MENSE SEPTEMBRI

| Die | | Pag. |
|---|---|---|
| 1 | S. Ludovici Regis Conf. *semid.* (assign. ex 26 *Aug.*) | 920 |
| 4 | S. Rosæ Viterb. Virg. *dupl.* | CCLXXXIX |
| 9 | S. Sergii I. Pp. C. | 36* |
| 10 | S. Hilari Pp. C. | 37* |
| 11 | S. Nicolai de Tolent. C. *dupl.* (assign. ex *heri*) | 937 |
| 16 | SS. Cornelii Pp. et Cypriani Ep. Mm. *dupl.* | 954 |
| 20 | S. Agapiti I. Pp. C. | 38* |
| 25 | SS. Eustachii et Soc. Mm. *dupl.* (assign. ex 20 *huj.*) | 962 |
| 26 | S. Eusebii Pp. C. *dupl.* | 39* |

## MENSE OCTOBRI

| Die | | Pag. |
|---|---|---|
| 1 | S. Gregorii Ep. Maj. Armen. et M. *dupl.* (Comm. S. Remigii Episc. C.) | CCXCI |
| 5 | S. Gallæ Vid. *dupl.* | CCXCII |
| 7 | S. Marci Pp. Conf. | CCXCIII |
| 14 | S. Callisti Pp. M. | 40* |
| 23 | SS. Redemptoris *dupl. maj.* | CLXXXVI |
| 24 | S. Raphaelis Archang. *dupl.* | CCXLV |
| 25 | S. Bonifacii Pp. C. | 40* |
| 26 | S. Evaristi Pp. M. | 41* |
| 31 | S. Siricii Pp. C. | ib. |

## MENSE NOVEMBRI

| Die | | Pag. |
|---|---|---|
| 9 | Dedicat. Basil. Salvatoris, *dupl.* 1 *clas. cum Oct.* | 1020 |
| 13 | Stanislai Kostkæ Conf. *dupl.* | CCCV |
| 14 | S. Deusdedit Pp. C. | 43* |
| 16 | Oct. Dedic. Basil. Salv. *de Com.* | CIII |
| 17 | S. Gregorii Thaum. Ep. C. *dupl.* | 1029 |
| 19 | S. Pontiani Pp. M. | 44* |
| 26 | S. Silvestri Abb. *dupl.* | CCCVI |
| 27 | S. Elisabeth Vid. *dupl.* (assign. ex 19 *huj.*) | 1032 |
| 28 | S. Gregorii III. Pp. C. | 3* |
| 29 | S. Gelasii Pp. C. | 4* |

**Habita Facultate.**

cidìsset, virique gravìssimi divèrsum sentirent; àccidit eo ipso tèmpore, ut in Diaconìa sanctòrum màrtyrum Cosmæ et Damiàni in foro Romàno, quidam, thesàurum quærèntes, in arcam marmòream incìderint, in qua corpus sancti Felìcis repèrtum est, una cum lapìdeo latèrculo, ibìdem intus pòsito, hisque lìtteris exaràto: Corpus sancti Felìcis Papæ, et màrtyris, qui damnàvit Constàntium. Còntigit id prìdie ejus dièi, quo Felìcis in Ecclèsia natàlis dies agi consuèverat, quarto Kalèndas Augùsti, anno Dòmini millèsimo quingentèsimo octogèsimo secùndo. Unde Felice quasi pro se testimònium reddènte, festum ejus in eàdem Diaconìa, cum majòri solemnitàte sìngulis annis celebràri consuèvit.

℟. Honèstum.

Lect. v. et vi. Sermònem èxigit etc., ut supra, 27*.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

In Laud. fit comm. SS. **Simplicii** et Socior. Mm. (in Brev. 870), omisso in Orat. nomine Felìcis.

## FESTA AUGUSTI

### DIE II.

**S. Stephani** I. Papæ Mart.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos beàti.

In II. Noct. Lect. ut in Propr. Brev., 879, et ex 1. fiunt 3. juxta signa *.

In III. Noct. Hom. de Com. 2. loco.

### DIE XI.

**S. Xysti** II. Papæ Mart.

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem.

In II. Noct. Lect. iv. propr. ut in Brev., 888.

Lect. v. et vi. Sermo s. Augustini Sermònem èxigit, ut supra in festo s. Urbani die xxviii. Maji, 27*.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

ix. Lect. SS. **Tiburtii** et **Susannæ** Mart., 896.

In Laud. comm. Oct. **Transfig.** 889, in Brev., et Oct. **s. Laurentii**, 894, atque SS. Mart. Or. 895.

### DIE XIII.

Octava **Transfigur. D. N. J. C.**

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter seq.

Lect. I. Noct. de Script. occurr.

**IN II. NOCTURNO**

Sermo sancti Cyrilli Episcopi Alexandrìni.

Ap. Metaphr. Lectio iv.

ARBITRÀTUS fortàsse beàtus Petrus advenìsse tempus regni Dei, in monte quidem versàri dèligit: dicit àutem tria esse faciènda tabernàcula, nèsciens quid diceret. Non erat enim tempus consummatiònis sæculi, neque in præsènti tèmpore sunt sancti futùri partìcipes spei eis promìssæ. Cum ergo dispensàtio àdhuc esset in princìpio, et nondum esset fìnita, quòmodo erat consentàneum, Christum, qui vènerat propter caritàtem in mundum, desìnere pro eo velle pati? Nescièbat ergo Petrus, quid dìceret.

℟. Inebriàti sunt, 886.

Lectio v.

CÈTERUM præter admiràbile et arcànum Christi glòriæ spectàculum, àliquid quoque àliud factum est ùtile, et necessàrium, ad confirmàndam in se fidem, non solis discìpulis, sed ètiam nobis ipsis. Dèsuper enim ex alto èxtitit vox Dei, et Patris dicèntis: Hic est Fìlius meus dilèctus, in quo mihi bene complàcui, ipsum audite. Et dum facta est, inquit, vox, invèntus est solus Jesus. Ecce præsènte Mòyse Pater jubet sanctis Apòstolis, ut eum àudiant; quod si eos voluìsset sequi præcèpta Mòysis, dixìsset, servàte legem. Nunc àutem ne hoc quidem dicit Deus, et Pater. Àberat quidem Mòyses, Elìas àutem

non àderat, solus vero erat Christus: jussit ergo ipsum audìre. Ipse est enim finis legis, et Prophetàrum.

℟. Præcèptor, 886.

Lectio VI.

Proptèrea Judæòrum pòpulum allocùtus est, dicens: Si crederètis Mòysi, crederètis ùtique mihi: ille enim de me scripsit. Quòniam àutem, et per sapientissimum Mòysen datum præcèptum contèmnere, et quæ per sanctos Prophètas dicta sunt nihil dùcere, perpètuo perseveràrunt, jure sunt abalienàti, et exturbàti a bonis quæ promissa sunt ipsis Pàtribus. Obedièntia enim mèlior est, quam sacrificium; et auscultàtio, quam àdipes agnòrum, sicut scriptum est, et ita quidem se habet Rex Judæòrum. Nobis àutem, qui ejus advèntum agnòvimus, òmnia omnino bona àderunt per ipsum et in ipso Christo. Per quem, et cum quo, Deo et Patri glòria et potèntia cum Sancto Spiritu, in sæcula sæculòrum. Amen.

℟. Si ministràtio, 887.

**IN III. NOCTURNO**

Lèctio sancti Evangèlii secùndum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 17.

In illo tèmpore: Assùmpsit Jesus Petrum, et Jacòbum, et Joànnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excèlsum seòrsum, et transfiguràtus est ante eos. Et rèliqua.

De Homilìa s. Ambròsii Epìscopi.

Lib. 7. in Luc. c. 9.

Hic est filius meus dilèctus; hoc est, non Elìas filius, non Mòyses filius, quem solum vidètis; recèsserant enim illi, ubi cœpit Dòminus designàri. Vides hanc non solum insipièntium, sed ètiam perfectòrum, imo ètiam cœlèstium fidem esse perfèctam, Filium Dei scire. Sed quòniam hæc jam supra dìximus, cognòsce nubem istam non fumigàntium esse mòntium nebulòso humòre concrètam, et coàcti àeris calìgine pìceam, quæ cœlum tenebràrum horròre subtèxerat: sed lùcidam nubem, quæ nos non pluviàlibus aquis, et humèntis alluviòne imbris immàdidet, sed de qua mentes hòminum, voce Dei omnipotèntis emissa, ros fidei rigàvit.

℟. Vocàvit nos, 887.

Lectio VIII.

Itaque cum tres essent, unus est factus. Tres in princìpio vidèntur, unus in fine. Perfècta enim fide unum sunt. Dènique hoc ètiam Dòminus Patrem orat, ut omnes unum simus. Nec solum Mòyses, et Elìas in Christo unum sunt, sed ètiam nos unum corpus sumus Christi. Ergo, et illi tamquam in uno còrpore, recipiùntur in Christi corpus, quia et nos unum èrimus in Christo Jesu. Aut fortàssis, quia lex et prophètæ ex verbo; quæ àutem ex verbo cœpèrunt, in verbo dèsinunt. Finis enim legis est Christus, ad justìtiam omni credènti.

℟. Deus, qui fecit, 188.

Lectio IX. **SS. Hippolyti et Cassiani** Mm. ut in Breviario, 899.

In Laud. fit comm. Oct. S. **Laurentii et SS. Mart.**, 887.

**DIE XIV.**

**S. Hormisdæ** Papæ et Conf.

Duplex. (M. S.)

Oratio. Da, quæsumus.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Hormìsdas natiòne Campànus, Justo patre Frusinàte, sèptimo a Sýmmachi òbitu die, cum jam sanctæ Romànæ Ecclèsiæ Diàconus esset, summa òmnium consensiòne, ad sanctam Petri sedem provèctus est; in qua ita se gessit, et dominico gregi pascèndo sèdulam òperam navàvit, ut non sine singulàri Dei providèntia, ac divìno consìlio elèctum fuìsse, per-

spèctum sit. Hoc quippe hòmine, iis tempòribus Ecclèsia indigèbat, qui, et res àrduas facièndas animòse susciperet, et suscèptas ad optàtum finem strènue perdùceret.

℟. Invèni David.

Lectio v.

UBI suprèmum Pontificis munus iniit, totum fere Christiànum orbem sub règibus bàrbaris vel hærèticis gemèntem invènit, et distràctam in partes Ecclèsiam. Sed octo annòrum spàtio, vir plane Deo plenus, perènni cura, ac felici labòrum suòrum evèntu, eo rem addùxit, ut Orientàles Ecclèsiæ ab octogìnta circiter annis, fœdo schìsmate separàtæ, subscrìpto libèllo, quem is per suos legàtos mìserat, ad unitàtem redierint; et Àfricæ sui Epìscopi, quos in Sardiniam Vàndali relegàrant, fùerint restitùti, et Lazòrum Rex ac pòpulus ad Christi fidem, ejus òpera, indùctus sit; ac demum Clodòveus Francòrum Rex, ad eàmdem fidem convèrsus, solèmni legatiòne ad Sedem Apostòlicam, corònam àuream gemmis distinctam Hormìsdæ obtùlerit, ad perpètuum obedièntiæ, et fidei monumèntum.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

MANICHÆOS item discùssit, eorùmque còdices ante fores Constantiniànæ Basìlicæ incèndio concremàvit. Complùres epìstolas scripsit ad vàrios, per univèrsum orbem Christiànum, in quibus ardentìssimus zelus religiònis amplificàndæ, quo medùllitus flagràbat, sacràrum litteràrum scièntia, cum limpidìssimo et amœno stylo conjùncta, qua plùrimum valèbat, singulàris rerum gerendàrum perìtia, præsèrtim cum Règibus, et Optimàtibus, qua præ cèteris pollèbat, aliǽque heròici ànimi dotes, mirum in modum elùcent. Ejus demum pia liberàlitas in egènos, et sacras ædes profùsa fuit. Ac tandem suòrum votòrum compos, annis, ac mèritis gravis, et rerum gestàrum glòria, apud Deum et hòmines celebèrrimus, post novem Pontificàtus annos, ad cœlèstem pàtriam migràvit, anno Christi quingentèsimo vigèsimo tèrtio, exànimi còrporis exùviis Vaticànæ Basìlicæ relictis.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco.

Lectio IX. Vigil. Assumpt. ut in Breviario, 900.

In Laud. fit comm. Oct. **s. Laurentii, Vigil.** ac **s. Eusebii** Conf.

DIE XVI.

**S. Rochi** Confessoris

Duplex.

Omnia ut in Brev. pro Aliq. Locis, CCLXXXV, præter Lect. III. Noct. quæ sunt:

Hom. in Evang. Nolite timère, de Com. 2. loco, LXVI.

DIE XXVI.

**S. Zephyrini** Papæ Mart.

Duplex.

Oratio et IV. Lect. propr. in Brev. 920.

Lect. V. et VI. Pastor bonus, ut supra in festo s. Antheri, 9*.

In III. Noct. Hom. de Com. un. Mart. 2. loco, XXIII.

## FESTA SEPTEMBRIS

DIE IX.

**S. Sergii** I. Pp. et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quǽsumus.

### IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

SÈRGIUS Antiochènus gènere, Tibèrio patre, Panòrmi in Sicilia natus, Conòne vita functo, anno Christi sexcentèsimo octogèsimo sèptimo, annuènte Deo, et suffragàntibus òmnium votis, in sacro Lateranènsi Pa-

làtio assùmptus, fœdìssimum schisma, quod Exàrchi Imperatòris avaritia, et Paschàlis Archidiàconi ambìtio excitàrant, in ipso ortu extìnxit. Adeòdato Pontìfice, Romam vèniens, in Ecclèsiæ Romànæ clerum ab eòdem adscitus, et a Leòne hujus nòminis Secùndo Prèsbyter Tìtuli sanctæ Susànnæ ordinàtus, ìmpigre suo mùnere defùnctus est.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Cànones a Græcis sextæ Sỳnodo dein affìctos, instànte licet, et dira minànte Imperatòre, admittere nòluit, sed ut spùrios non sine vitæ perìculo, constànter abjècit. Magnam domìnicæ Crucis portiònem, revelànte Deo a se invèntam, in Basìlica Constantiniàna pòpulo adoràndam collocàvit. Corpus sancti Leònis in obscùro cònditum àngulo, Dei nutu inde amòvit, et ornatiòri loco, òmnibus colèndum expòsuit. Basìlicam demum Vaticànam innùmeris donis ornàvit, egrègiis certe amòris sui erga Prìncipem Apostolòrum monumèntis.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Kiliànum et sòcios, martỳrio deìnde affèctos, in Germàniam, Wilebròrdum, et Suwibèrtum, cum sòciis in Frìsiam aliàsque circumjèctas regiònes misit, in quibus màximum Paganòrum nùmerum ad Christi fidem convertèrunt. Coadvàllum Britònum Regem Romam venièntem excèpit, et sacro baptìsmate tinxit. Ravennàtibus Damiànum, Legionènsibus Ubèrtum, Britànnis Berectuàldum Epìscopos ordinàvit. Stàtuit, ut Liturgiæ sacræ pius versus: Agnus Dei, qui tollis peccàta mundi, miserère nobis; adderètur. Mèritis dènique plenus, postquam sedìsset trèsdecim annis, mènsibus octo, sancto fine quièvit, ac sepùltus est in Vaticàno.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 1. loco. Lect. ix et comm. s. **Gorgonii** M. in Laud., ac Oct. **Nativ.** 1. loco, in Brev., 937.

DIE X.

**S. Hilari** Papæ, et Confessoris.

Duplex.

Oratio. Exàudi.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Hìlarus natiòne Sardus, Patre Crispìno gènitus, post Sancti Leònis trànsitum, Romànæ Ecclèsiæ Pòntifex factus est. Eum àdhuc Diàconum idem Leo Legàtum destinàvit pro Ephesina Sỳnodo celebrànda: sed cum Diòscori Alexandrìni Epìscopi furòre, per vim et metum, Ephesi patrarèntur indìgna, Hilarus, vix effùgiens per ìnvia loca, et multa perìcula, divìna ope liberàtus, ad Leònem revèrsus est. Pòntifex àutem renunciàtus, nihil antìquius hàbuit, quam, quæ contra hærèticos constitùta fùerant, suo decrèto firmàre. Quamòbrem encỳclicam Epìstolam scripsit de damnatiòne Nestòrii, et Eutychètis, ac trium præcipuòrum confirmatiòne Conciliòrum.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Ab eo invitàtus Victorìnus, natiòne Aquitànus, paschàlem cursum cautìssima indagatiòne compòsuit. Ecclesiàsticæ disciplìnæ retinentìssimus, nullum vòluit Epìscopum per Ecclèsias consecràri, præter Metropolitàni consènsum, nec Epìscopum quèmpiam, relìcta pròpria Ecclèsia, ad àliam transfèrri, neque transcèndi tèrminos a Pàtribus constitùtos. Leòntium Arelatènsem Epìscopum, suæ Sedis Vicàrium constìtuit per Gàllias, cui sollicitùdinem in congregàndis quotànnis Epìscopis delegàvit. Ecclèsiæ prædia, quæ neque desèrta, neque inùtilia essent, quibus pluri-

mòrum necessitàtibus subvenirètur, alienàri, nisi prius apud Concìlium alienatiònis càusa dicta, prohibuit: àliaque complùra sancte decrèvit in ea Sỳnodo, quam apud Sanctam Mariam Majòrem coègit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Anthèmium Imperatòrem, cum Philòtheus Macedoniànus, ejus familiaritàte suffùltus, nova diversàrum conciliàbula sectàrum in Urbem conarètur indùcere, apud beàtum Petrum Apòstolum, palam, ne id fieret, objurgàndo, cohibuit; in tantum, ut ea non fore introducènda promìserit Imperàtor, interpòsito ètiam juramènto. Fecit in Constantiniànæ Basilicæ Baptistèrio Oratòria quàtuor, nempe Sanctæ Crucis, Sancti Joànnis Baptistæ, Sancti Joànnis Evangelistæ, et Sancti Stèphani, ac ìnsuper Bibliothècas duas. Monastèrium construxit una cum bàlneo, et Prætòrio ad Sanctum Laurèntium foris, àlterumque in Urbe ad Lunam. Plura, atque magnìfica tum àlia ornamènta ex àuro, argènto, lapidibùsque pretiòsis, Sacris locis còntulit. Constituit in Urbe ministeriàles, qui præfixas obìrent statiònes. Pro commùni sacerdòtum Dòmini concòrdia sollìcite procuràvit, ne sua audèrent quærere, sed quæ essent Christi studèrent obtinère. Demum ipse, còrpore solùtus, àbiit in Cœlum regnatùrus cum Christo, quarto Idus Septèmbris, sub Imperatòribus Leòne et Anthèmio; ejùsque corpus sepùltum fuit ad sanctum Laurèntium in crypta, juxta corpus beàti Xysti. Una ordinatiòne mense Decèmbri creàvit Presbỳteros viginti quinque, Diàconos sex, Epìscopos per divèrsa loca vigìnti duos. Apostòlicæ sedis règimen tènuit annos sex, menses novem, dies vigìnti et octo.

℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. de Com. 2. loco.

DIE XX.

**S. Agapiti I.** Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Lect. I. Noct. de Script. occurr., sed in iv. Temp. Fidèlis sermo.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Joànne, hujus nòminis Secùndo, e vivis sublàto, Agapìtus Romànus gènere, patre Gordiàno, sanctæ Romànæ Ecclèsiæ Archidiàconus, propter singulàrem eruditiònem, qua probe, et apprìme instrùctus erat, et compòsitos castigatìssime vitæ mores, quibus præ cèteris eminèbat, commùnibus totìus cleri suffràgiis, et òmnium bonòrum gratulatiòne ad sanctam Petri sedem promòtus est; et sublìmem illam provinciam perìnde administràvit, ac si non ab homìnibus, sed ab ipso Deo elèctus fuìsset.

℟. Invèni David.

Lectio v.

Egrègiis làudum tìtulis ab antìquis Pàtribus decoràtus est, dictùsque ab iis præco justìtiæ, Evangèlii tuba, vas cathòlicum, vir pietàte et miràculis celebèrrimus, quibus heròicas illìus virtùtes, et Apostòlicæ vitæ sanctimòniam Deus illustràvit. Àliquot hujus sanctìssimi Præsulis Decretàles extant, in quibus Cathòlicæ fìdei dògmata sarta tèctaque servàntur, Ecclesiàsticæ disciplìnæ forma, et règula tràditur, sacròrum Cànonum, et antiquàrum traditiònum indemnitàti consùlitur, ac demum omnes et sìngulæ pastoràlis solicitùdinis partes implèntur.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio vi.

Constantinòpolim profèctus est, àlio prorsus, quam ad quem hòmines illum destinàrant, consìlio, divìno scìlicet instinctu, et nutu, ut Àntimum hærèticum Patriàrcham Constantino-

politànum, Theodòræ Imperatrìcis malis àrtibus intrùsum exauctoràret, atque damnàret, et in ejus locum Mennam substituèret. Patriachàles item sedes Alexandrìnam, et Antiochènam, extrùsis hærèticis, Cathòlicis Pastòribus restituèret. Sed tandem biènnio Pontificàtus nondum explèto, vir sanctìssimus, in quo nihil, nisi longiòrem vitam Cathòlici desideràssent, Constantinòpoli pie òbiit anno Christi quingentèsimo trigèsimo sexto. Ejus corpus Romam translàtum, in Vaticàno cònditum est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco. Lectio IX. de Hom. et comm. Vigil. nisi venerit in IV Temp..

DIE XXVI.

**S. Eusebii** Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæ̀sumus.

**IN II. NOCTURNO**

Lectio IV.

Eusèbius natiòne Græcus, patre Mèdico, post sanctum Marcèllum Romànæ Ecclèsiæ est constitùtus Epìscopus. Is hærèticos invènit in Urbe, quos resipiscèntes, sola mànuum impositiòne, Ecclèsiæ reconciliàvit. Cui et e Sardìnia accèdens nòbilis fèmina Restitùta, filium suum erudièndum tràdidit, quem egrègie fide christiàna imbùtum baptizàvit, suòque nòmine insignìvit, atque Eusèbium nominàvit. Dignum plane tanti Pontìficis germen, quo Vercellènsi pòstea Episcopo, fides cathòlica in Oriènte propèmodum extincta, lætiòre propàgine revivìsceret. Cum àutem Eusèbius, una ordinatiòne mense Decèmbri, Presbỳteros trèsdecim, Diàconos tres, Epìscopos quatuòrdecim per divèrsa loca creàsset, beàto fine quièvit, sepultùsque est in Cœmetèrio Callisti via Appia, sexto Nonas Octòbris, sub Constantino Imperatòre. Rexit Ecclèsiam annos duos, menses octo, dies sèxdecim.

℟. Invèni David.

Sermo sancti Ambròsii Epìscopi.

De s. Eusebio 70, 6. Edit. Rom.

Lectio V.

Depositiònem sancti Eusèbii hòdie celebràmus. Quid est depositio? Non illa ùtique, quæ, sepelièndis in terra membròrum relìquiis, clericòrum mànibus procuràtur, sed illa, qua homo vìnculis carnàlibus absolùtus, liber itùrus ad cœlum, terrènum corpus expònit. Ipsa plane est depositio, in qua concupìscere abjìcimus, cessàmus delinquere, peccàre desìnimus, et totum quidquid salùti est grave, quasi abjècta sàrcina òneris expònimus. Nam ideo hæc dies pro celebritàte màxima procuràtur, quia vere est summa festìvitas mòrtuum esse vìtiis, soli vigère justìtiæ.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Unde et depositiònis ipsa dies natàlis dìcitur, quod delictòrum càrcere liberàti, libertàti nàscimur Salvatòris. Sed videàmus, sanctus Eusèbius cum qua glòria ad hanc diem depositiònis advènerit. Volàre non potest, nisi quod purum, leve atque subtìle est: cujus nec sincèritas intemperàntia retardàtur, nec alàcritas, nec velòcitas mole gravàtur: gravàri àutem volàtum dico, non tam mole membròrum, quam pòndere delictòrum. Unde puto ètiam in ipsis àvibus ìdeo velòcius colùmbam pene præ òmnibus volitàre, quod alacritàtem et innocèntiam comitètur. Volàvit ergo hac die sanctus Eusèbius: æstimèmus jam ejus innocèntiam de volàtu, et puritàtem ejus de ipsa elatiòne judicèmus. Tamquam colùmba enim in domo Dei degens, assùmpsit spiritàles pennas, et requièvit in monte.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco. Lectio IX. (ex 2. fit 1.) et comm. s. **Cypriani** et Soc. Mart. in Laud., 967.

## FESTA OCTOBRIS

### DIE XIV.

### S. Callisti Papæ Martyris.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Brev., 992, præter Orat. in qua, loco: per Sanctòrum tuorum, dicitur: per beàti Callisti Màrtyris tui atque Pont., etc.

### DIE XXV.

### S. Bonifacii I. Papæ et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quǽsumus.

### IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Bonifàcius Romànus, patre Jucùndo Presbỳtero, post beàtum Zòsimum humànis rebus exèmptum, Romànæ Ecclèsiæ Episcopàtum adèptus est. Is annòsus Prèsbyter, ac in lege doctissimus, bonìsque mòribus comprobàtus, invìtus ac relùctans, totius pòpuli acclamatiòne, ac Urbis optimàtum consènsu, ac septuagìnta Presbỳteris, novèmque diversàrum provinciàrum Epìscopis divìnæ institutiònis òrdine servàto, consecràtus est in Basìlica Jùlii, quo tèmpore Eulàlius Archidiàconus, Diacònibus circumvèntis, paucissimìsque de Clero ac multitùdine turbàtæ plebis, in locum sibi non dèbitum, per àmbitum pròruens, ordinàtur in Constantinià-na Basìlica. Eo in schismate Bonifàcius legìtimus Pòntifex, vehemènter deprèssus, coàctus est beàti Petri Basìlicam desèrere, et una cum suis ad beàti Pàuli secèdere. Delàta mox càusa ad Episcopòrum Concìlium, cum Patres inter se dissidèrent, pleniòri Sỳnodo res tota servàtur, jussis intèrea, Honòrii Augùsti òpera, tum Bonifàcio, tum Eulàlio, ab Urbe discèdere. Quare hic Àntium, sanctæ Felicitàtis Basìlicam ille pètiit.

℟. Invèni David.

Lectio V.

Sed cum Eulàlius se in Urbem intrusisset, occasionèmque præbuìsset pùblicæ seditiònis, Honòrius ea re commòtus, Eulàlium Urbe pellèndum, Bonifàcium vero in eam inducèndum rescrìpsit, quod frequènti Episcopòrum Sỳnodo confirmàtum fuit. Ìtaque Bonifàcius regrèssus, sollìcita cura conàtus est cunctos in mùtuam restitùere concòrdiam, cui et in futùrum consùluit, ne post òbitum suum graviòri scissùra distraherètur Ecclèsia. Piissimòrum àutem Imperatòrum devotiòne gaudèbat, et contra inimìcos gràtiæ Dei, non solum Apostòlicis, sed ètiam règiis utebàtur edìctis; et licet ipse doctìssimus esset, advèrsus libros tamen Pelagianòrum, beàti Augustìni Epìscopi respònsa poscèbat; cui et Augustìnus tantum dètulit, ut ei sua scripta non tam ediscènda, quam examinànda et emendànda dirèxerit.

℟. Pòsui adjutòrium.

Lectio VI.

Patroclum Arelatènsem Epìscopum alienæ Metròpolis jura invadèntem, reprèssit, datìsque lìtteris ad Hilàrium Narbonènsem Episcopum, jussit, ut jure Metropolitàni, et Apostòlicæ Sedis præceptiòne, ad pervàsum locum accèderet, agèndaque vidèret, et Apostòlicæ Sedi cuncta refèrret. Constituit, ne mùlier, vel Mònacha, sacràta pàllia contingeret aut lavàret; neve quis incènsum in Ecclèsia pòneret, nisi minister esset. Servum vel cùriæ, vel rei cuìlibet obnòxium, Clèricum fieri vètuit. Fecit Oratòrium in Cœmetèrio sanctæ Felicitàtis màrtyris juxta corpus ejus, cujus, itèmque sancti Silvàni sepùlcrum ornàvit, plùribus donis oblàtis. Dènique fama celebèrrimus, et

gràtia Dei plenus, ejùsdem glòriam adèptus est, Honòrio et Theodòsio principibus, sepultùsque in Cœmetèrio sanctæ Felicitàtis via Salària, octàvo Kalèndas Novèmbris. Semel mense Decèmbri creàvit Presbỳteros trèsdecim, Diàconos tres, Epìscopos per divèrsa loca sex supra trigìnta. Pontificàtum tènuit annos quinque, minus duòbus mènsibus, et tribus dièbus. ℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco. Lect. IX. et comm. SS. **Chysanthi et Dariæ** in Laud., 999.

### DIE XXVI.

### S. Evaristi Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Infirmitàtem

### IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Evaristus Græcus natiòne, patre Judæo gènitus, christiànæ pietàtis studiosìssimus, Trajàno Imperatòre ad Càthedram Petri promòtus est, seditque in ea annos novem, menses tres. Fecit Ordinatiònes quàtuor mense Decèmbri, ac creàvit Presbỳteros decem et septem, Diàconos duos, Epìscopos per divèrsa loca quìndecim.

℟. Honèstum.

Lectio V.

Ecclesiàrum Tìtulos urbis Romæ Presbỳteris eum divisìsse lègimus, ut unusquìsque suæ Parœciæ tèrminis ac limìtibus distinguerètur: et mandàsse ut altària, in quibus Sacra fiunt, extrùcta ex làpide, benedicerèntur: ut septem Diàconi Epìscopum custodìrent, ipsìque adèssent, dum prædicatiònis evangèlicæ officio et ministèrio fùngitur, quasi tràditæ ab illo doctrìnæ testes.

℟. Desidèrium.

Lectio VI.

Constituit ètiam, ex traditiòne apostòlica, ut matrimònium pùblice celebrètur, et Sacerdòtis benedìctio adhibeàtur. His, aliìsque salutàribus, utilibùsque constitutiònibus edèndis, Pontificàtus sui tempus transègit; non tamen illud omìsit, ut simulacròrum cultum ex ànimis hòminum avèlleret: qua in re cum strènue laboràsset, martỳrio coronàtus est, ac sepùltus prope sepùlcrum Principis Apostolòrum in Vaticàno, sèptimo kalèndas novèmbris.

℟. Stola jucunditàtis.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

### DIE XXXI.

### S. Siricii Papæ et Conf.

Duplex. (M. S.)

Oratio.

Deus, qui beàtum Sirìcium Confessòrem atque Pontìficem Ecclesiàsticæ disciplìnæ propagatòrem exìmium effecìsti: da Ecclèsiæ tuæ, ejus institùtis profìcere, et mèritis adjuvàri. Per Dòminum.

### IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Sirìcius Romànus ex Presbỳtero Tìtuli Pastòris, vita functo sancto Dàmaso Papa, Cleri, populìque univèrsi acclamatiòne ad Apostòlicam Sedem evèctus est: obnitènte frustra Ursicìno schismàtico, gratulànte vero in primis Valentiniàno Imperatòre, qui magnum innocèntiæ et probitàtis exèmplum eum prædicàvit. Ipso sui Pontificàtus exòrdio decretàlem epìstolam, salubèrrimis institutiònibus plenam, ad Himèrium dedit Tarraconènsem Epìscopum, àliis Hispaniàrum Ecclèsiis communicàndam, ut corrùpti Clericòrum mores emendarèntur, et disciplìnæ vigor instaurarètur, quam in Àfrica quoque collabèntem, hàbita Romæ Sỳnodo octogìnta Episcopòrum, reparàndam curàvit. ℟. Invèni David.

Lectio V.

Innùmera sunt cætera, quæ pro fìdei defensiòne toto sui pontificàtus tèmpore invìcte perègit. Jovinià-

in Evang. Sint lumbi vestri, de Comm. Conf. non Pont. primo loco, p. 98*.

In Laudib. fit comm. Feriæ.

## FESTA DECEMBRIS.

### DIE I. IN FESTO S. CASTRITIANI EPISC., ET CONF.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus. p. 79*.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

CASTRITIANUS civis Mediolanénsis, in Caji, qui ex hac vita migrárat, locum Epíscopus elígitur absens. Is ubi Mediolánum venit, in pastorálem curam, quam etsi invítus, suscépit, summa tamen vigilántia incúmbens, quæcúmque, ingravescénte páulo ante Domitiáni persecutióne, collápsa erant, restitúere cœpit.

℞. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio V.

PHILÍPPI, nóbilis viri, ædes Deo in Ecclésiam dicávit. Cum autem ob miraculórum, quæ eo loco divínitus fiébant, magnitúdinem, sæpe complúres a Fide Christiána aliéni se ab impietáte ad verum Dei cultum convérterent; is, aucta fidélium multitúdine, alias duas ædes consecrávit, quas duo Philíppi fílii Ecclésiæ donárunt, et has ex eorum nomínibus Portiánam unam, Basílicam Faustæ álteram vocávit. Quam quidem Portiánam cum Ariáni póstea, Justínæ Imperatrícis favóre subníxi, violénter inváderc, ac suo Pséudo-Epíscopo trádere niteréntur, sanctus Ambrósius ex advérso intérritus óbstitit; et in ea cum cathólicis, mori secum parátis, excúbans, primum instítuit, ut Hymni, et Psalmi secúndum morem Orientálium pártium caneréntur, ne pópulus intérea mœròris tædio contabésceret; unde factum est étiam, ut áliæ deínceps Occidéntis Ecclésiæ ritum eúmdem suscéperint.

℞. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Beatus porro Castritiánus Calimérium, qui deínceps ei in Archiepiscopátu succéssit, grecum hóminem, egrégium pietátis cultórem, benígne domi excépit, diûque áluit. Peregrínos, et páuperes fovit perpétuo. His aliísque multis rebus pie gestis, cum unum et quadragínta annos Ecclésiam mediolanénsem administrásset, miráculis, et sanctitáte clarus, ábiit ad Dóminum Kaléndis decémbris. Ejus corpus in Ecclésia sancti Joánnis ad Concham pia veneratióne cólitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Comm. Conf. Pont. primo loco.

In Laudibus fit commem. Feriæ.



## DIE III. DECEMBRIS.

### In festo S. Miroclis Episc., et Conf.

Duplex.

Oratio. Exáudi.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Mírocles, civis mediolanénsis, eruditióne evangélica disciplináque florens, Fídei studio incénsus, omnem in eo sollicitúdinem defíxit, ut disjéctis impúræ superstitiónis ténebris, christiánæ Religiónis lux in omnem partem longe, latéque diffunderétur: id quod, juvánte Deo, in província mediolanénsi assecútus est egrégia archiepiscopális offícii contentióne, præclaróque cœléstium doctrinárum stúdio.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Romam, Melchíade Pontífice, ad Synodum evocátus, cum gravíssima Episcopórum Africæ causa age-

rétur, unus potíssimum in illíus consílio fuit. Certam vero sacrárum precum régulam, ab Apostólicæ institutiónis usu derivátam, præscrípsit. Fuit autem ceterárum virtútum Episcopálium glória valde ádmodum ornátus, sed hospitális máxime; quippe qui domum habúerit perpétuo paténtem, atque expósitam ægris homínibus, egéntibus, et peregrínis.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio VI.

Ecclésiam prætérea mediolanénsem exímie excóluit, tantíque fecit eum beátus Ambrósius, ut concióne in Arianórum arrogántiam invéctus, profiterétur: Absit, ut tradam hæreditátem Patrum: hoc est hæreditátem Dionysii, qui in exílio in causa Fídei defúnctus est: hæreditátem Eustórgii Confessóris; hæreditátem Míroclis, atque ómnium retro fidélium Episcopórum. Sepúltus est in Basílica Portiána. Per éadem témpora Constantínus Magnus cœléstis Crucis osténto eréctus, et ejus effígiem pro signo præferens, insígnem de hóstibus victóriam tulit; sicque tandem decréto Medioláni édito, pax Ecclésiæ réddita est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Comm. Feriæ in Laud.

## DIE V. DECEMBRIS.

### IN FESTO S. FRANCISCI XAVERII CONFESS.

( Hodie assignato ex 3. Decembris ).

Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

In primis Vesp., et Laud. fit comm. S. Sabbæ Abbatis, in qua Antiph., et ℣. variantur.

Reliqua omnia ut in Breviario.

## DIE XVI. DECEMBRIS.

In festo S. Rubiani Episc. Comens., et Conf.
Duplex.

Oratio. Exáudi.
In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente. Reliquæ de Comm. 2. loco.
In Quatuor Temporibus Lect. primi Noct., Fidélis sermo. de Comm. Conf. Pont. Lectio IX. de Homilia Feriæ. Commem. Feriæ in Laud.

## DIE XVII. DECEMBRIS.

In Festo S. Eusebii Episc., et Mart.
(Ex hesterna die hodie assignato). Semiduplex.
Omnia ut in Breviario.

## DIE XVIII. DECEMBRIS.

In festo Expectationis Partus B. V. Mariæ.
Duplex majus.

In primis Vesperis Ant. Missus est Gábriel. cum reliquis de Laudib. Psalmi ut in Off. Parvo B. M. V.

Capitulum. Isaiæ 11.
Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus.

Creator alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Jesu Redémptor ómnium,
Inténde votis súpplicum.
Qui dæmonis ne fráudibus
Períret orbis, ímpetu
Amóris actus, lánguidi
Mundi medéla factus es.
Commúne qui mundi nefas
Ut expiáres, ad Crucem
E Vírginis Sacrário
Intácta prodis víctima.
Cujus potéstas glóriæ,
Noménque cum primum sonat,
Et cœlites, et ínferi
Treménte curvántur genu.
Te deprecámur últimæ
Magnum diéi Júdicem;
Armis supérnæ grátiæ
Defénde nos ab hóstibus.
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

Sic terminantur omnes Hymni ad Completor., et Horas.

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.
Ad Magníficat, Antiph. Spíritus Sanctus in te descéndet, María: ne tímeas, habébis in útero Fílium Dei, allelúja.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Deinde fit comm. S. Eusebii Episc., et Mart. Antiph. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et seguátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cédrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Eusébii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Postea fit commem. Adventus. Antiph. O Sapiéntia, quæ ex ore Altíssimi prodiísti, attíngens a fine usque ad finem, fórtiter suavitérque dispónens omnia: veni ad docéndum nos viam prudéntiæ. ℣. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Oratio Dominicæ præcedentis.

Ad Matutinum, Invitat. Ave, María, grátia plena: * Dóminus tecum.

Psalmus. Veníte.

Hymnus.

Verbum supérnum pródiens
E Patris ætérni sinu,
Qui natus orbi súbvenis,
Labénte cursu témporis;

Illúmina nunc péctora,
Tuóque amóre cóncrema;
Ut cor cadúca déserens
Cœli volúptas ímpleat:

Ut cum tribúnal Júdicis
Damnábit igni nóxios,
Et vox amíca débitum
Vocábit ad cœlum pios;

Non esca flammárum nigros
Volvámur inter túrbines,
Vultu Dei sed cómpotes
Cœli fruámur gáudiis.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

In primo Nocturno, Ant. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet, et illuminábit óculos servórum suórum, allelúja. Psalmus 8.

Dómine, Dóminus noster,* quam admirábile est no-

men tuum in univérsa terra!

Quóniam elcváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, et boves univérsas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster,* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet, et illuminábit óculos servórum suórum, allel. Ant. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Psalmus 18.

Cœli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum,* et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quórum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cœlo egréssio ejus:

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum, et lápidem pretiósum

multum: * et dulcióra super mel, et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. Ant. Ecce nomen Dómini de longínquo: et cláritas ejus replet orbem terrárum.

Psalmus 23.

DÓMINI est terra, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Ecce nomen Dómini de longínquo: et cláritas ejus replet orbem terrárum.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster maniféste véniet.

De Isaía Prophéta.

Lectio I. Cap. 7. b

ET adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, do-

mus David: Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum, et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

℟. Non auferétur sceptrum de Juda, et dux de fémore ejus, donec véniat qui mitténdus est: * Et ipse erit expectátio Géntium. ℣. Pulchrióres sunt óculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidióres. Et ipse erit.

Lectio ii. Cap. 11.

Et egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ, et intelléctus, spíritus consílii, et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ, et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet: sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus: et fides cinctórium renum ejus.

℟. Oriétur stella ex Jacob, et consúrget homo de Israel, et confrínget omnes duces alienigenárum: * Et erit omnis terra posséssio ejus. ℣. De Jacob erit qui dominábitur, et perdet relíquias cívitátis. Et erit.

Lectio iii. Cap. 35.

Lætabitur desérta, et ínvia, et exultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exultábit lætabúnda, et láudans: glória Líbani data est ei: decor Carméli, et Saron: ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite pusillánimis: Confortámini, et nolíte timére. Ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet, et salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum: et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet, sicut cervus, cláudus: et apérta erit lingua mutórum, quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine: Et quæ erat árida, erit in

stagnum, et sítiens in fontes aquárum.

℟. Descéndet Dóminus sicut plúvia in vellus: oriétur in diébus ejus justítia,* Et abundántia pacis. ℣. Et adorábunt eum omnes reges: omnes Géntes sérvient ei. Et abundántia. Glória Patri. Et.

In secundo Noct., Antiph. De Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

Psalmus 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua, et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a déxtris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína áurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia, et exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos

príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne, et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * et in sæculum sæculi.

Ant. De Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

Ant. Ecce Deus noster, expectávimus eum, et salvábit nos, allelúja.

Psalmus 45.

Deus noster, refúgium, et virtus, * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Ecce Deus noster, expectávimus eum, et salvábit nos, allelúja.

Ant. Dóminus véniet, occúrrite illi, dicéntes: Magnum princípium, et regni ejus non erit finis: Deus, Fortis, Dominátor, Prínceps pacis, allelúja.

Psalmus 47.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Dóminus véniet, occúrrite illi, dicéntes: Magnum princípium, et regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominátor, Princeps pacis, allelúja.

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℟. Et flos de radíce ejus ascéndet.

Sermo sancti Ildefónsi Archiepíscopi Toletáni.

Ex libro de virg. B. Mariæ.

Lectio IV.

DÓMINA mea, atque dominátrix mea, dóminans mihi, mater Dómini mei, ancílla Fílii tui, génitrix factóris mundi; te rogo, te oro, te quæso, ut hábeam spíritum Dómini tui, spiritúmque Fílii tui, necnon et spíritum Redemptóris mei, ut de te vera, et digna sápiam, vera, et digna loquar, vera, et digna, quæcúmque sunt, díligam. Tu enim es elécta a Deo, assúmpta a Deo, advocáta a Deo, próxima Deo, adhærens Deo, conjúncta Deo; visitáta ab Angelo, salutáta ab Angelo, benedícta ab Angelo, beatificáta ab Angelo; turbáta in sermóne, attónita in cogitatióne, stupefácta in salutatióne, admiráta in dictórum annuntiatióne.

℟. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, dicit Dóminus: * Et vocábitur no-

men ejus Admirábilis, Deus, Fortis. ℣. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in ætérnum. Et.

Lectio v.

Invenísse te apud Deum grátiam áudis, et ne tímeas jubéris. Unde et tu fidúcia roboráris, cognitióne miraculórum instrúeris, ad novitátem inaudítæ glóriæ provéheris. De prole ab Angelo nuntiáta es, et post fœtum íntegra, et pudíca manes. Certa virgínitas nobis propónitur, et nascitúrum ex te sanctum Dei Fílium tibi ab Angelo evangelizátur; et quæ sit nascéntis Regis poténtia, mirabíliter intimátur. Quómodo fiat, quæris, de orígine intérrogas, de ratióne perscrutáris, de experiéntia requíris, de órdine sciscitáris. Audi inaudítum oráculum, consídera inusitátum opus, animadvérte incógnitum arcánum, atténde invísum factum: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

℟. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum: *Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. ℣. Emítte Agnum, Dómine, Dominatórem terræ, de Petra desérti ad montem fíliæ Sion. Aperiátur.

Lectio vi.

Tota invisibíliter Trínitas conceptiónem operábitur in te, sola persóna Fílii Dei in córpore tuo nascitúra carnem assúmet de te. Ideóque quod concipiétur ex te, quod nascétur ex te, quod pródiet ex te, quod germinábitur ex te, quod parturiétur ex te Sanctum vocábitur Fílius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtútum, hic Rex ómnium sæculórum, hic factor ómnium rerum. Ecce beáta tu inter mulíeres, íntegra inter puérperas, Dómina inter ancíllas, Regína inter sorores. Ecce ex hoc beátam te dicent omnes generatiónes, beátam te novérunt omnes cœléstes Virtútes, beátam te prædicant omnes Vates, beátam te célebrant omnes Natiónes. Beáta tu fídei nostræ, beáta tu ánimæ nostræ, beáta dilectióni nostræ, beáta præcóniis, et prædicatiónibus meis.

℟. Docébit nos Dóminus vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus: *Quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem. ℣. Veníte, ascendámus ad mon-

tem Dómini, et ad domum Dei Jacob. Quia de Sion. Glória Patri. Quia.

In tertio Noct., Antiph. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum.

Psalmus 84.

BENEDIXÍSTI, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti omnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam;

Et super sanctos suos, * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi: * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Ant. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum.

Ant. Ecce véniet Deus, et homo de domo David sedére in throno, allelúja.

Psalmus 86.

FUNDAMÉNTA ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et prín-

cipum, * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Ecce véniet Deus, et homo de domo David sedére in throno, all. Ant. Annuntiáte pópulis, et dícite: Ecce Deus Salvátor noster véniet. Psalmus 95.

Cantate Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam, et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Annuntiáte pópulis, et dícite: Ecce Deus Salvátor noster véniet.

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet ut salvet pópulum suum.

Si hoc Festum venerit in Feria IV. Quatuor Temp. Adv. loco sequentis Homil. leguntur tres Lect. Homiliæ ejusdem Feriæ quartæ, cum ℟℟. quæ hic assignantur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII. Cap. 1. 26.

In illo témpore: Missus est

Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Evang. Lucæ cap. 1.

Ad Maríam Vírginem Gábriel míttitur, qui Dei fortitúdo nominátur; illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aéreas potestátes húmilis apparére dignátus est. De quo per Psalmístam dícitur, Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio. Et rursum: Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ. Per Dei ergo fortitúdinem nuntiándus erat, qui virtútum Dóminus, et potens in prælio contra potestátes aéreas ad bella veniébat. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus. Bene grátia plena vocátur, quæ nimírum grátiam, quam nulla ália merúerat, asséquitur; ut ipsum vidélicet grátiæ concípiat, et géneret auctórem.

℟. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: * Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei. Spíritus. Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo Vírginum intercédat.

Lectio viii.

Ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Jesus, Salvátor, sive Salutáris, interpretátur; cujus sacraméntum nóminis, álloquens Joseph, Angelus expósuit: Ipse enim (ínquiens) salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Non ait, pópulum Israel, sed pópulum suum; hoc est in unitátem fídei ex præpútio, et circumcisióne vocátum: quibus ex diversa parte vocátis fíeret unus pastor, et unum ovíle. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David Patris ejus. Idem ergo Fílius Altíssimi, qui in útero virgináli concéptus, et natus est. Idem homo in témpore creátus ex matre, qui Deus est ante témpora na-

tus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est; omíttat Nestórius, hóminem tantum dícere ex Vírgine natum.

℟. Súscipe verbum, Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est, concípies, et páries Deum páriter, et hóminem, * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres. ℣. Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum: efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. Ut benedícta. Glória Patri. Ut benedícta.

Lectio ix.

Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Ad distinctiónem nostræ sanctitátis Jesus sanctus singuláriter nascitúrus asséritur. Nos quippe, etsi sancti effícimur, non tamen náscimur, quia ipsa natúræ corruptiónis conditióne constríngimur, ut mérito cum Prophéta geméntes sínguli dicámus: Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, et in delíctis péperit me mater mea. Ille autem solus veráciter sanctus est, qui ut ipsam conditiónem natúræ corruptíbilis vínceret, ex commixtióne carnális cópulæ concéptus non est. Sanctum, inquit, vocábitur Fílius Dei. Quid hic dicis, Nestoriáne, qui beátam Maríam Dei negans esse Genitrícem, apérte níteris impugnáre veritátem? Ecce Deum dixit superventúrum, Dei Fílium nascitúrum. Quómodo ergo aut Dei Fílius Deus non est, aut quæ Deum édidit, quómodo Theótocos, id est, Dei Génitrix non esse potest?

Te Deum.

## AD LAUDES,

et per Horas. Antiph.

Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis ut in Comm. Confess. Pontif.

Ant. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus, allel. Ant. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies, et páries fílium, all. Ant. Dabit ei Dóminus sedem David patris ejus, et regnábit in ætérnum. Ant. Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum.

Capitulum. Isaiæ 11.

Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce

ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus.

En clara vox redárguit
Obscúra quæque, pérsonans:
Procul fugéntur sómnia;
Ab alto Jesus prómicat.

Mens jam resúrgat tórpida,
Non ámplius jacens humi:
Sidus refúlget jam novum,
Ut tollat omne nóxium.

En Agnus ad nos míttitur
Laxáre gratis débitum:
Omnes simul cum lácrymis,
Precémur indulgéntiam:

Ut, cum secúndo fúlserit,
Metúque mundum cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed nos pius tunc prótegat.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio;
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Spíritus sanctus supervéniet in te. ℟. Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Ad Benedictus, Antiph. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in ætérnum.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Deínde fit commemoratio Feriæ.

Ad Primam in ℟. brevi dicitur ℣. Qui ventúrus es in múndum.

Ad Tertiam, Antiphona. Ave, María. Capit. Egrediétur. ut supra.

℟. br. Tu exúrgens, Dómine, * Miseréberis Sion. Tu exúrgens. ℣. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. Miseréberis. Glória Patri. Tu. ℣. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ad Sextam, Antiphona. Ne tímeas, María.

Capitulum. Isaiæ 7.

Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum, et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

℟. br. Roráte, cœli, désuper, * Et nubes pluant justum. Roráte. ℣. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. Et nubes. Glória Patri. Roráte. ℣. Emítte Agnum, Dómine, Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Ad Nonam. Antiphona
Ecce ancilla Dómini.

Capitulum. Isaiæ 45.

Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et justítia oriátur simul: Ego Dóminus creávi eum.

℟. br. Emítte Agnum, Dómine, * Dominatórem terræ. Emítte. ℣. De petra desérti ad montem fíliæ Sion. Dominatórem. Glória Patri. Emítte. ℣. Spíritus sanctus supervéniet in te. ℟. Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

In secundis Vesp. omnia ut in primis, præter Antiphonam quintam, cujus loco dicitur sequens:

De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Psalmus 131.

Meménto, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus:

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis: donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu, et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam: * et sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc, quæ docébo eos:

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi, * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens

benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári: * et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Ad Magnificat, Antiph. O Virgo vírginum, quómodo fiet istud? Quia nec primam símilem visa es, nec habére sequéntem. Fíliæ Jerúsalem, quid me admirámini? Divínum est mystérium hoc, quod cérnitis.

Deinde fit comm. Feriæ. Ant. O Adónai, et dux domus Israel, qui Móysi in igne flammæ rubi apparuísti, et ei in Sina legem dedísti; veni ad rediméndum nos in bráchio exténto.

℣. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Oratio Dominicæ præcedentis.

## FESTA JANUARII.

### Die XIV. In festo S. Datii Episc., et Conf. Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Comm. S. Felicis Presb., et Mart. Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut ad meliórem vitam sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Datius, Medioláni natus, admirábili sanctitáte vir, ejus urbis factus Epíscopus, ob fídem cathólicam, quam summópere tuebátur, Episcopátu pulsus, Constantinópolim profícíscens, Corín-

thum venit. Qua in urbe, ut sanctus Gregórius scribit, diversátus est domi, quæ diu ante vácua fúerat, proptérea quod dæmon improbíque spíritus non pateréntur, eam ab ullo hómine íncoli.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

In ea ígitur domo cum Dátius esset, intempésta nocte Sátanas omnem illíus domicílii locum, et rugítu leónum, et pécudum balátu, et mugítu boum, multiplicíque aliárum ferárum stridóre horríbili complet. Quo vir sanctus a somno excitátus: En, inquit, ut tu, præ supérbia tua e cœlo pulsus, dignus es, qui béstias imitéris. Ea voce ille percúlsus repénte ita ábiit, ut in pósterum perpétuo desíerit inféstus iis esse, qui ædes illas deínceps incoluérunt. Hac autem aliísque rebus admirabíliter, et sancte gestis beátus Dátius clarus, cum Ecclésiam Mediolanénsem duos, et vigínti annos administrásset, quiévit in Dómino.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio Vercellensi.

Lectio vi.

Ad sancti ac beatíssimi Patris nostri Datii, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Pa-

tri. Ipse intercédat pro peccátis.

In tertio Noct. Homil. in Evang. Homo péregre. de Comm. Conf. Pont. 1. loco. Pro S. Felice Presb., et Mart.

Lectio IX.

Felix Nolánus Présbyter, cum in idóla vehementius inveherétur, ab infidélibus várie vexátus, in cárcerem conjícitur. Unde ab Angelo nocte edúctus, quærere jussus est Maximiánum Nolæ Epíscopum: qui cum sénio conféctus desperáret, se ferre posse supplícia persequéntium, se abdíderat in silvam. Quo cum Felix Deo duce pervenísset, sanctum Epíscopum humi jacéntem pene mórtuum videt: quem recreátum, ac sublátum in húmeros, apud fidélem víduam reficiéndum curávit. Sed cum is íterum idolórum cultóres impietátis argúeret, facto in ipsum ímpetu, fúgiens, in angústo duórum paríetum intervállo se occultávit. Qui áditus cum repénte araneárum telis pertéxtus visus esset, némini recéntis látebræ suspiciónem relíquit. Inde ígitur evádens Felix, in ædibus piæ mulíeris tres menses látuit. Cum vero Dei Ecclésia requiéscere cœpísset, Nolam rédiens, multísque ibi vitæ exémplis, et doctrínæ præcéptis miraculísque ad Christi fídem convérsis, constánter etiam recusáto ejus urbis Episcopátu, obdormívit in Dómino: sepultúsque est prope Nolam in loco, quem in Pincis appellábant.

Te Deum.

In Laudibus fit comm. S. Félicis. Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut ad meliórem vitam sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

## DIE XVIII. JANUARII.

In festo Ss. Liberatæ, et Faustinæ Virg.

Duplex majus.

Ad Magnificat in utrisque Vesperis, et in Laudibus ad Benedictus, Ant. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

BEATARUM Liberátæ, et Faustínæ Vírginum natalítia veneránda, Dómine, quæsumus, Ecclésia tua devóta suscípiat: ut fiat magnæ glorificatiónis amóre devótior, et tantæ fídei profíciat exémplo. Per Dóminum.

Deinde fit comm. S. Antonii Abbatis, Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

INTERCÉSSIO nos, quæsumus, Dómine, beáti Antónii Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Postea fit comm. S. Priscæ Virg., et Mart. Antiph. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beátæ Priscæ Vírginis, et Mártyris tuæ natalítia cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lect. De Virgínibus. de Comm. Virg.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

LIBERATA, et Faustína Joannátis nobilíssimi viri fíliæ, pie ab eo educátæ, cum interfuíssent plánctibus, et quærélis cujúsdam mulíeris, tunc viro orbátæ, his permótæ, a carnáli matrimónio abstinére, et ad spirituále cum Dei grátia aspiráre decrevérunt: qua re cuidam pio Sacerdóti communicáta, ejus quoque suasiónibus accénsæ, ínscio patre, secum allátis armíllis, ánnulis, cæteríśque suis pretiósis ornátibus, ab arce Genesína discedéntes, superáto Pado, Comum trídui itínere pervenérunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio V.

ÆDIFICARUNT ibi prope portam civitátis oratórium

Divæ Matri (quod póstea sancto Ambrósio dicátum, postrémo dírutum est), ubi contemplatióni divinárum rerum insisténtes, assíduis oratiónibus, jejúniis, et vigíliis córpora macerábant. Egréssæ póstmodum urbe, apud Cóxiam torréntem, ecclésiam sancto Joánni Baptístæ construxérunt, domo ibi ab eis páriter ædificáta, ubi nóbile, et élegans monastérium sanctæ Margarítæ éxtitit usque ad inítium sæculi décimi noni. Hæc postquam rescívit pater, eárum discéssum ægre ferens, missis núntiis, ipsas reducéndas curat; sed cum hi frustra id tentássent, patri renuntiavérunt, fílias Deo sacrátas divínis opéribus insístere, nec ab incœpto dimovéri posse.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Quibus ille permótus, ad eas lítteras religiónis plenas dedit, quibus eas hortabátur, ut in sancto propósito permanérent, eidémque monastério prædia multa donávit. At sanctæ Vírgines, cum divínis oratiónibus, vigíliis, ac jejúniis diu vacássent, exeúnte sæculo sexto, víribus exháustæ, Faustína natu júnior décimo octávo Kaléndas februárias, Liberáta tríduo post e vivis in cœlum sublátæ sunt. Sepúltæ fuérunt ibídem in æde sancti Joánnis Baptístæ. Deínde eárum córpora in urbem transláta ad Ecclésiam Cathedrálem, Leo Lambertèngus comménsis Epíscopus in arca marmórea honorificentíssime repósuit, anno Dómini millésimo tercentésimo décimo séptimo, ad altáre majus, ubi summa veneratióne coluntur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia, et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 13. f

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœ-

lórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homil. 11. in Evang.

Cœlórum regnum, fratres charíssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro comparátur: quem qui ínvenit homo abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et, veniénte Dómino, introívit cum eo ad nuptias. ℣. Média autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et veniénte.

Lectio viii.

Qua in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur: quia stúdium cœléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desíderat qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit: Vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est: sed ut per hoc quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto: ut et de bono ópere próximis præbeámus exémplum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærimus, semper optémus secrétum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. Ecce sponsus venit. Glória. Ecce.

Pro S. Prisca Virg., et Mart.

Lectio ix.

Prisca, nóbilis virgo romána, trédecim annos

nata, Cláudio imperatóre, christiánæ fidei accusáta, ejúsdem jussu ducta ad Apóllinis templum, ut idólis immoláret, cum rem detestarétur, cólaphis cæsa, in cárcerem tráditur: atque inde emíssa, cum in fídei constántia perseveráret, af[-]fécta verbéribus, fervontíque ádipe delibúta, rursus in cárcerem inclúditur. Post tríduum in amphitheátrum prodúcta, leóni objícitur: qui suæ feritátis oblítus, humíliter se ad ejus pedes abjécit. Quæ póstea in ergástulo tríduo inédia afflícta in equúleo suspénditur, et úngulis férreis excarnificáta, in rogum injícitur, unde étiam mirabíliter evásit incólumis. Dénique extra urbem cápite abscísso, virginitátis palmam martyrii coróna cumulávit. Cujus corpus via Ostiénsi, décimo ab urbe milliário, a Christiánis decimoquínto Kaléndas februárii sepelítur.

Te Deum.

In Laudibus pro comm. S. Priscæ, Ant. Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beátæ Priscæ Vírginis, et Mártyris tuæ natalítia cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

In secundis Vesp. comm. sequentis, et SS. Marii, et Sociorum Martyrum.

## DIE XIX JANUARII.

### In festo B. Andreæ a Piscaria Conf. Duplex.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátum Andréam Confessórem tuum apostólico spíritu decorásti: fac nos ejus imitatióne ita verbo et exémplo profícere, ut úberem fructum inde reférre valeámus. Qui vivis.

Comm. SS. Marii, et Soc. Mart. Ant. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Exaudi, Dómine, pópulum tuum, cum Sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: ut et temporális vitæ nos tríbuas pace gaudére, et ætérnæ reperíre subsídium. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. Beátus vir. de Comm. Conf. non Pont. 2. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Andréas Græcus Pischériæ ad Benáci lacum in Diœcési veronénsi paupéribus, piísque paréntibus ortus, vel a téneris annis sanctitátem porténdere visus est. Etenim a puerílibus lúsibus ábstinens, oratióni vacáre, sapidióres dapes respúere, quin et íntegram quadragésimam solo pane, et aqua transígere sólitus fuit: quem deínde morem ad óbitum usque retínuit. Crescénte ætáte, cum egrégia córporis forma castitátis stúdium conjúnxit, speciosásque núptias sibi oblátas non sine glorióso certámine fórtiter, et modéste sprevit. Itaque solo divínæ grátiæ magistério, sacræ Scriptúræ lectiónem únice in delíciis habens, in sortem Dómini omníno vocátus videbátur. Defúncto exinde patre, a quo rei domésticæ invítus præféctus fúerat, multa indígna a duóbus frátribus passus est, ita ut propter eórum improbitátem noctu quandóque extra domum cubáre cogerétur. Sed ómnibus mira patiéntia tolerátis, a pia matre, tristem fílii sortem commiseránte, benedictióne tandem obténta, Bríxiam pétiit, ut, quod jámdiu in votis habúerat, religiósam vitam amplecterétur. In quo illud memória dignum, quod frátribus suis, qui usque ad óppidi portam se illi cómites adjúnxerant, pedes humíliter exosculátus, báculum, idest pene totum quod a patérna domo asportáverat, in sui memóriam iísdem dono dedit, quem póstea mirabíliter floréntem, prodigiísque clarum Pischeriénses in summo honóre habuérunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Novum in Dominicána fa-

mília perfectiorémque indútus hóminem, studiorúmque cáusa Floréntiam missus, in cœnóbio sancti Marci, ubi curis beáti Antónii ab Ecclésia reguláris disciplína tunc máxime vigébat, ad ómnium virtútum ápicem ánimum eréxit, atque obediéntiæ potíssimum se totum mancipávit, sólitus exínde dícere, virum obediéntem idem sonáre ac sanctum. Mox arma lucis adstríngens, vítiis, et erróribus bellum indíxit, jamque apostólico múneri aptus in Rhætiam ex obediéntia commeávit cum Fráte Domínico de Pisis, qui a Benígno Médice, sanctíssimo viro, invitátus fúerat ad missiónes in Valle-Tellína, finitimísque regiónibus obeúndas. Haud fácile dictu, quo ardóre, quo zelo júvenis apóstolus Andréas provínciam illam, quam olim sanctíssimus Pater Domínicus, et venerábilis Pagánus coménsis Inquisítor pro cathólica fide ab erróribus purgáre, et concupíverant, et studúerant, excoléndam suscéperit, quot erróres extirpáverit, quot pérditos hómines ad bonam frugem revocáverit. Nullus fuit tam exíguus locus, tugúrium nullum tam inaccéssum, quo non divérteret ad lucrándas ánimas: apud páuperes libéntius hóspitans, super sarménta semper dórmiens, miliáceo pane, vel castáneis, et aquæ potu vitam susténtans. Tanta demum apud omnes cívium órdines auctoritáte váluit, ut sola præséntia furéntis pópuli tumúltus quandóque sedáret, imo et hæréticos ipsos pertinaciores brevi disputatióne ad Ecclésiæ obediéntiam suáviter allíceret. Dignus plane, qui ut páuperum Pater, Vallis-Tellínæ Apóstolus, imo et Dei Angelus ab ómnibus colerétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Ad fídem in pósterum communiéndam, sanctósque mores tuéndos ecclésias extrúxit, paræciárum númerum áuxit, monastéria a fundaméntis eréxit, inter quæ célebre illud Morbiniénse Fratrum Prædica-

tórum, quod véluti fídei propugnáculum ingruéntibus hærésibus, et vítiis oppósuit. Post quadragínta quinque annórum apostolátum, et vitam miráculis quoque claram, ut réferunt illíus ævi monuménta, numquam tamen addúci pótuit ad præfectúras inter suos exercéndas, solo quæstuatóris offício conténtus. Dénique vir Dei incredibílibus per valles, et montes, inter glácies, et nives exantlátis labóribus usque ad últimam senectútem, in lethálem morbum íncidit, prænuntiatóque mortis die, sacrísque suscéptis inter sodálium lácrymas, placidíssime in Dómino quiévit, anno millésimo quadringentésimo octuagésimo quinto, die décima octáva januárii. Ejus corpus suáviter olens ingénti primum populórum concúrsu humíliter cónditum, deínde in honestiórem locum solémni translatióne bis elátum, Morbínii in ecclésia sui Ordinis summa veneratióne cólitur. Quem Beáti cultum númquam intermíssum Pius Séptimus Póntifex Máximus approbávit, ejúsque Offícium, et Míssam in univérso Prædicatórum Ordine, et veronénsi Diœcesi, nec non coménsi, ex sacrórum rítuum congregatiónis consúlto celebrári posse benígne concéssit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homilía 17. in Evang.

Dóminus, et Salvátor noster, fratres charíssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus, præcépta sunt: quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos

in prædicatiónem discípulos mittit: quia duo sunt præcépta charitátis, Dei vidélicet amor, et próximi: et minus quam inter duos chámitas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére charitátem dícitur: sed diléctio in álterum tendit, ut cháritas esse possit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Ecce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit: quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui charitátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus debet. Bene autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur: quia prædicátio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcúrrunt, atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Pro Ss. Mario, et Sociis, Martyribus.

Lectio IX.

Marius Persa, nóbili loco natus, cum Martha cónjuge pari nobilitáte, et duóbus fíliis, Audíface, et Abachum, Romam venit, Cláudio Imperatóre, ut Mártyrum sepúlchra veneraréтur. Ibi Christiános in víncula conjéctos fovébant, et ópera ac facultátibus suis sustentábant, et Sanctórum córpora sepeliébant. Quamóbrem comprehénsi omnes, cum nec impiórum minis, nec terróre commoveréntur, ut diis sacrificárent; primum fústibus debilitáti, deínde fúnibus attrácti, tum admótis candéntibus láminis combústi, et úngulis férreis excarnificáti sunt. Postrémo,

præcísis mánibus, et ad collum alligátis, ducti per médiam urbem, via Cornélia ad tertiumdécimum ab urbe milliárium, in eum locum, qui Nymphe dicebátur, necántur; ac primum Martha, quæ virum ac fílios ad supplícia pro Jesu Christi fide constánter perferénda veheménter fúerat cohortáta: mox céteris in eádem arenária cervíces abscindúntur, eorúmque córpora conjiciúntur in ignem. Quæ semiústa, Felícitas matróna romána nóbilis, colligénda, et in suo prædio sepeliénda curávit.

Te Deum.

In Laudib. pro commem. Ss Marii, et Sociorum, Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére, multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória.

℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

Exaudi, Dómine, pópulum tuum, cum Sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: ut et temporális vitæ nos tríbuas pace gaudére, et ætérnæ reperíre subsídium. Per Dóminum.

## DIE XXII. JANUARII.

In festo Ss. Vincentii, et Anastasii Mart.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XXIII. JANUARII.

In festo Desponsationis B. M. V.

In primis Vesp. Antiph. de Laud., Psalmi. Capit. et Hymnus ut in Officio Parvo B. M. V.

℣. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnificat, Antiph. Gloriósæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem digníssimam recolámus, quæ et Genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus, Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. SS. Vincentii, et Anastasii Martyr. Ant. Gáudent in cœlis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ideo cum Christo exúltant sine fine.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beatórum Mártyrum tuórum Vincéntii, et Anastásii intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Deinde S. Emerentianæ Virg., et Martyr., Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Emerentiána Virgo, et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxtitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invit. Desponsatiónem Vírginis Maríæ celebrémus, * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus, Ant., Psalmi, et ℣℣. Nocturnorum, ut in Officio Parvo B. M. V.

In primo Nocturno.

Incípiunt Cántica Canticórum.

Lectio i. Cap. 1.

Osculétur me ósculo oris sui: quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me Rex in cellária sua; exultábimus, et lætábimur in te: mémores úberum tuórum super vinum: recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. Hódie desponsáta est beáta Virgo María ex progénie David: * Per quam salus mundi credéntibus appáruit: cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Desponsatiónem beátæ Maríæ Vírginis cum gáudio celebrémus. Per quam.

Lectio ii.

Nolíte me consideráre

quod fusca sim, quia decolorávit me sol: fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis: víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te, amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis: collum tuum sicut monília.

℟. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem devotíssime celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Desponsatiónem beátæ Maríæ Vírginis devotíssime celebrémus. Ut ipsa.

Lectio III

Murénulas áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es, amíca mea, ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es, dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus: ligna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Gloriósæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem digníssimam recolámus: * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem devotíssime celebrémus. Cujus. Glória Patri. Cujus.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Ex Homil. 2. super Missus est.

Lectio IV.

Oportébat a príncipe mundi aliquámdiu celári divíni consílii sacraméntum: non quod Deus, si palam opus suum fácere vellet, impedíri posse ab illo metúeret; sed quia ipse, quia non solum poténter, sed étiam sapiénter, quæcúmque vóluit, fecit; sicut in ómnibus opéribus suis quasdam rerum, vel tempórum congruéntias propter órdinis

pulchritúdinem serváre consuévit; ita in hoc quoque tam magnífico ópere suo, nostræ vidélicet reparatiónis, non tantum poténtiam suam, sed et prudéntiam osténdere vóluit.

℟. Desponsátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, claræ ex stirpe David: * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódie desponsáta est beáta Virgo María ex progénie David. Cujus vita.

Lectio v.

Convéniens ergo erat, ut suáviter quoque ómnia, cœléstia scílicet, et terréna, dispóneret, quátenus et illinc dejíciens inquiétum, réliquos in pace firmáret: et hic debellatúrus ínvidum, nobis prius suæ humilitátis et mansuetúdinis valde necessárium exémplum relínqueret; sicque mirábili fíeret moderámine sapiéntiæ, ut et suis suávis, et hóstibus fortis apparéret.

℟. Cum jucunditáte Desponsatiónem beátæ Maríæ celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Corde, et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. Ut.

Lectio vi

Quid enim prodésset diábolum a Deo vinci, nobis manéntibus supérbis? Necessário ígitur desponsáta est María Joseph, quando per hoc et a cánibus sanctum abscónditur, et a Sponso virgínitas comprobátur, et Vírginis tam verecúndiæ párcitur, quam famæ providétur. Quid sapiéntius, quid dígnius divína providéntia! Uno tali consílio secrétis cœléstibus et admíttitur testis, et exclúditur hostis, et íntegra servátur fama Vírginis Matris.

℟. Desponsátio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Ex te. Glória Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 1. c

Cum esset desponsáta Mater

Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Et réliqua.

Homilía
S. Hierónymi Presbyteri.
Lib. 1. Comm. in c. 1. Matth.

Quare non de símplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Joseph orígo Maríæ monstrarétur: secúndo, ne lapidarétur a Judæis ut adúltera: tértio, ut in Ægyptum fúgiens, habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit cáusam, cur a desponsáta concéptus sit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit.

Lectio VIII.

Antequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Joseph, qui pene licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur: Antequam convenírent, non séquitur, ut póstea convénerint; sed Scriptúra quod factum non sit osténdit.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni láude digníssima: * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto feminéo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Desponsatiónem. Quia. Glória Patri. Christus.

Pro S. Emerentiana
Virg., et Mart.
Lectio IX.

Emerentiana virgo romána, collactánea beátæ Agnétis, adhuc catechúmena, fide, et charitáte flagrans, furéntes in Christiános idolórum cultóres cum veheméntius accusáret, a concitáta multitúdine lapídibus óbruta est. Quæ in cruciátibus orans ad sepúlchrum sanctæ Agnétis, próprio sánguine, quem pro Christo constánter effúdit, baptizáta, ánimam Deo réddidit.

Quando autem transfertur, Lectio IX. erit:

JOSEPH autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus effícitur: et in lege præcéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti: quómodo Joseph, cum crimen celáret uxóris, justus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríæ est, quod Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio, cujus mystérium nesciébat.

Te Deum.

## AD LAUDES,

et per Horas, Antiphona.

DESPONSATIO gloriósæ Vírginis Maríæ, ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis ut in Dominica.

Ant. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ant. Regáli ex progénie María exórta refúlget: cujus précibus nos adjuvári mente, et spíritu devotíssime póscimus.

Ant. Corde, et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

Ant. Cum jucunditáte Desponsatiónem beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Eccli. 24. b

AB inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

O Gloriósa Vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cœli reclúdis cárdines.

Tu regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis.

℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Benedictus, Antiph. Desponsatiónem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúja.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus, Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum nostrum.

Comm. S. Emerentianæ.

Antiph. Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Emerentiána Virgo, et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxtitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Ad Primam in ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam, Antiphona. Desponsátio est hódie.

Capit. Ab inítio. ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona. Regáli ex progénie.

Capitulum. Eccli. 24. b

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Cum jucunditáte.

Capitulum. Eccli. 24. b

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, præter:

Ad Magnificat. Antiph. Desponsátio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Oratio. Fámulis. ut sup.

Deinde fit Commemor. S. Timothei Episc., et Mart. Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Timóthei Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

## DIE XXVI. JANUARII.

### IN FESTO S. POLYCARPI EPISC., ET MART. Duplex.

Omnia ut in Breviar.

## DIE XXVIII. JANUARII.

### IN FESTO S. JULIANI EPISC., ET CONF. Semid. ad libitum.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Dómine, in pópulo tuo Spíritum charitátis, quo beátum Juliánum Confessórem tuum atque Pontíficem replére dignátus es: et concéde, ut cujus festivitátem celebrámus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Commem. S. Agnetis Virg., et Mart. Secundo.

Ant. Stans a dextris ejus Agnus nive candídior, Christus sibi sponsam, et mártyrem consecrávit.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis, et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas: da, quæsumus, ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Julianus, Ecclésiæ Conchénsis Epíscopus, Burgis piis, et honéstis paréntibus natus est. Ejus ortum præclára illíus sanctitátis, et Episcopális dignitátis signa divínitus data nobilitárunt. Nam ádeo formósus, et pulcher in lucem éditus est, ut omnes intuéntes os ejus, cœlésti quodam fulgóre perfúsum admiraréntur. Multo magis vero, cum puer grándior palam super fontem baptismálem támdiu visus est mitra, et báculo, Episcopálibus insígnibus, ornátus, dum adstántes admónuit, ut infánti Juliáni nomen impónerent. Póstea pie sanctéque educátus, liberalibúsque disciplínis appríme erudítus, theologíæ óperam dedit, in qua plúrimum profécit. Itaque probátæ vitæ exémplo, et divíni verbi prædicatióne toti Hispániæ mirándum in modum prófuit. Archidiáconi dignitáte in Ecclésia Toletána ornátus, ab Alfónso deínceps Nono Castéllæ rege Episcopále munus suscípere coáctus est, quod summa cum laude obívit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Vere pater páuperum fuit: quippe qui egéntium, viduárum, et pupillórum inópiam pecúnia, et áliis pietátis offíciis sublevávit. Rédditus Ecclésiæ suæ tum sublevándis míseris, tum instaurándis ornandísque templis insúmpsit; ipse ténui victu conténtus, quem labóre mánuum suárum comparábat. In oratióne assíduus erat: cujus vi, patérna charitáte ardens, multa, et magna pro salúte pópuli a Deo impetrávit. Quorum illa in primis illústria. Cum aliquándo tota Província rei frumentáriæ laboráret inópia, nec quidquam ámplius

in Episcopátus hórreis superésset; pópuli calamitátem miserátus, preces cum lácrymis ad Deum fudit. Tunc plúrimum trítici ad ædes sancti Epíscopi a permúltis juméntis comportátum est, quæ depósito ónere evanuérunt. Cumque item dira in pópulum lues grassarétur, sancti Epíscopi oratióne sedáta est. Multos quoque, váriis insanabílium morbórum genéribus afféctos, in sanitátem restítuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio VI.

SUPER gregem suum tamquam bonus, et sédulus pastor diligentíssime vigilávit: lupos arcens ab óvibus, et oves pascens verbo vitæ, cibum cuíque tríbuens pro captu congruéntem. Corpus suum jejúniis assídue castígans, seípsum bonórum óperum exémplar ómnibus præbuit. Dénique cum annos fere octogínta máxima cum sanctitáte vixísset, plenus diérum atque virtútum, in senectúte bona migrávit ad Dóminum quinto Kaléndas februárii, anno millésimo ducentésimo octávo; et honorífice in Ecclésia sua sepúltus, post mortem quoque miraculórum glória clarus, magna pópuli veneratióne cólitur. Anno póstmodum millésimo quingentésimo décimo octávo, Leóne Décimo Pontífice Máximo, corpus ejus e sacéllo, ubi multos jacúerat annos, effóssum, ad locum prope aram máximam magnífice exornátum, tértio Idus aprílis, solémni pompa ac máxima celebritáte translátum est. Commemoratiónis ejus quoque festívitas Nonis septémbris, ex Júlii Tértii summi Pontíficis concessióne recólitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Je-

sus discípulis suis: Nolíte thesaurizáre vobis thesáuros in terra, ubi ærúgo, et tínea demolítur, et ubi fures effódiunt, et furántur. Et réliqua.

Homilía S. Petri Chrysólogi.
Serm. 8. de jejunio, et eleemosyna, circa med.

Thesaurus cœli est manus páuperis: quod súscipit, ne in terra péreat, repónit in cœlum. Manus páuperis est gazophylácium Christi, quia quidquid pauper áccipit, Christus accéptat. Da ergo, homo, páuperi terram, ut accípias cœlum: da nummum, ut accípias regnum: da páuperi, ut des tibi: quidquid páuperi déderis, tu habébis: quod páuperi non déderis, habébit alter. Clamat Deus: Misericórdiam volo. Qui quod vult Deus, Deo negat; a Deo sibi quod desíderat, vult negári. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi, humánam misericórdiam petit, ut largiátur divínam. Est in cœlis misericórdia, ad quam per terrénas misericórdias pervenítur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio viii.

Dicturus causam in judício Dei, patrónam tibi misericórdiam, per quam liberári possis, assúme. Qui de patrocínio misericórdiæ certus est, de vénia sit secúrus, de absolutióne non dúbitet. Misericórdia non solum causam prævenit, antícipat cognitórem; sed étiam senténtiam révocat, absólvit addíctos. Quod Ninivítæ probant, quos jam senténtiæ subjéctos, pœnæ tráditos, ad víctimam stantes, morti déditos, misericórdia sic rápuit, sic ténuit, sic prævénit, ut malúerit Deus dedúci senténtiam, ne misericórdiæ quid negáret. Fratres, per misericórdias páuperum misericórdiam parémus, ut possímus esse de pœna líberi, de salúte secúri. Beáti, inquit, misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur. Gratis misericórdiam sperat ibi, qui hic non fécerit misericórdiam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus véstris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos.

Pro S. Agnete Virg., et Mart.

Lectio IX.

Beata Agnes, paréntibus ad ejus sepúlchrum assídue vigilántibus, quadam nocte choro vírginum comitáta cum apparuísset, sic ad eos locúta dícitur: Ne me, paréntes, mórtuam lugeátis: nam una cum his virgínibus vivo apud illum in cœlis, quem in terris tota mente diléxi. Cum aliquot post annos Constántia, Constantíni Imperatóris fília, insanábili úlceri medicínam quærens, nondum Christiána, ad idem sepúlchrum accessísset, obdormíscens sibi audíre visa est vocem hanc Agnétis: Constánter age, Constántia: Crede in Jesum Christum Fílium Dei, qui te sanam fáciet. Quæ sanáta, paulo post una cum multis ex família Imperatóris baptísmum suscípiens, ibi Ecclésiam nómine beátæ Agnétis ædificávit.

Te Deum.

In Laud. pro commem. S. Agnetis, Ant. Ecce quod concupívi, jam vídeo: quod sperávi, jam téneo: ipsi sum juncta in cœlis, quem in terris pósita, tota devotióne diléxi.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis, et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas; da, quæsumus, ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

## FESTA FEBRUARII.

### Die III. In Festo S. Martiniani Episc., et Conf. Duplex.

Orat. Da, quæsumus.

Commem. S. Blasii Episc., et Mart. Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Blásii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte

lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

In Hymno Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Martinianus Márolo sanctíssimo Epíscopo succéssit, Ecclesiámque mediolanénsem summa vigilántia, ardénti pietáte, prudéntia singulári, et egrégio rei ecclesiásticæ stúdio religióse administrávit. Vir fuit pura castissimáque mente, et ánimo divínis contemplatiónibus addícto: cujus imáginem morum pietáte, et vultu angélico præ se tulit. Sanctitátis autem, et doctrínæ magnum nomen hábuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Ad Theodósium Minórem, et Valentiniánum Tértium Augústos librum, quo in primis impíetas Nestoriána coarguebátur, misit. Labóribus demum multis pro Dei glória, et pro Ecclésia sibi commíssa perfúnctus, sanctárum virtútum, miraculorúmque nómine illústris óbiit in Dómino. Ejus corpus sepúltum est Medioláni in Basílica sancti Stéphani Protomártyris.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio Vercellensi.

Lectio vi.

Ad sancti, ac beatíssimi Patris nostri Martiniáni, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno Homil. in Evang. Homo péregre. de Comm. Conf. Pont. primo loco.

Pro S. Blasio Episc., et Mart.

Lectio IX

BLASIUS, Sebáste in Arménia cum virtútum laude floréret, ejúsdem civitátis Epíscopus elígitur. Qui, quo témpore Diocletiánus insatiábilem crudelitátem in christiános exercébat, se in spelúncam ábdidit montis Argæi: ubi támdiu látuit, dum ab Agricolái Præsidis milítibus venántibus deprehénsus, et ad Præsidem ductus, ejus jussu conjéctus est in víncula. Quo in loco multos ægrótos sanávit, qui ad Blásium, ejus fama sanctitátis addúcti, deferebántur. In illis puer fuit, qui desperáta a médicis salúte, transvérsa spína fáucibus inhærénte, ánimam agébat. Prodúctus autem ad Præsidem Blásius semel, et íterum, cum nec blandítiis, nec minis addúci posset, ut diis sacrificáret, primum virgis cæsus, deínde in equúleo férreis pectínibus dilaniátus est: postrémo, dempto cápite, illústre fídei testimónium Christo Dómino dedit, tértio nonas februárii.

Te Deum.

In Laudibus fit commem. S. Blasii. Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Blásii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

## DIE VI. FEBRUARII.

IN FESTO S. JOANNIS BONI EPISC., ET CONF. Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Oratio. Exáudi, quæsumus.

Comm. S. Agathæ Virg., et Mart., Ant. Stans beáta Agatha in médio cárceris, expánsis mánibus orábat ad Dóminum: Dómine Jesu Christe, Magíster bone, grátias tibi ago, qui me fecísti víncere torménta carníficum: jube me, Dómine, ad tuam immarcescíbilem glóriam felíciter perveníre.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti; concéde propítius, ut qui beátæ Agathæ Vírginis, et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Deinde pro sancta Dorothea Virg., et Martyre, Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

Indulgéntiam nobis, quǽsumus, Dómine, beáta Doróthea Virgo, et Mártyr implóret: quæ tibi grata semper éxtitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. Lectiones, Fidélis sermo. ut in Comm. Conf. Pontif.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joannes, vir spectáta vitæ probitáte, ob eámque cáusam Bonus vocátus, civis genuénsis, in urbe Génua Archiepíscopus Medioláni creátus, immáni Langobardórum dominátu non detérritus, ad statiónem archiepiscopálem venit, a qua áliqui Archiepíscopi diu abfúerant, cum in illa barbarórum impietáte nullus locus múneris pastorális functiónibus relíctus esset.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Is, totus pietátis offíciis déditus, misericórdiæ étiam ópera mirífice cóluit. Mitis, mansuétus, et húmilis ád-

modum fuit, atque usque ádeo divínis virtútibus excúltus, ut illíus sanctitátem miráculis testátam Deus fécerit. Joánni Epíscopo Bérgomi, viro sanctíssimo, familiáris fuit, cui opem tulit, ut Ariános ab ea urbe expélleret.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

In óppido Décio Ecclésiam sancti Matérni nómine dicávit, canonicalésque ædes extrúxit. Demum, méritis cumulátus, in Dómino quiévit. Ejus corpus, diu latens, mirabíliter invéntum Aribértus Archiepíscopus in Ecclésia sancti Michaélis sub altári recóndidit: inde sanctus Cárolus Cardinális Archiepíscopus ad Basílicam metropolitánam tránstulit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homil. in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Pro sancta Dorothea.

Lectio ix.

Dorothea virgo, ex Cæsaréa Cappadóciæ, propter Christi confessiónem ab Aprício Præside comprehénsa, Chrystæ, et Callístæ soróribus, quæ a fide defécerant, trádita est, ut eam a propósito removérent. Sed contra factum est: nam eas Doróthea ad cultum christiánæ religiónis redúxit, propter quam étiam martyrium suscepérunt. Quare virgo equúleo diu torta, et palmis cæsa, ad extrémum cápitis damnáta, duplicátam virginitátis, et martyrii palmam accépit.

Te Deum.

In Laudibus pro comm. S. Dorotheæ, Ant. Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas; invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio ut supra.

In Quadrag. Lectio IX. de Homilia Feriæ; et commem. ejusdem Feriæ in Laudibus, et Vesperis.

## DIE VIII. FEBRUARII.

### IN FESTO S. HONORATI EPISC., ET CONF.

Duplex.

Oratio Exáudi.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Comm. S. Romualdi Abb., Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

INTERCÉSSIO nos, quæsumus, Dómine, beáti Romuáldi Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit commem. Feriæ.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag., Fidélis sermo.

In secundo Nocturno

Lectio IV.

QUO témpore Itália nefário schísmate scindebátur, coácto Aquilejénsi conciliábulo ad tutándum, ut falso obtendebátur, calcedonénse Concílium, Honorátus in Ecclésiæ mediolanénsis regímine sancto Auxáno succédens, múneris sui partes tam præcláre implévit, ut túrbida illa ætáte spectatíssimæ erga Apostólicam Sedem fídei, vitæque ad omnem pietátem castigatíssimæ exémplar ómnibus fácile prælúxerit.

℟. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio V.

CUM labefactátam Gothórum barbárie religiónem reperísset, non tam cœlésti sapiéntia, qua ille plúrimum illustrabátur, quam ardénti charitáte, qua cum Deo conjungebátur arctíssime, id assecútus est, ut corrúptos pópuli mores ad prístinam integritátem revocáret, et ablegátam jámdiu divíni cultus majestátem íterum in sacras ædes indúceret.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábi-

tur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio VI.

VERUM irruéntibus Langobárdis, cædémque, ac ruínam illi Metrópoli minitántibus, nobiliórem sui gregis partem secútus, Génuam confúgere coáctus est, ubi mediolanénsem Ecclésiam, quantum per illam tempestátem licébat, omni ope juvans, non multo post óbiit quarto Kaléndas mártii. Ejus corpus Mediolánum translátum in Basílica Eustorgiána cónditum fuit, ibíque religiosíssime cólitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

In tertio Noct., Homil. in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

In Quadrag., Lectio IX. de Homilia Feriæ; et commem. ejusdem Feriæ in Laudibus, et Vesperis.

## DIE IX. FEBRUARII.

IN FESTO
S. JOANNIS DE MATHA CONF.

(Ex hesterna die hodie assignato).

Duplex.

Omnia ut in Breviario, cum IX. Lect., extra Quadrag., de S. Apollonia Virg., et Mart., ejusdemque comm. in primis Vesp., et Laud.

## DIE XI. FEBRUARII.

IN FESTO
S. LAZARI EPISC., ET CONF.
Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Oratio. Da, quæsumus.

Commem. S. Scholasticæ Virg. Antiph. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui ánimam beátæ vírginis tuæ Scholásticæ, ad ostendéndam innocéntiæ viam, in colúmbæ spécie cœlum penetráre fecísti: da nobis ejus méritis, et pré-

cibus, ita innocénter vívere, ut ad ætérna mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

In Quadrages. fit comm. Feriæ.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag., Fidélis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Vastabant sævíssime Itáliam Bárbari, cum Lázarus civis mediolanénsis, ex Primicério, Ecclésiæ illíus Epíscopus creátus est. Undecim annos id pastorále munus ténuit: quo témpore omnia barbáricæ violéntiæ exémpla pértulit; nec tamen umquam ab ulla pastoráli cura remísit ánimum, divínæ Majestátis opem assídue implórans, ut sibi, populóque suo subveníret.

℟. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

Instítuit triduánas Litanías, quæ inter ejus Ecclésiæ ritus quotánnis celebrántur. Quæ cum ad Barbarórum ímpetum repelléndum præcípue institútæ essent; ídeo crebra ibi méntio est custódiæ mœnium et portárum urbis advérsus ímpetus hostíles. Mórtuus est sub Leóne Primo románo Pontífice, et in Basílica Apostolórum ejus corpus honorífice custodítur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio Vercellensi.

Lectio VI.

Ad sancti, ac beatíssimi Patris nostri Lázari, cujus hódie festa celebrámus, láudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus

repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct. Homil. in Evang. Homo péregre. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

In Quadrag. Lectio IX. de Homilia Feriæ; et commem. ejusdem Fériæ in Laúdib.

Vesp. a Capit. de sequenti.

## DIE XII. FEBRUARII.

### In Festo BB Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Duplex.

In primis Vesp., quando dicuntur integræ, Antiph. de Laud., Psalmi de Domin. loco ultimi, Laudáte Dóminum, omnes gentes.

Capitulum. Ad Hebr. 13.

Fratres, mementóte Præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Festívis résonent cántica pláusibus;
Et quam Virgo Parens próvida déstinet
Illústrem Sóbolem, lúmine ut ímpleat
Orbem, láudibus éfferant.

Hi sunt qui, pátriæ sedis honóribus
Calcátis, súperant árdua móntium,
Ut myrrhæ lácrymas, atque ánimo ferant
Mæstam thuris imáginem.

Hos atris décorat véstibus ínclyta
Virgo, ut quam súbiit, perníciem fléant,
Cum Nati ingémuit trístia fúnera
Crucis próxima stípiti.

Servórum título signat ab æthere
Cœléstis Génitrix, et nova gérmina
In partem sóciat luctus, et ímperat
Cætum hinc súrgere pérpetem.

Regis qui Súperum vólvere júgiter
Curet supplícium, sævaque prædicet
Quæ, in Templo Símeon mente prophética,
Matris vúlnera nóverat.

Acclíni Dóminum Te préce póscimus,
Sanctórum réseres cómpita gréssibus
Signáta, et páribus nos quoque præbeas

Ad Te pérgere víribus.
Amen.

℣. Oráte pro nobis, septem beáti Patres.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Antiph. Isti sunt viri misericórdiæ, quorum pietátes non defuérunt. Semen eórum, et glória eórum non derelinquétur.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui in jugem memóriam dolórum sanctíssimæ tuæ Genitrícis per septem beátos Patres nova servórum ejus família Ecclésiam tuam fœcundásti; concéde nobis fámulis tuis in hac lacrymárum valle degéntibus, ita ejúsdem mœstíssimæ Matris sócios cum ipsis esse passiónum in terris, ut perpétuæ consolatiónis consórtes fieri mereámur in cœlis: Qui vivis, et regnas.

Deinde fit comm. S. Lazari Episc., et Conf. Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Lázari Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum, Invitat. Mirábilem Dóminum in Servis Deíparæ, * Veníte, adorémus.

Psalmus. Veníte.

Hymnus.

Præclara septem lúmina
Tusci micántis ætheris,
Vos Virgo Mater éxcitat,
Ut luce mundus spléndeat.

Vos labra lacte pærlita
Servos Maríæ nóminant:
Tum Virgo vos Senários
Adíre colles ímperat.

Vos ipsa Mater ínclyta
Funébre pállio índuit;
Ut defleátis vúlnera,
Quæ pértulit sævíssima.

Hoc ipsa cœli e cúlmine
Petro revélat Mártyri,
Jubétque cœtum pérpetem
Hinc pósteris constítui.

Qui famuléntur júgiter,
Ipsámque semper díligant,
Colant,propágent,prædicent
Ejus dolóres flébiles.

Quæso, Duces fortíssimi,
Ah vos sequámur strénue:
Ardor dolórque férvidus
In Vírginem nos óccupent.

Et tu, supérna Trínitas,
Perfúnde sancto róbore,
Vitámque fac non ímparem
Nostris Beátis dúcere. Amen.

In primo Nocturno. Ant. In vértice móntium plantávit Regína Mártyrum víneam justórum, qui dolóres ejus meditabántur die ac nocte. Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. In vértice móntium plantávit Regína Mártyrum víneam justórum, qui dolóres ejus meditabántur die ac nocte. Ant. Dómina dixit ad eos: Fílii mei estis vos: exultáte, quia ego vos génui.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt Gentes,* et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hæreditátem tuam,* et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea,* et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Dómina dixit ad eos: Fílii mei estis vos: exultáte, quia ego vos génui.

Ant. Voce sua ad Dóminam clamavérunt, et exaudívit eos de monte sancto suo.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me?* multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Voce sua ad Dóminam clamavérunt, et exaudívit eos de monte sancto suo.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 44.

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Lætábitur desérta, et ínvia, et exultábit solitúdo: * Et florébit quasi lílium. ℣. Gérminans germinábit, et exultábit lætabúnda, et láudans. Et.

Lectio ii.

Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in

dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum: et sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Sáliet sicut cervus cláudus, et apérta erit lingua mutórum: * Quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. ℣. In cubílibus, in quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami, et junci. Quia.

Lectio III.

Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem, et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Hæc est vera fratérnitas quæ regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsit: * Propter amórem Dómini Jesu Christi. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. Propter. Glória Patri. Propter.

In secundo Nocturno, Ant.

Non diligéntes vanitátem, nec requiréntes mendácium, ómnia sæculi bona abdicavérunt, et a Dómino mirificáti sunt.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte, quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos

lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. Non diligéntes vanitátem, nec requiréntes mendácium ómnia sæculi bona abdicavérunt, et a Dómino mirificáti sunt.

Ant. In multitúdine misericórdiæ Dóminæ suæ sperántes introiérunt in domum ejus, et adoravérunt ad templum sanctum ejus.

Psalmus 5.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. In multitúdine misericórdiæ Dóminæ suæ sperántes introiérunt in domum ejus, et adoravérunt ad templum sanctum ejus.

Ant. Ex ore infántium et lacténtium, servos tuos illos dicéntium, perfecísti, Dómina, laudem eórum. Quam admirábile est nomen tuum!

Psalmus 8.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, et boves univérsas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster,* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Ex ore infántium, et lacténtium, servos tuos illos dicéntium, perfecísti, Dómina, laudem eórum. Quam admirábile est nomen tuum!

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Lectio iv.

Décimo tértio christiáni nóminis sæculo inter álios florentínos patrítios septem erant avórum sánguine, opibúsque illústres; at virtútibus spectátis suis longe illustrióres, nuncupáti, ut Religióni nomen dedére, Bonfílius Monáldius, Bonajúncta Manétti, Manéttus Antelléńsis, Amídeus de Amídeis, Ugúccio Ugucciónius, Sosténeus de Sosténeis, demum Aléxius de Falconériis. Cum hi trigésimo tértio supra millésimum ac biscentésimum annum auspicatíssimo Assúmptæ Vírginis festo, in sodalítio quodam, cui títulus Laudéntium erat, augustíssimæ Dei Genitríci, prout par erat, laudes exsólverent, ab eádem dulcís-

sime iis apparénte, inopíne monéri se séntiunt ad sublimióris vitæ genus, posthábito mundo, amplecténdum: absolutísque idcírco, quibus dabant óperam, láudibus, conféstim pérciti in unum, collatísque mutuo consíliis, supérnis Dei vocántis, vocantísque Deíparæ oráculis parére mox decrevérunt. Quod et sédulo factum est ab iísdem: nam consúlto statim matúre Urbis Epíscopo, post fortúnæ abdicátis bonis, erogatísque ample in egénos, cilíciis carni obstríctis, vilióribus detritísque véstibus cinérei colóris indúti, in rurálem parvam ædículam secessérunt natalítio die amantíssimæ ipsórum Paréntis, ut vitæ sanctióris primórdia óptime inírent: qua die mortálibus orta sacratíssimam vitam ipsa inchoáverat.

℟. Omnes isti congregáti sunt, venérunt, Dómina, tibi: * Et ómnibus his velut ornaménto vestiéris.

℣. Et circúmdabis tibi eos quasi sponsa. Et ómnibus.

Lectio v.

Sic septem beáti viri, charitátis fœdere devíncti, eádem in domo semet uníerant; cum ecce per urbem visos, statim Dómino sic disponénte, movénteque infantíles voces Deípara, ex infántium ore, ac lacténtium, inter quos tum puer erat sanctus Philíppus Benítius vix quintum mensem ingréssus, se Maríæ clamári Servos insperáto est audítum. Quanta tunc, et exínde amóris flamma in Dóminam suam, cujus (ignáris ipsis) declaráti Servi erant, excitátis stúdiis exárserint, non fácile est explicátu. Illud solum scitur, quod sic ei se dedidérunt, ut véluti Matrem suam venerári, maximóque honóre habére, morem ei gérere in ómnibus, et obtemperáre propter eam cunctis summópere studúerint. Hinc étiam ádeo jucúndi, gratíque ei fuére, ut, cum vitatúri pópuli pláusum in Senárium montem ab ipsa iis præosténsum habitatúri tetenderint, ibíque crucifíxum Jesum, mœstissimámque Matrem doléntes assídue recólerent, appáruit illa eis, habitúque lúgubri assignáto in memóriam Dolórum suórum, ut compateréntur istis, eos consecrávit.

℟. Vocábo Servos meos, et índuam illos túnica mea,

et cíngulo meo confortábo eos: * Et potestátem meam dabo in mánibus eórum.

℣. Et erunt quasi Patres habitántibus Jerúsalem. Et.

Lectio vi.

Ita cineríciis véstibus, indulgénte étiam Epíscopo, in nigras mutátis, post nonnúllos annos, fortunátis quidem auspíciis, claríssimum illud Prædicatórum Ordinis decus sanctus Petrus Martyr Floréntiam accéssit; et, audíta inspectáque simul non fucáta sanctimónia ipsórum, ita Dei amíci cœpérunt se mútuo dilígere; ut familiaríssime versaréntur ínvicem secum, seséque altérne fovérent. Inter cætera porro illud áccidit, quod, speránte ínclyto Mártyre honórem Deo non módicum, magnum Terris cómmodum próditum iri, si propítia Vírgine longe latéque propagaréntur, una cum ipsis impénse eam exoránte, ut arguménto áliquo voluntátem suam pateféceret; invocáta Virgo amans in visióne ei revelávit, se Viros illos septem, et qui ventúri erant post eos, inter mundi hómines omnes ad singuláre servítium suum selegísse, et commiserándis pœnis jam latis suis amaríssimis costruéndum Ordinem esse ad sui honórem, et glóriam. Hoc prodigióso Virgíneo decréto animáti humíllimi Patres, non quia suæ méntis fuísset successóres pósteros dígnere, sed ut jussa reseráta fácerent suprémæ eórum Regínæ, quæ nómine suo duratúram sibi famíliam fundári volúerat, institúere deínceps sacrum Servórum Ordinem decrevérunt; non tam ut primi ejus Fundatóres, quam ut cœléstis suæ Fundatrícis Minístri obsequéntes; quos proínde Dóminus, ut Servos bonos, et fidéles suos, ac Matris, in vita multis virtútibus, in morte multis prodígiis, post tránsitum multis miráculis adornávit: novíssime vero Benedíctus Décimus tértius, ejus Institúti Proféssor, cujus sanctus Petrus erat, ejus quoque in eos hæres amóris, Póntifex renunciátus, eórum miram Institutiónem, ut inclarésceret Orbi, lectiónibus his recenséri peramánter consúluit, ac mandávit.

℟. Vidi conjúnctos Viros habéntes lúgubres vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens: * Isti sunt

viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem volántem per médium cœlum, voce magna clamántem, et dicéntem. Isti sunt. Glória Patri. Isti.

In tertio Nocturno, Ant. Ingrediéntes sine mácula, et operántes justítiam, habitavérunt in tabernáculo tuo, et requievérunt in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula. * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Antiph. Ingrediéntes sine mácula, et operántes justítiam, habitavérunt in tabernáculo tuo, et requievérunt in monte sancto tuo.

Ant. Glóriam, et magnum decórem imposuísti super eos, Regína Mártyrum, cum in memóriam dolórum tuórum lúgubrem vestem eos induísti.

Psalmus 20.

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus, et psallémus virtútes tuas.

Ant. Glóriam, et magnum decórem imposuísti super eos, Regína Mártyrum, cum in memóriam dolórum tuórum lúgubrem vestem eos induísti. Ant. Hæc fuit generátio quæréntium Dóminam, quæréntium Stellam ex Jacob: Te laudámus, Rex glóriæ.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stábit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Hæc fuit generátio quæréntium Dóminam, quæréntium Stellam ex Jacob: Te laudámus, Rex glóriæ.

℣. Justi autem in perpétuum vivent.

℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII. Cap. 12. d

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. cap. 54. in Luc. 12.

Pusíllum gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris númeri reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat: quia vidélicet Ecclésiam suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte perveníre. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eídem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promíttit.

℟. Dábitur lugéntibus Sion coróna pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mœróris: * Et vocabúntur fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. ℣. Sacerdótes Dómini vocabúntur: Minístri Dei nostri. Et.

Bened. Quorum féstum cólimus.

Lectio VIII.

Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus, hujus vitæ necessária desint: quin étiam posséssa, propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Dómino, suis ómnibus sprétis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens: Argéntum, aut aurum, aut vestem nullíus concupívi: ipsi scitis, quóniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infírmos.

℟. Ego, quasi vitis, fructificávi suavitátem odóris: * Et flores mei fructus honóris, et honestátis. ℣. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. Et flores. Glória Patri. Et flores.

In Quadrag. Lectio IX de Homilia Feriæ.

Lectio IX.

Facite vobis sácculos, qui non veteráscunt; eleemósynas vidélicet operándo, quarum merces in ætérnum máneat. Ubi non hoc præcéptum esse putándum est, ut nil pecúniæ reservétur a sanctis, vel suis scílicet, vel páuperum úsibus suggeréndæ; cum et ipse Dóminus, cui ministrábant Angeli, tamen ad informándam Ecclésiam suam lóculos habuísse legátur, et a fidélibus obláta consérvans, et suórum necessitátibus, aliísque indigéntibus tríbuens; sed ne Deo propter ista serviátur, et ob inópiæ timórem justítia deserátur.

Te Deum.

AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis ut in Domínica.

Ant. Isti sunt viri septem boni testimónii, pleni Spíritu Sancto, et sapiéntia.

Ant. Appáruit eis Dómina Angelórum, et diléxit eos in visióne, et in agnitióne magnálium suórum.

Ant. Beáti viri tui, Regína ómnium; beáti servi tui, qui stant coram te semper.

Ant. Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timétis eum pusílli, et magni.

Capitulum. Ad Hebr. 13. 7.

Fratres, mementóte Præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Matris sub almæ Númine
Septéna Proles náscitur.
Ipsa vocánte ad ásperum
Senárii tendit vérticem.

Quos terra fructus próferet,
Dum sacra Proles gérminat,
Uvis repénte túrgidis
Onústa vitis édocet.

Virtúte claros nóbili,
Mors sancta cœlo cónsecrat,
Tenéntque Olympi límina
Servi fidéles Vírgini.

Gens o beáta, réspice,
Regno potíta Núminis,
Quos hinc recédens Tártari
A fráude cínctos déseris.

Ergo per almæ vúlnera
Matris rogámus súpplices,
Mentis tenébras ámove,
Cordísque flúctus cómprime.

Et tu, supérna Trínitas,
Perfúnde sancto róbore,
Vitámque fac non ímparem

Nostris beátis dúcere. Amen.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Benedictus Ant. Fecit misericórdiam Dóminus cum Pátribus nostris: eréxit nobis cornu salútis in domo suæ Genitrícis. Serviámus illi.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui in jugem memóriam dolórum sanctíssimæ tuæ Genitrícis; per septem beátos Patres nova servórum ejus família Ecclésiam tuam fœcundásti, concéde nobis fámulis tuis in hac lacrymárum valle degéntibus, ita ejúsdem mœstíssimæ Matris sócios cum ipsis esse passiónum in terris, ut perpétuæ consolatiónis consórtes fíeri mereámur in cœlis: Qui vivis, et regnas.

Deinde in Quadrages. fit comm. Feriæ.

Ad Tertiam, Antiphona. Isti sunt viri septem.

Capit. Fratres. ut supra.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, ómnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ad Sextam. Antiphona. Appáruit eis Dómina.

Capitulum. Eccli. 44.

Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus.

℟. br. Exúltent justi, * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Ad Nonam, Antiphona. Laudem dícite Deo.

Capitulum Eccli. 44.

Fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent. Semen eórum, et glória eórum non derelinquétur.

℟. br. Justi autem, * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, præter:

Ad Magnificat, Antiph. O magnum charitátis opus: Regína géneris humáni primis nostris Pátribus mire

appárens, e mundo eos evocáre, singuláriter sibi selígere, lúgubrem vestem indúere, unáque cum pósteris in peculiáres servos, ac fílios consecráre dignáta est. Te, Mater dulcíssima, et Dómina, laudámus, benedícimus, glorificámus.

Oratio. Dómine Jesu Christe. ut supra.

Deinde fit comm. S. Hilarii Episc., Conf., et Eccl. Doctor. Ant. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis, beátum Hilárii minístrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Postea in Quadrages. fit commem. Feriæ.

## DIE XIII. FEBRUARII.

In festo S. Hilarii Episc., Conf., et Eccl. Doctor.

(Ex die 14. Januarii hodie assignato). Semiduplex.

In Quadrag. Lect. i. Nocturni, Fidélis sermo. Lectio ix. de Homilia Feriæ; et ejusdem comm. in Laudibus.

Extra Quadrag., duæ Lectiones Homiliæ dividuntur in tres. Lectio viii. incipit ad verba. Hic ígitur; ad illa vero, Sed natúra salis. incipit ix. Reliqua ut in Breviario.

Vesp. a Capit. de sequenti.

## DIE XIV. FEBRUARII.

In festo S. Ildefonsi Episc., et Conf.

Semiduplex.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, præces nostras, quas in beáti Ildefónsi Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Hilarii. Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui pópulo, ut supra.

Deinde in Quadrages. fit commem. Feriæ.

Postea S. Valentini Presb., et Mart. Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag., Fidélis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ildefónsus, qui et Alphónsus dícitur, natióne Hispánus, Toléti nobilíssimis Stéphano, et Lúcia paréntibus ortus, omníque cura nutrítus, liberálibus disciplínis instrúctus est. Primum hábuit præceptórem Eugénium toletánum Antístitem, a quo miram ob índolem Híspalim ad Isidórum mira tunc eruditióne polléntem est missus. Duódecim apud Isidórum commorátus annos, tandem fruge bona, doctrináque sana imbútus, Tolétum remeávit ad Eugénium. Postquam vero factus est, ob vitæ candórem, peritiámque non vulgárem, ab Eugénio Ecclésiæ toletánæ Archidiáconus, mundi cúpiens láqueos declináre, in Agaliénsi monastério, quod sanctis Mártyribus Cosmæ, et Damiáno tunc erat dicátum, insígne pietátis, cucúllum induit. Cui neque paréntes jam prece, jam vi ómnia tentántes, obsístere valuérunt, quin constánter in propósito permanéret.

℟. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Mónachi non multo post Ildefónsum in demórtui Abbátis locum subrogárunt: Suspiciébant síquidem in eo (præter virtútes réliquas) æquitátem, morum facilitátem, prudéntiam, raram san-

ctitúdinem. Tantus ítaque fulgor, tanta veræ pietátis lux (quod ipse timébat) latére non pótuit. Eugénio namque vita functo, cleri, senátus, totíusque pópuli decréto, toletánus Archiepíscopus est creátus. In quo quidem Præsulátu, quantum verbo Ildefónsus profécerit, quæ mirácula edíderit, quam multis fúerit nomínibus de Vírgine matre bene méritus, non fácile quis explicáre quíverit. Cœnóbium vírginum in Deilfénsi víllula ædificávit, ac magnis munéribus áuxit. Hæréticos quosdam, qui in Hispánia hæresim Helvidiánam, tolléntem perpétuam Maríæ Dei Genitrícis virginitátem, disseminábant, doctíssime confutávit, ab Hispaniáque dépulit; quam disputatiónem explicávit libro, quem scripsit de beátæ Maríæ virginitáte, rem miráculo confirmánte. Cum enim Ildefónsus ad preces matutínas Expectatiónis beátæ Maríæ in ecclésiam nocte descénderet, cómites ejus in ecclésiæ límine, fulgóre quodam repentíno detérriti, retrocessérunt. Ille vero intrépidus ad aram progréssus, Vírginem ipsam vidit, et adorávit: ab eadémque vestem, qua in sacrifíciis uterétur, accépit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio VI.

Cum étiam dies sanctæ Leocádiæ festus agerétur, et clerus, frequénsque pópulus convenísset, Ildefónsus ad sepúlchrum Vírginis Leocádiæ accédens, flexis supplíciter génibus præcabátur. Et ecce, reseráto repénte sarcóphago, Leocádia sanctíssime prodit: videntibúsque cunctis, et audiéntibus, Ildefónsi mérita de Vírgine María commendávit, dicens: O Ildefónse, per te vivit Dómina mea, quæ cœli cúlmina tenet. Et Præsule collaudáto redíbat. Ildefónsus, ne res sine téstibus tanta pósteris referrétur, arrépto Recesvínthi regis, qui forte tunc áderat, gladíolo; veláminis partem, quo caput Leocádiæ tegebátur, resécuit; eámque cum regio simul cultro célebri pompa in sacrárium íntulit, ubi usque hódie servátur. Scripsit multa luculentióri ser-

móne, quorum, váriis molestiárum occupatiónibus impedítus, áliqua semipléna réliquit. Obiit tandem divus Ildefónsus felíciter ac sancte, cum sedísset in Episcopátu annos novem, menses duos; sepúltus est in Basílica Leocádiæ, circa annum Dómini sexcentésimum septuagésimum séptimum, Recesvíntho in Hispánia regnánte. Cujus corpus in generáli a Saracénis Hispaniárum occupatióne in civitátem Zamorénsem translátum est; et in ecclésia beáti Petri honoríface quiéscens, magna illíus pópuli religióne cólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória. Ipse.

In 3. Noct. Hom. S. Aug. Ep. in Evang. Vos estis sal terræ. ut in Comm. Doct.

In Quadrages., Lectio IX. de Homilia Feriæ; ac ejusdem comm. in Laudibus.

Deinde S. Valentini. Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sícut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Præsta, quæsumus. ut supra.

Vesp. a Capit. de sequenti, commem. præcedentis, et Ss. Faustini, et Jovitæ Mart.

## DIE XV. FEBRUARII.

### In festo S. Raymundi de Pegnafort, Confessoris.

(Ex 23. januarii hodie assignato). Semiduplex.

Omnia ut in Breviario, cum Lectione IX. de Ss. Faustino, et Jovita Mart., eorumque commem. in Laudibus.

In Quadrag., Lectiones 1. Noct., Beátus vir. de Communi 2. loco. pag. Lectio IX. de Homilia Feriæ; de qua fit etiam commem.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XVI. FEBRUARII.

### In festo S. Julianæ Virg., et Mart.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victó-

riam martyrii contulísti; concéde propítius, ut qui beátæ Juliánæ Vírginis, et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Comm. S. Raymundi de Pegnafort Confess.. Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui beátum. ut supra.

Deinde in Quadrages. fit commem. Feriæ.

Lect. primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In Quadrages., De virgínibus. de Communi Virg. 1. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Natalem diem hódie recólimus sanctæ Juliánæ vírginis, quæ témpore Maximiáni Imperatóris, primo a suo patre Africáno cæsa est, gravitérque cruciáta; deínde a Præfécto Eléusio, cujus núptias recusábat, rursum cæsa, capíllis suspénsa, ære liquáto perfúsa, et in cárcerem conjécta; e quo póstmodum evocáta, rotárum torménta, flammas ígnium, ollam fervéntem superávit, ac tandem decollatióne cápitis martyrium consummávit. Quæ Nicomédiæ quidem passa est; et post breve tempus, Deo disponénte, in Campániam transláta. Attamen non desunt qui arbitréntur, illam Novi Comi martyrii triúmphum adéptam esse. Alii vero a nicomediénsi Juliánam álteram distínguunt, quam civem ac Martyrem novocoménsem putant. Utcúmque res se hábeat; profécto Novocoménses sacras sub Juliánæ nómine Relíquias per plura sæcula in pervetústa æde primum eídem beátæ Dei fámulæ, dein gloriosíssimo Apostolórum príncipi nuncupáta, religióse asservárunt; e qua, demum exauguráta, ad próximam sancti Fidélis Mártyris basílicam transtulérunt; ubi, in arca marmórea cónditæ, pia fidélium veneratióne coúntur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Sermo S. Ambrósii Epíscopi.
Lib. 1. de Virg., circa init.
Lectio v.

Quóniam hódie natális est Vírginis, invítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus: ne véluti tránsitu quodam præstrícta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ídeo laudábilis virgínitas, quia in martyribus reperítur: sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce compléeti quod supra usum natúræ sit? E cœlo accersívit quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quæsívit e cœlo, quæ sponsum sibi invénit in cœlo.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Hæc nubes, áera, Angelos síderaque transgrédiens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, et toto háusit péctore. Nam quis tantum, cum invénerit, relínquat boni? Unguéntum enim exinanítum est nomen tuum: proptérea adolescéntulæ dilexérunt te, et attraxérunt te. Postrémo, non meum est illud, quóniam quæ non nubunt, neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, quæ Angelórum Dómino copulántur.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia, et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Noct. Homil. in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Communi Virg. 1. loco. In Quadrages., Lectio ix. de Homilia Feriæ; ac ejusdem comm. in Laudib.

Vesp. de sequenti; comm. S. Pauli Apostoli; deinde S. Julianæ, Antiph. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio ut supra.

In Quadrag., comm. Feriæ.

## DIE XVII. FEBRUARII.

In festo
Cathedræ S. Petri Romæ.

(Ex 18. januarii hodie assignato).

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario; ubi, extra Quadrag., Lectio VIII. desinit cum verbis, primus agnósceret; ad illa vero, O in nuncupatióne. incipit Lectio IX.

In Quadrages., Lectio IX. de Homilia Feriæ; de qua fit etiam comm. in Laudib. post comm. S. Pauli Apost.

In secundis Vesperis, commemor. S. Pauli Apostoli; deinde S. Canuti Regis, et Martyris.

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Deus, qui ad illustrándam Ecclésiam tuam beátum Canútum regem martyrii palma, et gloriósis miráculis decoráre dignátus es; concéde propítius, ut sicut ipse Domínicæ passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempitérna perveníre mereámur.

Postea in Quadrages. fit commem. Feriæ; et S. Simeonis Episc. et Mart., Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Simeónis Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

## DIE XVIII. FEBRUARII.

In festo
S. Canuti Regis, et Mart.

(Ex die 19. januarii hodie assignato).

Semiduplex ad libitum.

Omnia ut in Breviario, cum Lect. IX. de S. Simeone Episc., et Mart.; et ejusdem commem. in Laudibus; in qua Antiph., et ℣. variantur.

In Quadrag., Lect. primi Noct., Frátres, Debitóres. de Communi plurim. Mart. Lect. IX. de Homilia Feriæ: et commem. ejusdem Feriæ in Laudibus.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XIX. FEBRUARII.

IN FESTO S. MANSUETI EPISC., ET CONF. Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit comm. S. Canuti, Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio ut supra.

Deinde in Quadrages. fit commem. Feriæ.

Lect. primi Noct. de Scriptura occurrente.

In Quadrag., Fidélis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

MANSUÉTUS románus præcípue cláruit in romána synodo advérsus Monothelítas hæréticos, cui intérfuit, atque subscrípsit. Hábuit vero étiam ipse Medioláni provinciálium suórum Episcopórum convéntum, cathólicæ fídei defendéndæ causa: in quo quidem convéntu, præter céteras actiónes, scripta fuit epístola illa plena sincéræ, et sanctæ eruditiónis ad Constantínum Imperatórem hujus nóminis Quártum: qua epístola eorúmdem Monothelitárum erróres arguebántur. Sancte constantérque administráta Ecclésia, cum migravísset ad Dóminum, in basílica Ambrosiána sepúltus est magno pópuli concúrsu. Sacræ ipsíus Relíquiæ hódie in basílica sancti Stéphani majóris pia veneratióne colúntur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Ex Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio.

Lectio V.

BEATI Patris Mansuéti mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui

gubernáculum fidei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi unius cum vígili hoste conflíctus?

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

QUANTIS hic cæcis a via veritátis errántibus, et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum, et illum, quo Christus viderétur, reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cœléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrínsecus vulnerátos, Angélici oris arte, et oratiónum, ab infirmitáte curávit?

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homil. in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

In Quadrag., Lectio IX. de Homilia Feriæ; et ejusdem commem. in Laudibus, et Vesperis.

## DIE XXVI.,
vel in anno bissextile
## XXVII. FEBRUARII.

IN FESTO S. FLAVIANI EPISC. COMENS., ET CONFESS.
Duplex.

Oratio. Da, quæsumus, omnípotens.

Lect. primi Noct. de Scriptura occurrente.

In Quadrag., Fidélis sermo.

In secundo, et tertio Nocturno, Lect. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

In Quadrag., Lectio IX. de Homilia Feriæ; et ejusdem comm. in Laudib., et Vesp.

## DIE XXVIII., vel in anno bissextili XXIX. FEBRUARII.

### IN FESTO S. MARGARITÆ DE CORTONA.

(Ex 23. februarii hodie assignato). Semiduplex.

Omnia de Comm. Sanctarum nec Virg., nec Martyrum, præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem misericórditer deduxísti; eádem nobis miseratióne concéde, ut quam prius errántem sectári non erubúimus, mox pœniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Lect. primi Noct. de Scriptura occurrente.

In Quadrages., Mulierem fortem. de Communi non Virgin.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

MARGARÍTA, a loco dormitiónis Cortonénsis appelláta, Laviáni in Túscia ortum hábuit. Primis adolescéntiæ suæ annis mundi voluptátibus capta, in Montis Politiáni civitáte vanam, et lúbricam vitam duxit: sed cum amásium ab hóstibus fœde transfóssum indício canis in fóvea sub strue lignórum tumulátum fortúito reperísset, íllico facta est manus Dómini super eam; quæ, magno culpárum suárum mœróre tacta, éxiit foras, et flevit amáre. Itaque Laviánum revérsa, crine detónso, neglécto cápite, pulláque veste contécta, erróribus suis mundíque illécebris núntium misit; inque ædibus Deo sacris, fune ad collum alligáto, humi procúmbens, ab ómnibus, quos ántea móribus suis palam offénderat, véniam exorávit. Mox Cortónam profécta in cínere, et cilício ab se læsam Dei majestátem placáre stúduit; donec post triennále virtútum experiméntum a Frátribus Minóribus, spirituális vitæ dúcibus, Tértii Ordinis hábitum impetrávit. Uberes exínde lacrymæ ei familiáres fuérunt, atque ima suspíria, tanta ánimi contritióne ducta, ut diu elínguis consísteret. Léctulus nuda humus, cervícal lapis aut lignum porréxit, atque ita noctes insómnes in cœléstium meditatióne tráhere

consuévit; nullum ámplius pravum desidérium perpéssa, dum bonus spíritus prómptior infírmam carnem ad subeúndos labóres erigébat.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v.

A dæmone insídiis funestísque conátibus lacessíta, Múlier fortis hostem ex verbis detéctum semel atque íterum invícta répulit. Ad eludéndum vanæ glóriæ lenocínium, quo a malo spíritu petebátur, prætéritos mores suos per vicos, et platéas alta voce accusáre non déstitit, omni supplício se ream inclámans: nec, nisi a confessário detérrita, in speciósam fáciem, olim impúri amóris causam, sævíre abstínuit; ægre ferens suam formam longa carnis maceratióne non aboléri. Quibus, aliísquæ magnæ pœniténtiæ arguméntis suórum críminum labe expiáta, atque ita de se triumphátrix, ut sensus plane omnes a mundi illécebris custodíret, digna facta est, quæ sæpe Dómini consuetúdine fruerétur. Ejúsdem quoque Christi, et Vírginis Matris dolórum, quod ipsa ardénter expetíerat, párticeps facta, cunctis sénsibus destitúta, et vere mórtua intérdum visa est. Ad eam proínde véluti ad perfectiónis magístram ex díssitis étiam regiónibus plúrimi conveniébant: ipsa vero cœlésti, quo erat perfúsa, lúmine, córdium secréta, consciéntias hóminum, imo et peccáta in remótis licet pártibus Deum offendéntium cum dolóre, et lácrymis détegens, summáque in Deum, et próximum charitáte fervens, ingéntem animárum fructum operáta est. Ægris ad se veniéntibus salútem, obséssis a dæmone liberatiónem impetrávit. Púerum defúnctum lugénte matre ad vitam redúxit. Imminéntes bellórum tumúltus assíduis orationíbus sedávit. Dénique summæ pietátis opéribus vivos, et mórtuos sibi deméruit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Tot sanctis opéribus occupáta, de rigóre, quo assídue corpus suum exercébat, nihil remísit, neque a stúdio cœléstia meditándi se avélli passa est; in utróque vitæ génere plane admiránda, utrámque sorórem, Magdalénam, et Martham, réferens. Tandem pro se Dóminum orans, ut ex hac valle lacrymárum sursum in cœléstem pátriam revocarétur, exaudíta est orátio ejus, die atque hora dormitiónis ei patefáctis. Méritis ítaque, et labóribus plena, ac cœléstibus donis cumuláta, cœpit córporis víribus destítui, perque dies decem, et septem nullo cibo, sed divínis tantum collóquiis refécta est: tum sanctíssimis Ecclésiæ Sacraméntis rite suscéptis, vultu hílari atque óculis in cœlum convérsis, octávo kaléndas mártias anno ætátis quinquagésimo, suæ conversiónis vigésimo tértio, humánæ vero salútis millésimo ducentésimo nonagésimo séptimo, felix migrávit ad sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorrúptum, illæsum, et suáviter olens, summa religióne cólitur in ecclésia Fratrum Minórum, quæ jam ab eádem Margaríta appellátur. Miráculis contínuo flóruit: quibus permóti románi Pontífices ad augéndum ejus cultum plúrima liberáliter indulsérunt: Benedíctus vero decimustértius in festo Pentecóstes die sextadécima maji anni millésimi septingentésimi vigésimi octávi solémnem ejus canonizatiónem religiosíssime celebrávit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et láudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória. Múlier.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum thesáuro, de Communi non Virg.

In Quadrag., Lect. ix de Homilia Feriæ.

In Laudib. ad Benedictus, Ant. Ut cognóvit, resípuit Seráphici Ordinis Magdaléna: dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum.

In Quadrages. fit comm. Feriæ.

In secundis Vesperis; ad Magnificat, Ant. Ego dilécto meo, et ad me convér-

sio ejus: invéni quem díligit ánima mea, ténui eum, nec dimíttam.

In Quadrag. comm. Feriæ.

## FESTA MARTII.

## PRIMA EX SEXTIS FERIIS MENSIS MARTII.

Officium sacrarum quinque plagarum D. N. J. C.
Duplex majus.

Habetur in hujus Proprii Sanctorum Parte Verna.

## DIE II. MARTII.

In festo S. Prosperi Episc. Comens., et Confess.
Duplex.

Oratio. Exáudi.

Lect. primi Noct. de Scriptura occurrente.

In Quadrag., Fidélis sermo.

Lect. 2., et 3. Noct. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

In Quadrages., Lect. IX. de Homilia Feriæ; de qua fit etiam commem.

## SECUNDA EX SEXTIS FERIIS MENSIS MARTII.

Officium sacratissimæ spineæ coronæ D. N. J. C.
Duplex majus.

Habetur in hujus Proprii Sanctorum Parte Verna.

## DIE VIII. MARTII.

In festo S. Provini Episc. Comens., et Conf.
Duplex.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem beáti Confessóris, et Pontíficis tui Províni festivitáte consecrásti; da, ut sicut ejus solemnitáte gaudémus, ita ejus précibus miseratiónis tuæ largitátem sentiámus. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Thomæ de Aquino. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Thoma, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui mira erudítióne clarífícas, et sancta operatióne fecúndas; da nobis, quæsumus, et quæ dócuit, intelléctu conspícere, et quæ egit, imitatióne complére. Per Dóminum.

Deinde in Quadrag. fit commem. Feriæ.

Lect. primi Noct. de Scriptura occurrente.

In Quadrag., Fidélis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

PROVÍNUS natióne Gallus, ex urbe Provína, audíta sancti Ambrósii fama, Mediolánum venit, a quo veri Dei cultum, et christiánæ religiónis Sacraménta dídicit. Hunc póstmodum fídei mystériis imbútum Ambrósius Felíci, qui eo témpore coménsem regébat Ecclésiam, adjutórem misit; a quo benígne est suscéptus, et, ejus vitæ sanctitáte perspécta, in successórem eléctus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

MÓRTUO Felíce, Provínus gregem sibi commíssum sanctæ conversatiónis exémplo, et verbo fructuósæ prædicatiónis curáre non déstitit, atque errántibus salutíferæ correptiónis remédium in spíritu lenitátis exhíbuit. Nec in edéndis miráculis divína ei grátia défuit; nam et cæcis visum restítuit, et ægrótos mánuum impositióne, et obsecratiónibus sanávit. Quo témpore, cum omnes fere Ecclésiæ Arianórum hæresi inféctæ forent, Provínus a fide cathólica numquam aberrávit, Ambrósium magístrum sortítus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio VI.

TANDEM completo fidéliter suæ administratiónis offício, plenus diérum, Amántium régia stirpe ortum, exémplo Felícis, successórem désignans, vitam in pace finívit, et in æde nómini ejus dicáta repósitum. Cujus sepúlchrum a febricitántibus frequentátur, qui plerúmque, suscépto voto, sanitátem recípiunt.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

In tertio Noct. Homilia in

Evang., Homo péregre. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

In Quadrages., Lect. IX. de Homilia Feriæ; de qua fit etiam commem.

## DIE XI. MARTII.

### IN FESTO S. BENEDICTI EPISC., ET CONF. Duplex.

Oratio. Da, quæsumus, omnípotens.

Et fit commem. Ss. Quadraginta Martyr. Antiph. Gáudent in cœlis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut, qui gloriósos Martyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Deinde in Quadrages. fit commem. Feriæ.

Lect. primi Noct. de Scriptura occurrente.

In Quadrag., Fidélis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

BENEDÍCTUS, Epíscopus mediolanénsis, magna cum ómnium admiratióne, conjúnctam hábuit ánimi constántiam, prudentiámque rerum gerendárum cum bonárum ártium stúdiis, quibus miríﬁce déditus fuit. Is, postquam diu rem ecclesiásticam strénue administrásset, íncidit in ea témpora, ut Ecclésiæ suæ cáusam tum litterárum auctoritáte, tum ánimi constántia deféndere necésse habéret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

INDE fama íngens est secúta Dei Servum, non per Itáliam modo, sed apud ésteras quóque gentes. Dictávit, scripsítque nonnúlla, et monastérium intra Portam Novam cóndidit, cui nomen e suo fecit. Demum cum diu sedísset invícto semper ánimo, miraculísque étiam clárus, quiévit in Dómino, et in basílica Ambrosiána sepúltus fuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Homilia 59, quæ est 2, de S. Eusebio Vercellensi

Lectio vi.

Ad sancti, ac beatíssimi Patris nostri Benedícti, cujus hódie festa celebrámus, láudes addidísse áliquid, decerpsísse est, síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct. Homilia in Evang.. Homo péregre. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

In Quadrages., Lectio ix. de Homilia Feriæ, de qua fit etiam commem.

# OFFICIUM
## DE SANCTISSIMO
# CORPORE CHRISTI.

Ex Indulto Clementis Papæ XI. recitandum sub ritu Semiduplici omnibus Feriis quintis, non impeditis Festo novem Lectionum, etiam translato, excepto Adventu, Quadragesima, Vigiliis, ac etiam Feria illa, in qua secundum Rubricas Officiùm Dominicæ aliquando erit apponendum, juxta S. R. C. Decretum 20. martii 1706.

Si in Feria IV. vel VI. occurrerit aliquod Festum IX. Lect., Vesperæ ordinandæ erunt juxta Rubricam de Concurrentia Officii.

Si occurrat aliquot Fest. simplex fit de eo commem.

### In primis Vesperis,

Ant. Sacérdos in ætérnum.

Psalmus 109.

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Ant. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem, et vinum óbtulit.

Ant. Miserátor Dóminus.

Psalmus 110.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini, *

exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio, et magnificéntia opus ejus: * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors, et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hæreditátem Géntium: * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte, et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium. Ant. Cálicem.

Psalmus 115.

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino,* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Ant. Cálicem salutáris accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis. Ant. Sicut novéllæ olivárum.

Psalmus 127.

Beati omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abún-

dans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo: * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Sicut novéllæ olivárum, Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini.

Ant. Qui pacem.

Psalmus 147.

LAUDA, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni: * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Qui pacem ponit fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Capit. 1. Cor. 11. e

FRATRES, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus.

PANGE, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit Géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro cláusit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ

úmbens cum frátribus,
erváta lege plene
is in legálibus,
um turbæ duodénæ
dat suis mánibus.
erbum caro, panem ve-
rum
bo carnem éfficit:
ue sanguis Christi me-
rum;
si sensus déficit,
firmándum cor sincérum
a fides súfficit.
antum ergo Sacramén-
tum
jerémur cérnui:
antíquum documéntum
o cedat rítui:
estet fides suppleméntum
suum deféctui.
enitóri, Genitóque
s, et jubilátio,
us, honor, virtus quoque
, et benedíctio:
ocedénti ab utróque
npar sit laudátio. Amen.
. Panem de cœlo præsti-
i eis.
. Omne delectaméntum
se habéntem.
Ad Magnificat, Antiph.
quam suávis est, Dómine,
ritus tuus, qui ut dul-
inem tuam in fílios de-
nstráres, pane suavíssimo
cœlo præstito, esuriéntes
les bonis, fastidiósos dí-
s dimíttens inánes!

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti; tríbue, quæsumus, ita nos córporis, et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis, et regnas.

Deinde fiunt commemor. communes, seu Suffragia, ut in Psalterio, si faciendæ sint.

Ad Completorium, et per Horas, in fine Hymnorum, dicitur. Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine.

Et dicantur Preces Dominicales, ut in Psalterio, si dicendæ sint.

Ad Matutinum, Invitat.

Christum Regem adorémus dominántem Géntibus: * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem.

Psalmus. Veníte, exultémus.

Hymnus.

Sacris solémniis juncta sint
gáudia,
Et ex præcórdiis sonent præ-
cónia:
Recédant vétera, nova sint
ómnia,
Corda, voces, et ópera.
Noctis recólitur cœna no-
víssima,

Qua Christus créditur agnum, et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta pátribus.

Post agnum typicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum discípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.

Dedit fragílibus córporis férculum,
Dedit et trístibus sánguinis póculum,
Dicens, Accípite quod trado vásculum,
Omnes ex eo bíbite.

Sic sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis presbyteris, quibus sic cóngruit,
Ut sumant, et dent céteris.

Panis Angélicus fit panis hóminum,
Dat panis cœlicus figúris términum:
O res mirábilis! mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis.

Te, Trina Déitas, únaque póscimus,
Sic nos tu vísita, sicut te cólimus,
Per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas. Amen.

In primo Nocturno, Ant. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Psalmus 1.

Beatus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. Fructum salutíferum

gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Ant. A fructu fruménti, et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitátem, et quærítis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. A fructu fruménti, et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Ant. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

Psalmus 15.

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, et cálicis mei: * tu es, qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper, et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: *

quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

℣. Panem cœli dedit eis. ℟. Panem Angelórum manducávit homo. Pater noster. Absol. Exáudi, Dómine.

℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Benedictióne perpétua.

Lectiones primi Nocturni semper legantur de Scriptura occurrente, cum Responsoriis positis infra.

℟. I. Immolábit hœdum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ: * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis, et veritátis. Et edent.

Ben. Unigénitus Dei Fílius.

℟. II. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus: * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum.

℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste est.

Bened. Spíritus sancti grátia.

℟. III. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem: qui surgens comédit, et bibit: * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et ambulávit. Glória Patri. Et.

In secundo Noct., Ant. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Psalmus 19.

Exaudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui: * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum: * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo: * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: * nos autem surréximus, et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem: * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Ant. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Ant. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes qui tríbulant nos.

Psalmus 22.

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam etsi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes, qui tríbulant nos. Ant. In voce exultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

Psalmus 41.

Quemadmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit anima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirá-

bilis, usque ad domum Dei:

In voce exultatiónis, et confessiónis, * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. In voce exultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini. ℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti ℟. Et de petra, melle saturávit eos. Pater noster. Absol. Ipsíus píetas. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Deus Pater omnípotens.

Lectiones secundi Nocturni ponuntur inferius post Officium, ordine mensium, cum suis Responsoriis.

In tertio Nocturno, Ant. Introíbo ad altáre Dei: sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Psalmus 42.

Judica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam, et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei; * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Introíbo ad altáre Dei: sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Ant. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti: et de petra, melle saturávit nos.

Psalmus 80.

Exultate Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum; * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israel est: * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti: * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te; * Israel, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti: * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam: * et Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum: * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me: * Israel si in viis meis ambulásset:

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem: * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei: * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti: * et de petra, melle saturávit eos.

Ant. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti: et de petra, melle saturávit nos.

Ant. Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus: in quem cor, et caro nostra exúltant.

Psalmus 83.

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine, virtútum! * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine, virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus: * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus: * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ant. Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus: in quem cor, et caro nostra exúltant.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis. Pater noster.

Absol. A vínculis. ℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Evangélica léctio.

Lectiones tertii Nocturni cum suis Responsoriis ponuntur inferius post Lectiones secundi Nocturni, ordine mensium.

## AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Sapiéntia ædificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliq. ut in Dom.

Ant. Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et panem de cœlo præstitísti eis. Ant. Pinguis est panis Christi, et præbébit delícias régibus. Ant. Sacerdótes sancti incénsum, et panes ófferunt Deo. Ant. Vincénti

dabo manna abscónditum, et nomen novum.

Capitulum. 1. Cor. 11. c

FRATRES, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus.

VERBUM supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit, et sánguinem;
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutáris Hóstia,
Quæ cœli pandis óstium:
Bella prémunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

Uni, trinóque Dómino
Sit sempitérna glória:
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria. Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Ad Benedictus, Antiph. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quæsumus, ita nos córporis, et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis, et regnas cum Deo Patre.

Deinde fiunt commemor. communes, seu Suffragia, ut in Psalterio.

Ad Primam, ℟. br. Christe Fili. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Et dicuntur preces dominic., ut in Psalterio.

Ad Tertiam, Antiphona. Angelórum esca.

Capit. Frátres, Ego enim accépi. ut supra.

℟. br. Panem cœli, * Dedit eis. Panem cœli. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit eis. Glória Patri. Panem. ℣. Cibávit illos

ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

Ad Sextam, Antiphona. Pinguis est panis.

Capitulum. 1. Cor. 11. f

QUOTIESCUMQUE enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. br. Cibávit illos, * Ex ádipe fruménti. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex ádipe. Glória Patri. Cibávit. ℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

Ad Nonam, Antiphona. Vincénti.

Capitulum. 1. Cor. 11. f

QUICUMQUE manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne; reus erit córporis, et sánguinis Dómini.

℟. br. Edúcas panem, * De terra. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. De terra. Glória Patri. Edúcas. ℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, præter:

Ad Magnificat, Antiph. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur: recólitur memória passiónis ejus: mens implétur grátia: et futúræ glóriæ nobis pignus datur.

Oratio ut supra in Laud.

Deinde fiunt commemor. communes, seu Suffragia, ut in Psalterio, si facienda sint.

## MENSE FEBRUARIO.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 60. ad popul. Antioch.

Lectio IV.

NECESSARIUM est, dilectíssimi, mysteriórum díscere miráculum, quodnam sit, et quare sit datum, et quæ ejus rei utílitas. Unum corpus effícimur: membra, inquit, ex carne ejus, et ex óssibus ejus: sequámur autem initiáti quæ dicúntur. Ut ítaque non tantum per charitátem hoc fiámus, verum étiam ipsa re in illam misceámur carnem: hoc namque per escam effícitur, quam largítus est nobis, volens osténdere desidérium quod erga nos habet. Proptérea semetípsum nobis immíscuit, et corpus suum in nos contemperávit, ut unum quid simus tamquam corpus cápiti coaptátum: ardénter enim amántium hoc est.

℟. Cœnántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait: * Accípite, et comédite: hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? Accípite.

Lectio v.

Tamquam leónes ígitur ignem spirántes ab illa mensa recedámus, facti diábolo terríbiles, et caput nostrum mente revolvéntes, et charitátem, quam erga nos osténdit. Nam paréntes quidem áliis sæpe fílios trádunt aléndos: ego autem, inquit, non ita; sed cárnibus meis alo, et meípsum vobis appóno, vos omnes generósos esse volens, et spem bonam de futúris vobis præbens: quippe qui vobis hic me ipsum trádidi, multo magis id in futúro fáciam. Vólui frater vester fíeri, carni propter vos, et sánguini communicávi: vobis vicíssim ipsam carnem, et sánguinem, per quæ cognátus vester factus sum, trado.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc fácite.

Lectio vi.

Attendamus ítaque nobis ipsis, dilectíssimi, tálibus fruéntes bonis: et cum áliquid turpe dícere voluérimus, vel nos ab ira córripi vidérimus, vel álio quópiam hujúsmodi vítio, considerémus quibus facti sumus digni: talísque cogitátio nobis irrationabílium mótuum sit corréctio. Quotquot ígitur hujus partícipes córporis effícimur, quotquot sánguinem degustámus; cogitémus, quod illum sursum sedéntem, qui ab Angelis adorátur incorruptíbili vicínus virtúti, hunc degustámus. Hei mihi, quot ad salútem nobis viæ! Nos corpus suum effécit, nobis suum communicávit corpus: et horum nos nihil a malis avértit.

℟. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt: * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.

Hic est panis. Glória Patri. Hic est.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII. Cap. 6. f

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tractatu 27. in Joann.

Verba Dómini ex Evangélio, quæ sermónem prístinum consequúntur, audívimus. Hinc sermo debétur áuribus, et méntibus vestris, et hodiérna die non importúnus est. Est enim de córpore Dómini, quod dicébat se dare ad manducándum propter ætérnam vitam. Expósuit autem modum attributiónis hujus, et doni sui, quómodo daret carnem suam manducáre, dicens: Qui mandúcat carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in illo. Signum quia manducávit, et bibit, hoc est: si manet, et manétur; si hábitat, et inhabitátur; si hæret, ut non deserátur.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

Lectio VIII.

Hoc ergo nos dócuit, et admónuit mysticis verbis, ut simus in ejus córpore sub ipso cápite in membris ejus, edéntes carnem ejus, non relinquéntes unitátem ejus. Sed qui áderant, plures non intelligéndo scandalizáti sunt: non enim cogitábant, hæc audiéndo, nisi carnem; quod ipsi erant. Apóstolus autem dicit, et verum dicit: Sápere secúndum carnem, mors est. Carnem suam dat nobis Dóminus manducáre; et sápere secúndum carnem, mors est. Cum de carne sua dicat, quia ibi est vita ætérna: ergo nec carnem debémus sápere secúndum carnem, sicut in his verbis: Multi ítaque audiéntes, non ex inimícis, sed ex discípulis ejus, dixérunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audíre?

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit

illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus. Et qui. Glória Patri. Et qui.

Lectio IX. de sancto Simplici, si occurrat; alias,

Lectio IX.

Si discípuli durum habuérunt istum sermónem, quid inimíci? Et tamen sic oportébat ut dicerétur quod non ab ómnibus intelligerétur. Secrétum Dei inténtos debet fácere, non advérsos: isti autem cito defecérunt, tália loquénte Dómino Jesu Christo. Non credidérunt áliquid magnum dicéntem, et verbis illis áliquam grátiam cooperiéntem: sed prout voluérunt, ita intellexérunt, et more hóminum: quia póterat Jesus, aut hoc disponébat Jesus, carnem, qua indútum erat Verbum, véluti concísam, distribúere credéntibus in se. Durus est, ínquiunt, hic sermo: quis potest eum audíre?

Te Deum.

## MENSE MARTIO,

ante Quadragesimam.

In secundo Nocturno.

Sermo

S. Joánnis Chrysóstomi.

Ex Hom. 60. ad popul. Ant.

Lectio IV.

Quóniam Verbum dicit: Hoc est corpus meum: et assentiámur, et credámus, et intellectuálibus ipsum óculis intueámur. Nihil enim sensíbile nobis Christus trádidit: sed sensibílibus quidem rebus, at ómnia intelligibília. Itidem et in baptísmate: per rem, nempe sensíbilem aquam, donum confértur: intelligíbile vero quod perfícitur, generátio, et renovátio. Si enim incorpóreus esses, nuda, et incorpórea tibi dedísset ipse dona: sed quóniam ánima córpori consérta est, in sensibílibus intelligibília tibi præbet. Quot nunc dicunt: Vellem ipsíus formam aspícere, figúram, vestiménta, calceaménta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum mandúcas. Et tu quidem vestiménta cupis vidére: ipse vero tibi concédit non tantum vidére, verum et manducáre, et tángere, et intra te súmere.

℟. Cœnántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait: * Accípite, et comédite: hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? Accípite.

Lectio v.

Igitur accédat nemo cum náusea, nemo resolútus, omnes accénsi, omnes fervéntes, et excitáti. Nam si Judæi stantes, et calceaménta in pédibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinatióne comedébant: te multo magis opórtet esse solértem. Nam illi quidem in Palæstínam erant profectúri, et proptérea viatórum figúram habébant: tu vero debes in cœlum migráre. Quaprópter in ómnibus opórtet te vigiláre: nec enim parva pœna propónitur indígne suméntibus. Cógita quantum advérsus proditórem indignáris, et contra eos qui illum crucifixérunt; ítaque consídera, ne tu quoque sis reus córporis, et sánguinis Christi. Illi sanctíssimum corpus occidérunt, tu vero pollúta súscipis ánima, post tot benefícia. Neque enim illi satis fuit, hóminem fieri, cólaphis cædi, et crucifígi: verum et semetípsum nobis commíscet; et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum éfficit corpus.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc fácite.

Lectio vi.

Quo non opórtet ígitur esse puriórem, tali fruéntem sacrifício? quo solári rádio non splendidiórem manum carnem hanc dividéntem? os quod igne spirituáli replétur, linguam quæ treméndo nimis sánguine rubéscit? Cógita quali sis insignítus honóre, quali mensa fruáris. Quod Angeli vidéntes horréscunt, neque líbere áudent intuéri propter emicántem inde splendórem; hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre? Et quid dico, pástor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolóres, fílios áliis tradunt nutrícibus. Hoc autem ipse non est passus: sed ipse nos próprio sánguine pascit, et per ómnia nos sibi coagméntat.

℟. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mór-

tui sunt: * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic est panis. Glória Patri. Hic est panis.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 6. f

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tractatu 27. in Joannem, circa medium.

Díximus, fratres, Hoc Dóminum commendásse in manducatióne carnis suæ, et potatióne sánguinis sui, ut in illo maneámus, et ipse in nobis. Manémus autem in illo, cum sumus membra ejus: manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, únitas nos compáginat: ut compáginet únitas, quæ facit, nisi cháritas? Et cháritas Dei unde? Apóstolum intérroga. Cháritas, inquit, Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

Lectio viii.

Ergo spíritus est, qui vivíficat: spíritus enim facit viva membra: nec viva membra spíritus facit, nisi quæ in córpore, quod végetat ipse spirítus, invénerit. Nam spíritus qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivíficat membrum, quod separátum invénerit a carne tua? Spíritum tuum dico, ánimam tuam. Anima tua non vivíficat nisi membra quæ sunt in carne tua: unum si tollas, jam non vivificátur ex ánima tua, quia unitáti córporis tui non copulátur.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus. Et qui mandúcat me. Glória Patri. Et qui mandúcat.

Lectio IX. de sancto Simplici, si occurrat; alias,

Lectio IX.

Hæc dicúntur, ut amémus unitátem, et timeámus separatiónem. Nihil enim sic debet formidáre Christiánus, quam separári a córpore Christi. Si enim separátur a córpore Christi, non est membrum ejus: si non est membrum ejus, non vegetátur Spíritu ejus. Quisquis autem, inquit Apóstolus, Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Spíritus ergo est, qui vivíficat, caro autem non prodest quidquam. Verba, quæ ego locútus sum vobis, spíritus, et vita sunt. Quid est, Spíritus, et vita sunt? spirituáliter intelligénda sunt. Intellexísti spirituáliter? Spíritus, et vita sunt. Intellexísti carnáliter? Etiam sic illa spíritus, et vita sunt, sed tibi non sunt.

Te Deum.

# COMMEMORATIO

## OMNIUM SANCTORUM MARTYRUM

facienda die 26. Decembris
in parte Diœcesis extra Helvetiam sita.

In secundis Vesperis Nativitatis, post comm. S. Stephani Protomart. Antiph. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

In Laudib. S. Stephani, ante comm. Octavæ Nativ. Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére, multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

In secundis Vesperis Festi S. Stephani, ante alias commem. Ant. Gáudent in cœlis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Commemoratióne lætíficas; concéde propítius, ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

# COMMEMORATIO

## SANCTI ABUNDII EPISCOPI

### Patroni principalis sanctæ novocomensis Ecclesi[…] facienda inter Suffragia Sanctorum.

**Ad Vesperas, et ad Laud.**

Antiph. S. Abúndi Præsul, coménsem Ecclésiam próte-ge; quo te protegénte, fiat cuncta redúndans cópia, quam pastorâli quondam rexísti doctrína.

℣. Ora pro nobis, sancte Abúndi.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

**Oratio.**

INTERVENIÉNTE, quæsu[…] Dómine, beáto Abú[…] Confessóre tuo atque […]tífice, nos divína grátia […]véniat, et sequátur, a[…] ab univérsis offénsis […]tur. Per Dóminum.

REIMPRIMATUR.
Comi 28 Aprilis 1846.
✠ CAROLUS EPISCOPUS.

# KALENDARIUM.

## NOVEMBER.



## DECEMBER.



## JANUARIUS.



## FEBRUARIUS.

## MARTIUS.

# PROPRIUM

# SANCTORUM

## PRO SANCTA

## NOVOCOMENSI ECCLESIA.

**PARS VERNA.**

NOVI COMI
EX TYPIS HAEREDUM C. PETRI OSTINELLI
MDCCCXLVI.

# PROPRIUM SANCTORUM

## PRO SANCTA

## NOVOCOMENSI ECCLESIA.

### DIE IX. FEBRUARII.

In festo
. Joannis de Matha Conf.

(Ex hesterna die hodie
ignato).

Duplex.

Omnia ut in Breviario,
m IX. Lect. de Homilia
riæ; et commem. S. Apol-
niæ Virg., et Mart. in pri-
s Vesperis, et Laudibus.

### DIE XI. FEBRUARII.

In festo
. Lazari Episc., et Conf.

Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor.
itatur tertius versus.
Oratio. Da, quæsumus.

Commem. S. Scholasticæ
rg. Antiph. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Deus, qui ánimam beátæ vírginis tuæ Scholásticæ, ad ostendéndam innocéntiæ viam, in colúmbæ spécie cœlum penetráre fecísti: da nobis ejus méritis, et précibus, ita innocénter vívere, ut ad ætérna mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

Deinde fit comm Feriæ. In Quadrages., Lectiones primi Noct., Fidélis sermo. Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Vastabant sævíssime Itáliam Bárbari, cum Lá-

zarus civis mediolanénsis, ex Primicério, Ecclésiæ illíus Epíscopus creátus est. Undecim annos id pastorále munus ténuit: quo témpore omnia barbáricæ violéntiæ exémpla pértulit; nec tamen umquam ab ulla pastoráli cura remísit ánimum, divínæ Majestátis opem assídue implórans, ut sibi, populóque suo subveníret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Instítuit triduánas Litanías, quæ inter ejus Ecclésiæ ritus quotánnis celebrántur. Quæ cum ad Barbarórum ímpetum repelléndum præcípue institútæ essent; ídeo crebra ibi méntio est custódiæ mœnium, et portárum urbis advérsus ímpetus hostíles. Mórtuus est sub Leóne Primo románo Pontífice, et in Basílica Apostolórum ejus corpus honoríﬁce custodítur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manum enim mea auxi tur ei. ℣. Invéni Davi vum meum, óleo sanct unxi eum. Manus eni

Lectio vi. Ad sanct Comm. Conf. Pont. loco cum ℟. sexto.

In tertio Noct. Hom Evang. Homo péregr Comm. Conf. Pont. 1.

In Quadrag. Lectio Homilia Feriæ; et com ejusdem Feriæ in Laud

Vesp. a Capit. de seq

DIE XII. FEBRUAR

In festo
BB. Septem Fundato
Ordinis Servorum B. M
Duplex.

In primis Vesp., q dicuntur integræ, A de Laud., Psalmi de Do loco ultimi, Laudáte minum, omnes gentes

Capitulum. Ad Hebr

Fratres, mementóte positórum vestrórun vobis locúti sunt ve Dei; quorum intuéntes tum conversatiónis, i mini fidem. Hymn

Festívis résonent cá
pláusibus;
Et quam Virgo Parens
vida déstinet

Illústrem Sóbolem, lúmine
ut ímpleat
Orbem, láudibus éfferant.
Hi sunt qui, pátriæ sedis
honóribus
Calcátis, súperant árdua
móntium,
Ut myrrhæ lácrymas, atque
ánimo ferant
Mæstam thuris imáginem.
Hos atris décorat véstibus
ínclyta
Virgo, ut quam súbiit, per-
níciem fléant,
Cum Nati ingémuit trístia
fúnera
Crucis próxima stípiti.
Servórum título signat ab
æthere
Cœléstis Génitrix, et nova
gérmina.
In partem sóciat luctus, et
ímperat
Cælum hinc súrgere pérpe-
tem.
Regis qui Súperum vól-
vere júgiter
Curet supplícium, sævaque
prædicet
Quæ, in Templo Símeon
mente prophética,
Matris vúlnera nóverat.
Acclíni Dóminum Te pre-
ce póscimus,
Sanctórum réseres cómpita
gréssibus
Signáta, et páribus nos quo-
que præbeas
Ad Te pérgere víribus.
Amen.

℣. Oráte pro nobis, septem beáti Patres.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Antiph. Isti sunt viri misericórdiæ, quorum pietátes non defuérunt. Semen eórum, et glória eórum non derelinquétur.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui in jugem memóriam dolórum sanctíssimæ tuæ Genitrícis per septem beátos Patres nova servórum ejus família Ecclésiam tuam fœcundásti; concéde nobis fámulis tuis in hac lacrymárum valle degéntibus, ita ejúsdem mœstíssimæ Matris sócios cum ipsis esse passiónum in terris, ut perpétuæ consolatiónis consórtes fíeri mereámur in cœlis: Qui vivis, et regnas.

Deinde fit comm. S. Lazari Episc., et Conf. Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípo-

tens Deus: ut beáti Lázari Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Deinde fit comm. Feriæ.

Ad Matutinum, Invitat.

Mirábilem Dóminum in Servis Deíparæ, * Veníte, adorémus.

Psalmus. Veníte.

Hymnus.

Præclara septem lúmina
Tusci micántis ætheris,
Vos Virgo Mater éxcitat,
Ut luce mundus spléndeat.

Vos labra lacte pærlita
Servos Maríæ nóminant:
Tum Virgo vos Senários
Adíre colles ímperat.

Vos ipsa Mater ínclyta
Funébre pállio índuit;
Ut defleátis vúlnera,
Quæ pértulit sævíssima.

Hoc ipsa cœli e cúlmine
Petro revélat Mártyri,
Jubétque cœtum pérpetem
Hinc pósteris constítui.

Qui famuléntur júgiter,
Ipsámque semper díligant,
Colant,propágent,prædicent
Ejus dolóres flébiles.

Quæso, Duces fortíssimi,
Ah vos sequámur strénue:
Ardor dolórque férvidus
In Vírginem nos óccupent.

Et tu, supérna Trínitas,
Perfúnde sancto róbore,
Vitámque fac non ímparem
Nostris Beátis dúcere. Amen.

In primo Nocturno, Ant. In vértice móntium plantávit Regína Mártyrum víneam justórum, qui dolóres ejus meditabántur die ac nocte.

Psalmus 1.

Beatus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. In vértice móntium plantávit Regína Mártyrum víneam justórum, qui doló-

res ejus meditabántur die ac nocte. Ant. Dómina dixit ad eos: Fílii mei estis vos: exultáte, quia ego vos génui.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt Gentes,* et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua,* et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hæreditátem tuam,* et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea,* et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus,* beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Dómina dixit ad eos: Fílii mei estis vos: exultáte, quia ego vos génui.

Ant. Voce sua ad Dóminam clamavérunt, et exaudívit eos de monte sancto suo.

Psalmus 3.

DÓMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me?* multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es,* glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine

causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Voce sua ad Dóminam clamavérunt, et exaudívit eos de monte sancto suo.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 44.

LAUDÉMUS viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Lætábitur desérta, et ínvia, et exultábit solitúdo: * Et florébit quasi lílium. ℣. Gérminans germinábit, et exultábit lætabúnda, et láudans. Et.

Lectio ii.

HÓMINES dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum: et sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Sáliet sicut cervus cláudus, et apérta erit lingua mutórum: * Quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. ℣. In cubílibus, in quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami, et junci. Quia.

Lectio iii.

SED illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem, et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsit: * Propter amórem Dómini Jesu Christi. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre, fratres, in unum. Propter. Gloria Patri. Propter.

In secundo Nocturno. Ant. Non diligéntes vanitátem, nec requiréntes mendácium, ómnia sæculi bona abdicavérunt, et a Dómino mirificáti sunt.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte, quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. Non diligéntes vanitátem, nec requiréntes mendácium ómnia sæculi bona abdicavérunt, et a Dómino mirificáti sunt.

Ant. In multitúdine misericórdiæ Dóminæ suæ sperántes introiérunt in domum ejus, et adoravérunt ad templum sanctum ejus.

Psalmus 5.

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. In multitúdine misericórdiæ Dóminæ suæ sperántes introiérunt in domum ejus, et adoravérunt ad templum sanctum ejus.

Ant. Ex ore infántium, et lacténtium, servos tuos illos dicéntium, perfecísti, Dómina, laudem eórum. Quam admirábile est nomen tuum!

Psalmus 8.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, et boves univérsas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces

maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster,* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Ex ore infántium, et lacténtium, servos tuos illos dicéntium, perfecísti, Dómina, laudem eórum. Quam admirábile est nomen tuum!

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Lectio iv.

Décimo tértio christiáni nóminis sæculo inter álios florentínos patrítios septem erant avórum sánguine, opibúsque illústres; at virtútibus spectátis suis longe illustrióres, nuncupáti, ut Religióni nomen dedére, Bonfilius Monáldius, Bonajúncta Manétti, Manéttus Antelléensis, Amídeus de Amídeis, Ugúccio Ugucciónius, Sosténeus de Sosténeis, demum Aléxius de Falconériis. Cum hi trigésimo tértio supra millésimum ac biscentésimum annum auspicatíssimo Assúmptæ Vírginis festo, in sodalítio quodam, cui títulus Laudéntium erat, augustíssimæ Dei Genitríci, prout par erat, laudes exsólverent, ab eádem dulcíssime iis apparénte, inopíne monéri se séntiunt ad sublimióris vitæ genus, postbábito mundo, amplecténdum: absolutísque idcírco, quibus dabant óperam, láudibus, conféstim pérciti in unum, collatísque mutuo consíliis, supérnis Dei vocántis, vocantísque Deíparæ oráculis parére mox decrevérunt. Quod et sédulo factum est ab iísdem: nam consúlto statim matúre urbis Epíscopo, post fortúnæ abdicátis bonis, erogatísque ample in egénos, cilíciis carni obstríctis, vilióribus detritísque véstibus cinérei colóris indúti, in rurálem parvam ædículam secessérunt natalítio die amantíssimæ ipsórum Paréntis, ut vitæ sanctióris primórdia óptime inírent: qua die mortálibus orta sacratíssimam vitam ipsa inchoáverat.

℟. Omnes isti congregáti sunt, venérunt, Dómina, tibi: * Et ómnibus his velut ornaménto vestiéris.

℣. Et circúmdabis tibi eos quasi sponsa. Et ómnibus.

Lectio v.

Sic septem beáti viri, charitátis fœdere devíncti, eádem in domo semet uníerant; cum ecce per urbem

visos, statim Dómino sic disponénte, moventéque infantíles voces Deípara, ex infántium ore, ac lacténtium, inter quos tum puer erat sanctus Philíppus Benítius vix quintum mensem ingréssus, se Maríæ clamári Servos insperáto est audítum. Quanta tunc, et exínde amóris flamma in Dóminam suam, cujus (ignáris ipsis) declaráti Servi erant, excitátis stúdiis exárserint, non fácile est explicátu. Illud solum scitur, quod sic ei se dedidérunt, ut véluti Matrem suam venerári, maximóque honóre habére, morem ei gérere in ómnibus, et obtemperáre propter eam cunctis summópere studúerint. Hinc étiam ádeo jucúndi, gratíque ei fuére, ut, cum vitatúri pópuli pláusum in Senárium montem ab ipsa iis præosténsum habitatúri teténderint, ibíque crucifíxum Jesum, mœstissimámque Matrem doléntes assídue recólerent, appáruit illa eis, habitúque lúgubri assignáto in memóriam Dolórum suórum, ut compateréntur istis, eos consecrávit.

℟. Vocábo Servos meos, et índuam illos túnica mea, et cíngulo meo confortábo eos: * Et potestátem meam dabo in mánibus eórum.

℣. Et erunt quasi Patres habitántibus Jerúsalem. Et.

Lectio VI.

Ita cineríciis véstibus, indulgénte étiam Epíscopo, in nigras mutátis, post nonnúllos annos, fortunátis quidem auspíciis, claríssimum illud Prædicatórum Ordinis decus sanctus Petrus Martyr Floréntiam accéssit; et, audíta inspectáque simul non fucáta sanctimónia ipsórum, ita Dei amíci cœpérunt se mútuo dilígere; ut familiaríssime versaréntur ínvicem secum, seséque altérne fovérent. Inter cætera porro illud áccidit, quod, speránte ínclyto Mártyre honórem Deo non módicum, magnum Terris cómmodum próditum iri, si propítia Vírgine longe latéque propagaréntur, una cum ipsis impénse eam exoránte, ut arguménto áliquo voluntátem suam patefáceret; invocáta Virgo amans in visióne ei revelávit, se Viros illos septem, et qui ventúri erant post eos, inter mundi hómines omnes ad singuláre servítium suum selegísse, et com-

miserándis pœnis jam latis suis amaríssimis costruéndum Ordinem esse ad sui honórem, et glóriam. Hoc prodigióso Virgíneo decréto animáti humíllimi Patres, non quia suæ mentis fuísset successóres pósteros gígnere, sed ut jussa reseráta fácerent suprémæ eórum Regínæ, quæ nómine suo duratúram sibi famíliam fundári volúerat, institúere deínceps sacrum Servórum Ordinem decrevérunt; non tam ut primi ejus fundatóres, quam ut cœléstis suæ Fundatrícis minístri obsequéntes; quos proínde Dóminus, ut Servos bonos, et fidéles suos, ac Matris, in vita multis virtútibus, in morte multis prodígiis, post tránsitum multis miráculis adornávit: novíssime vero Benedíctus décimus tértius, ejus Institúti proféssor, cujus sanctus Petrus erat, ejus quoque in eos hæres amóris, Póntifex renunciátus, eórum miram Institutiónem, ut inclaréscere Orbi, lectiónibus his recenséri peramánter consúluit, ac mandávit.

℟. Vidi conjúnctos Viros habéntes lúgubres vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem volántem per médium cœlum, voce magna clamántem, et dicéntem. Isti sunt. Glória Patri. Isti.

In tertio Nocturno, Ant. Ingrediéntes sine mácula, et operántes justítiam, habitavérunt in tabernáculo tuo, et requievérunt in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Antiph. Ingrediéntes sine

mácula, et operántes justítiam, habitavérunt in tabernáculo tuo, et requievérunt in monte sancto tuo.

Ant. Glóriam, et magnum decórem imposuísti super eos, Regína Mártyrum, cum in memóriam dolórum tuórum lúgubrem vestem eos induísti. Psalmus 20.

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes; * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus, et psallémus virtútes tuas.

Ant. Glóriam, et magnum decórem imposuísti super eos, Regína Mártyrum, cum in memóriam dolórum tuórum lúgubrem vestem eos induísti. Ant. Hæc fuit generátio quæréntium Dóminam, quæréntium Stellam ex Jacob: Te laudámus, Rex glóriæ.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária

fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stábit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Hæc fuit generátio quæréntium Dóminam, quæréntium Stellam ex Jacob: Te laudámus, Rex glóriæ.

℣. Justi autem in perpétuum vivent.

℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII. Cap. 12. d

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. cap. 54. in Luc. 12.

Pusíllum gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris número reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat: quia vidélicet Ecclésiam suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte perveníre. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eídem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promíttit.

℟. Dábitur lugéntibus Sion coróna pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mœróris: * Et vocabúntur fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. ℣. Sacerdótes Dómini vocabúntur: Minístri Dei nostri. Et.

Bened. Quorum féstum cólimus.

Lectio viii.

Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus, hujus vitæ necessária desint: quin étiam posséssa, propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Dómino, suis ómnibus spretis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens: Argéntum, aut aurum, aut vestem nullíus concupívi: ipsi scitis, quóniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infírmos.

℟. Ego, quasi vitis, fructificávi suavitátem odóris: * Et flores mei fructus honóris, et honestátis. ℣. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. Et flores. Glória Patri. Et flores.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriæ.

AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis de Dominica.

Ant. Isti sunt viri septem boni testimónii, pleni Spíritu Sancto, et sapiéntia.

Ant. Appáruit eis Dómina Angelórum, et diléxit eos in visióne, et in agnitióne magnálium suórum.

Ant. Beáti viri tui, Regína ómnium; beáti servi tui, qui stant coram te semper.

Ant. Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timétis eum pusílli, et magni.

Capitulum. Ad Hebr. 13. 7.

Fratres, mementóte Præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Matris sub almæ Númine
Septéna Proles náscitur.
Ipsa vocánte ad ásperum
Senárii tendit vérticem.

Quos terra fructus próferet,
Dum sacra Proles gérminat,
Uvis repénte túrgidis
Onústa vitis édocet.

irtúte claros nóbili,
rs sancta cœlo cónsecrat,
iéntque Olympi límina
vi fidéles Vírgini.
ens o beáta, réspice,
no potíta Núminis,
os, hinc recédens, Tártari
fráude cínctos déseris.
rgo per almæ vúlnera
tris rogámus súpplices,
ntis tenébras ámove,
dísque flúctus cómprime.
t tu, supérna Trínitas,
fúnde sancto róbore,
ámque fac non ímparem
tris Beátis dúcere. Amen.
. Exultábunt sancti in
ria. ℟. Lætabúntur in
bílibus suis.
Ad Benedictus, Ant. Fecit
sericórdiam Dóminus cum
tribus nostris: eréxit no-
cornu salútis in domo
e Genitrícis. Serviámus

Oratio.

ómine Jesu Christe, qui
in jugem memóriam do-
um sanctíssimæ tuæ Ge-
rícis; per septem beátos
res nova servórum ejus
ília Ecclésiam tuam fœ-
dásti, concéde nobis fá-
lis tuis in hac lacrymá-
n valle degéntibus, ita
sdem mœstíssimæ Matris
ios cum ipsis esse passió-
m in terris, ut perpétuæ
isolatiónis consórtes fíeri
mereámur in cœlis: Qui vi-
vis, et regnas.

Deinde fit comm. Feriæ.

Ad Tertiam, Antiphona. Isti sunt viri septem.

Capit. Fratres. ut supra.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Lætámini. ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ad Sextam, Antiphona. Appáruit eis Dómina.

Capitulum. Eccli. 44.

Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus.

℟. br. Exúltent justi, * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Ad Nonam, Antiphona. Laudem dícite Deo.

Capitulum. Eccli. 44.

Fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent. Semen eórum, et glória eórum non derelinquétur.

℟. br. Justi autem, * In

perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.
℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, præter:

Ad Magnificat. Antiph.

O magnum charitátis opus: Regína géneris humáni primis nostris Pátribus mire appárens, e mundo eos evocáre, singuláriter sibi selígere, lúgubrem vestem indúere, unáque cum pósteris in peculiáres servos, ac fílios consecráre dignáta est. Te, Mater dulcíssima, et Dómina, laudámus, benedícimus, glorificámus.

Orátio. Dómine Jesu Christe. ut supra.

Deinde fit comm. S. Hilarii Episc., Conf., et Eccl. Doctor. Ant. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Orátio.

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Hilárium minístrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

Postea fit commem. Feriæ.

## DIE XIII. FEBRUARII.

In festo S. Hilarii Episc., Conf., et Eccl. Doctor.

(Ex die 14. januarii hodie assignato).

Semiduplex.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

In Quadrag., Lect. primi Nocturni. Fidélis sermo.

Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Hilarius in Aquitánia nóbili génere natus, doctrína, et eloquéntia excélluit. Qui primum in matrimónio quasi mónachi vitam egit: deínde propter singuláres virtútes Pictavórum Epíscopus creátur: quod munus episcopále sic gessit, ut a fidélibus summam laudem consequerétur. Quo témpore, cum terróribus, bonórum spoliatióne, exílio, et omni crudelitáte Constántius Imperátor Cathólicos vexáret, nisi ad ariánas

partes transírent: Hilárius tamquam firmíssimum murum se Ariánis oppónens, illórum furórem in se concitávit. Itaque multis petítus insídiis, tandem dolo Saturníni Arelaténsis Epíscopi, de Synodo Biterrénsi in Phrygiam relegátus est: ubi et mórtuum suscitávit, et libros duódecim scripsit de Trinitáte contra Ariános.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Quadriénnio post, coácto Concílio ad Seleucíam Isáuriæ urbem, Hilárius adésse compúlsus est: ac deínde Constantinópolim proféctus, ubi extrémum fídei períeulum animadvértit, tribus libéllis públice datis, audiéntiam Imperatóris popóscit, ut de fide cum adversáriis coram disputáret. Verum cum Ursácius, et Valens ariáni Epíscopi, quos Hilárius scriptis confutárat, præséntis eruditiónem pertiméscerent; Constántio persuasérunt, ut spécie honóris eum in suum Episcopátum restitúeret. Tunc Hilárium e prælio hæreticórum reverténtem, ut inquit sanctus Hierónymus, Galliárum Ecclésia compléxa est. Quem ad Episcopátum secútus est Martínus, qui póstea Turonénsi præfuit Ecclésiæ: tantúmque illo Doctóre profécit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

Magna deínceps tranquillitáte Pictavórum Ecclésiam administrávit, Galliámque univérsam addúxit, ut Arianórum impietátem condemnáret. Multos libros scripsit mira eruditióne, quos omnes sanctus Hierónymus ad Lætam sine ulla erróris suspicióne legi posse testátur illis verbis: Hilárii libros inoffénso decúrrat pede. Migrávit in cœlum ídibus januárii, Valentiniáno, et Valénte Imperatóribus, anno post Christum natum trecentésimo sexagésimo nono.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est,

et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 5. b

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía S. Hilárii Epíscopi.

Com. in Mat. can. 4. post init.

Vos estis sal terræ: quod si sal infatuátum fúerit, ad níhilum valet id quod saliétur. Sal, ut árbitror, terræ nullum est. Quómodo ergo Apóstolos sal terræ nuncupávit? Sed propríetas est quæréndа dictórum, quam et Apostolórum offícium, et ipsíus salis natúra monstrábit. Sal est in se uno cóntinens aquæ, et ignis eleméntum, et hoc ex duóbus est unum. ¶ Hic ígitur in omnem usum humáni géneris efféctus, incorruptiónem corpóribus, quibus fúerit aspérsus, impértit, et ad omnem sensum condíti sapóris aptíssimus est. Apóstoli autem sunt rerum cœléstium prædicatóres, et æternitátis velut satóres, immortalitátem ómnibus corpóribus, quibus eórum sermo aspérsus fúerit, conferéntes.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio VIII.

Mérito ígitur sal terræ nuncupáti sunt, per doctrínæ virtútem saliéndi modo æternitáti córpora reservántes. ¶ Sed natúra salis semper éadem est, nec immutári umquam potest. Verum quia conversióni homo súbjacet; et solus beátus, qui usque ad finem in ómnibus Dei opéribus permánserit: ídeo eos sal terræ nuncupátos monet in tráditæ sibi potestátis virtúte persístere, ne infatuáti nihil sáliant, et ipsi, sensu accépti sapóris amísso, vivificáre corrúpta non possint, et projécti de Ecclésiæ promptuáriis, cum his, quos salíerint, pédibus incedéntium proteránt ur.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus. ℣. Jucunditátem, et exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Lectio IX. de Homil. Feriæ, et ejusdem comm. in Laud.

Vesp. a Capit. de sequenti.

## DIE XIV. FEBRUARII.

IN FESTO
S. ILDEFONSI EPISC., ET CONF.
Semiduplex.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, præces nostras, quas in beáti Ildefónsi Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Hilarii. Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui pópulo. ut supra. p. 18*.

Deinde fit comm. Feriæ.

Postea S. Valentini Presb., et Mart. Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum.

In Quadrag., Lect. primi Nocturni, Fidélis sermo.

Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Ildefónsus, qui et Alphónsus dícitur, natióne Hispánus, Toléti nobilíssimis Stéphano, et Lúcia paréntibus ortus, omníque cura nutrítus, liberálibus disciplínis instrúctus est. Primum hábuit præceptórem Eugénium toletánum Antístitem, a quo miram ob índolem Híspalim

ad Isidórum mira tunc eruditióne polléntem est missus. Duódecim apud Isidórum commorátus annos, tandem fruge bona, doctrínáque sana imbútus, Tolétum remeávit ad Eugénium. Postquam vero factus est, ob vitæ candórem, peritiámque non vulgárem, ab Eugénio Ecclésiæ toletánæ Archidiáconus, mundi cúpiens láqueos declináre, in Agaliénsi monastério, quod sanctis Martyribus Cosmæ, et Damiáno tunc erat dicátum, insígne pietátis, cucúllum índuit. Cui neque paréntes jam prece, jam vi ómnia tentántes, obsístere valuérunt, quin constánter in propósito permanéret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

MÓNACHI non multo post Ildefónsum in demórtui Abbátis locum subrogárunt: Suspiciébant síquidem in eo (præter virtútes réliquas) æquitátem, morum facilitátem, prudéntiam, raram sanctitúdinem. Tantus ítaque fulgor, tanta veræ pietátis lux (quod ipse timébat) latére non pótuit. Eugénio namque vita functo, cleri, senátus, totíusque pópuli decréto, toletánus Archiepíscopus est creátus. In quo quidem Præsulátu, quantum verbo Ildefónsus profécerit, quæ mirácula edíderit, quam multis fúerit nomínibus de Vírgine matre bene méritus, non fácile quis explicáre quíverit. Cœnóbium vírginum in Deilfénsi víllula ædificávit, ac magnis munéribus áuxit. Hæréticos quosdam, qui in Hispánia hæresim Helvidiánam, tolléntem perpétuam Maríæ Dei Genitrícis virginitátem, disseminábant, doctíssime confutávit, ab Hispaniáque dépulit; quam disputatiónem explicávit libro, quem scripsit de beátæ Maríæ virginitáte, rem miráculo confirmánte. Cum enim Ildefónsus ad preces matutínas Expectatiónis beátæ Maríæ in ecclésiam nocte descénderet, cómites ejus in ecclésiæ límine, fulgóre quodam repentíno detérriti, retrocessérunt. Ille vero intrépidus ad aram progréssus, Vírginem ipsam vidit, et adorávit: ab eadémque vestem,

qua in sacrifíciis uterétur, accépit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

Cum étiam dies sanctæ Leocádiæ festus agerétur, et clerus, frequénsque pópulus convenísset, Ildefónsus ad sepúlchrum Vírginis Leocádiæ accédens, flexis supplíciter génibus præcabátur. Et ecce, reseráto repénte sarcóphago, Leocádia sanctíssime prodit: videntibúsque cunctis, et audiéntibus, Ildefónsi mérita de Vírgine María commendávit, dicens: O Ildefónse, per te vivit Dómina mea, quæ cœli cúlmina tenet. Et Præsule collaudáto redíbat. Ildefónsus, ne res sine téstibus tanta pósteris referrétur, arrépto Recesvínthi regis, qui forte tunc áderat, gladíolo; veláminis partem, quo caput Leocádiæ tegebátur, resécuit; eámque cum regio simul cultro célebri pompa in sacrárium íntulit, ubi usque hódie servátur. Scripsit multa luculentióri sermóne, quorum, váriis molestiárum occupatiónibus impedítus, áliqua semipléna relíquit. Obiit tandem divus Ildefónsus felíciter ac sancte, cum sedísset in Episcopátu annos novem, menses duos; sepúltus est in Basílica Leocádiæ, circa annum Dómini sexcentésimum septuagésimum séptimum, Recesvíntho in Hispánia regnánte. Cujus corpus in generáli a Saracénis Hispaniárum occupatióne in civitátem Zamorénsem translátum est; et in Ecclésia beáti Petri honorífice quiéscens, magna illíus pópuli religióne cólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória. Ipse.

In iii. Noct., Hom. S. August. Episc. in Evang., Vos estis sal terræ. ut in Comm. Doct.

Lectio ix. de Homil. Feriæ.

In Laudibus commem. ejusdem Feriæ.

Deinde S. Valentini, Ant. Qui odit ánimam suam in

hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Præsta, quæsumus. ut supra. p. 21*.

Vesp. a Capit. de sequenti.

## DIE XV. FEBRUARII.

In festo S. Raymundi de Pegnafort, Confessoris.

(Ex 23. januarii hodie assignato). Semiduplex.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ Sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti; concéde, ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

Comm. S. Ildefonsi Episc., et Conf. Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Exáudi, quæsumus. ut supra. p. 21*.

Deinde fit comm. Feriæ.

Postea Ss. Faustini, et Jovitæ Mart., Ant. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Faustíni, et Jovítæ solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

In Quadrag., Lect. primi Noct., Beátus vir. de Comm. Conf. non Pontif. secundo loco.

Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Beatus Raymúndus Barcinonénsis ex nóbili família de Pégnafort, christiánæ religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi, et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres lítteras

in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis, ac pontifício, civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius Barcinonénsis Epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem Ecclésiæ canonicátu, et præpositúra ornátus, univérso clero, et pópulo integritáte, modéstia, doctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem, et cultum semper pro víribus áuxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Annum círciter quintum supra quadragésimum agens, in Ordine Fratrum Prædicatórum, solémni emíssa professióne, ut novus miles in omni virtútum génere, sed præcípue in charitáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos, se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo Primo Aragóniæ regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi, et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem institueréiur Ordo Religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare, collátis inter se consíliis, Ordinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum fundavérunt: cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem Ordinis vocatiónem accommodatíssimas, quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório Nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem Ordinis Magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, *Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio VI.

Ab eódem Gregório Romam accersítus, et cappellání, ac pœnitentiárii, et confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu romanórum Pontíficum decréta, in divérsis concíliis, et epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem, ab ipso Pontífice sibi oblátum, constantíssime recusávit. Et totíus Ordinis Prædicatórum generále Magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo Aragóniæ regi sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi áuctor fuit. Multa patrávit mirácula; inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári Majóri Barcínonem reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis conféce-rit, et suum cœnóbium jánuis cláusis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus, et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto, quem Clemens Octávus in sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri. de Comm. Conf. non Pontif. primo loco.

In Laud. fit comm. Feriæ. Deinde Ss. Faustini, et Jovitæ, Antiph. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére, multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio. Deus, qui nos. ut supra.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XVI. FEBRUARII.

In festo
S. Julianæ Virg., et Mart.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti; concéde propítius, ut qui beátæ Juliánæ Vírginis, et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Comm. S. Raymundi de Pegnafort Confess., Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui beátum. ut supra. p. 24*.

Deinde fit comm. Feriæ. In Quadrages., Lect. primi Noct., De virgínibus. de Comm. Virg. 1. loco.

Extra Quadrages., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Natalem diem hódie recólimus sanctæ Juliánæ vírginis, quæ témpore Maximiáni Imperatoris, primo a suo patre Africáno cæsa est, gravitérque cruciáta; deínde a Præfécto Eléusio, cujus núptias recusábat, rursum cæsa, capíllis suspénsa, ære liquáto perfúsa, et in cárcerem conjécta; e quo póstmodum evocáta, rotárum torménta, flammas ígnium, ollam fervéntem superávit, ac tandem decollatióne cápitis martyrium consummávit. Quæ Nicomédiæ quidem passa est; et post breve tempus, Deo disponénte, in Campániam transláta. Attamen non desunt qui arbitréntur, illam Novi Comi martyrii triúmphum adéptam esse. Alii vero a Nicomediénsi Juliánam álteram distínguunt, quam civem ac Martyrem novocoménsem putant. Utcúmque res se hábeat; profécto Novocoménses sacras sub Juliánæ nómine Relíquias per plura sæcula in pervetústa æde primum eídem beátæ Dei fámulæ, dein gloriosíssimo Apostolórum príncipi nuncupáta, religióse asservárunt; e qua, demum exauguráta, ad próximam sancti Fidélis Mártyris basílicam transtulérunt; ubi, in arca marmórea cónditæ,

pia fidélium veneratióne colúntur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Sermo S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 1. de Virg., circa init.

Lectio v.

Quóniam hódie natális est Vírginis, invítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus: ne véluti tránsitu quodam prætrícta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ídeo laudábilis virgínitas, quia in martyribus reperítur: sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce compléctì quod supra usum natúræ sit? E cœlo accersívit quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quæsívit e cœlo, quæ sponsum sibi invénit in cœlo.

℟. Dilexísti justitiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Hæc nubes, áera, Angelos síderaque transgrédiens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, et toto háusit péctore. Nam quis tantum, cum invénerit, relínquat boni? Unguéntum enim exinanítum est nomen tuum: proptérea adolescéntulæ dilexérunt te, et attraxérunt te. Postrémo, non meum est illud, quóniam quæ non nubunt, neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, quæ Angelórum Dómino copulántur.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia, et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Noct., Homil. in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Communi Virg. primo loco.

In Quadrages., Lectio ix. de Homilia Feriæ; ac ejusdem comm. in Laudib.

Vesp. de sequenti; comm. S. Pauli Apostoli; deinde

S. Julianæ, Antiph. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio. Deus, qui inter. ut supra.

Postea fit comm. Feriæ.

## DIE XVII. FEBRUARII.

### In festo Cathedræ S. Petri Romæ.

(Ex 18. januarii hodie assignato). Duplex majus.

Omnia ut in Cathedra S. Petri Antiochiæ, in Breviario die 22. februarii, præter sequentia.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. de Ss. Apostolis Petro, et Paulo, ante med.

Lectio iv.

Cum duódecim Apóstoli, accépta per Spíritum sanctum ómnium locutióne linguárum, imbuéndum Evangélio mundum distribútis sibi terrárum pártibus suscepíssent, beatíssimus Petrus princeps Apostólici órdinis ad arcem románi destinátur impérii, ut lux veritátis, quæ in ómnium géntium revelabátur salútem, efficácius se ab ipso cápite per totum mundi corpus effúnderet. Cujus autem natiónis hómines in hac tunc urbe non essent? aut quæ usquam Gentes ignorárent, quod Roma didicísset?

℟. Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum: tibi trádidit Deus ómnia regna mundi: * Et ídeo tibi tráditæ sunt claves regni cœlórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis. Et.

Lectio v.

Hic conculcándæ philosophíæ opiniónes, hic dissolvéndæ erant terrénæ sapiéntiæ vanitátes, hic confutándi dæmonum cultus, hic ómnium sacrilegiórum impíetas destruénda, ubi diligentíssima superstitióne habebátur colléctum quidquid usquam fúerat vanis erróribus institútum. Ad hanc ergo urbem tu, beatíssime Petre Apóstole, veníre non métuis: et consórte glóriæ tuæ Paulo Apóstolo, aliárum adhuc Ecclesiárum ordinatiónibus occupáto,

silvam istam freméntium bestiárum, et turbulentíssimæ profunditátis océanum constántior, quam cum supra mare graderéris, ingréderis.

℟. Ego pro te rogávi, Petre, ut non defíciat fides tua: * Et tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos. ℣. Caro, et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et tu.

Lectio VI.

JAM pópulos, qui ex circumcisióne credíderant, erudíeras: jam antiochénam Ecclésiam, ubi primum christiáni nóminis dígnitas est orta, fundáveras: jam Pontum, Galátiam, Cappadóciam, Asiam, atque Bithyniam légibus evangélicæ prædicatiónis impléveras: nec aut dúbius de provéctu óperis, aut de spátio tuæ ignárus ætátis, trophæum crucis Christi románis árcibus inferébas; quo te divínis præordinatiónibus anteíbant et honor potestátis, et glória passiónis.

℟. Petre, amas me? tu scis, Dómine, quia amo te. * Pasce oves meas. ℣. Simon Joánnis díligis me plus his? tu scis, Dómine, quia amo te. Pasce. Glória. Pasce.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 16. b

IN illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homilía S. Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. c. 16. post initium.

DÓMINUS a discípulis requírit, quem se hómines esse dícerent: et adjécit, hóminis fílium. Hæc enim confessiónis tenénda rátio est, ut sicut Dei fílium, ita et fílium hóminis meminérimus: quia álterum sine áltero nihil spei tríbuit ad salútem. Editis ítaque, quæ divérsæ de eo erant, hóminum opiniónibus, quid de se ipsi séntiant, quærit. Petrus respóndit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. Sed Petrus conditiónes propositiónis expénderit. Dóminus enim díxerat: Quem me hómines esse dicunt, fílium hóminis? Et certe fílium hóminis contemplátio córporis præferébat. Sed addéndo, Quem me esse dicunt; significávit, præter id quod in se videbátur, esse áliud

sentiéndum: erat enim hóminis fílius. Quod ígitur de se opinándi judícium desiderábat? Non illud arbitrámur, quod de se ipse conféssus est: sed occúltum erat, de quo quærebátur, in quod se credéntium fides debébat exténdere.

℟. Quem dicunt hómines esse fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es, Simon Bar-Jóna, quia caro, et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego.

Lectio viii.

Et dignum plane conféssio Petri præmium consecúta est; quia Dei Fílium in hómine vidísset. Beátus hic est, qui ultra humánum óculos intendísse, et vidísse laudátus est: non id quod ex carne, et sánguine erat cóntuens, sed Dei Fílium cœléstis Patris revelatióne conspíciens: dignúsque judicátus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnósceret. O in nuncupatióne novi nóminis felix Ecclésiæ fundaméntum: dígnaque ædificatióne illíus petra, quæ inférnas leges, et tártari portas, et ómnia mortis cláustra dissólveret! O beátus cœli jánitor, cujus arbítrio claves ætérni áditus tradúntur, cujus terréstre judícium præjudicáta auctóritas sit in cœlo! ut quæ in terris aut ligáta sint, aut solúta, statúti ejúsdem conditiónem obtíneant et in cœlo.

℟. Elégit te Dóminus Sacerdótem sibi, ad sacrificándum ei, * Hóstiam laudis. ℣. Immola Deo sacrifícium laudis, et redde Altíssimo vota tua. Hóstiam. Glória Patri. Hóstiam.

Lect. ix. de Homilia Feriæ; ac ejusdem comm. in Laudib. post comm. S. Pauli Apost.

In secundis Vesperis, commemor. S. Pauli Apostoli; deinde S. Canuti Regis, et Martyris.

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Deus, qui ad illustrándam Ecclésiam tuam beátum Canútum regem martyrii palma, et gloriósis miráculis decoráre dignátus es; concéde propítius, ut sicut ipse Domínicæ passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempitérna perveníre mereámur.

Postea fit commem. Feriæ; et S. Simeonis Episc., et Márt., Antiph. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Simeónis Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

## DIE XVIII. FEBRUARII.

### In festo S. Canuti Regis, et Mart.

(Ex die 19. januarii hodie assignato).

Semiduplex ad libitum.

Si occurrat in Dominica, vel infra aliquam Octavam, omittitur, cum non sit transferendum.

In Quadrag., Lect. primi Nocturni. Fratr. deb. de Communi plur. Mart.

Extra Quadrag., de Script. occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Canutus Quartus, Svenónis Esthrítii Danórum regis fílius, fide, pietáte, et morum honestáte conspícuus, exímiæ sanctitátis a téneris annis spécimen dedit. Patérnum sceptrum summa ómnium acclamatióne adéptus, Religióni promovéndæ sédulo incúmbere, ecclésias redítibus augére, et pretiósa supelléctili ornáre cœpit. Tum zelo propagándæ fídei succénsus, bárbara regna justo certámine aggréssus, devíctas subditásque natiónes christiánæ legi subjugávit. Victóriis autem plúrimis gloriósus, et divítiis áuctus, regále diadéma ad Christi crucifíxi pedes abjécit, se, et regnum illi subjíciens, qui Rex regum est, et Dóminus dominántium. Corpus suum jejúniis, cilíciis, et flagéllis castigávit. In oratióne, et contempla-

tióne assíduus, erga páuperes profúsus, erga omnes benéficus semper fuit: nec umquam a justítiæ divínæque legis sémita defléxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v.

His aliísque virtútibus imbútus, ad suprémum perfectiónis ápicem sanctus rex properábat. Accidit autem, ut Angliæ regnum a Wilhélmo Normannórum duce formidábili exércitu invaderétur. Anglis vero, Danórum opem implorántibus, cum succúrrere rex decrevísset, belli expeditiónem Oláo fratri commísit. Qui regnándi cupiditáte illéctus, arma vertit in regis perníciem, milítibus, et pópulo contra illum concitátis. Nec defuérunt rebellióni fomént a. Cum enim rex (éditis légibus) décimas Ecclésiis solvi, Dei, et Ecclésiæ præcépta servári, transgressóres puníri sanxísset, pleríque pervérsi ac sceleráti hómines exacerbáti, primum quidem tumultuári, tum plebem commovére, ac tandem sanctíssimo regi necem molíri cœpérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Sciens ígitur rex, futurórum præscius, mortem sibi propter justítiam imminére; ea prænuntiáta, ad Ecclésiam sancti Albáni Mártyris Othóniæ, tamquam ad locum certáminis, proféctus est; et Sacraméntis munítus, agónem suum Dómino commendábat. Mox ibi advéniens conjuratórum multitúdo, ecclésiæ ignem admovére, fores confríngere, et in eam irrúmpere tentárunt. Quod cum perfícere non possent, ad fenéstras accedéntes, saxa, et sagíttas in sanctum regem, flexis génibus pro inimícis orántem, magno ímpetu jaculári non cessárunt; donec lápidum, et telórum íctibus, ac tandem láncea confóssus, glorióso martyrio, ante altáre exténsis bráchiis pro-

cúmbens, coronátus est, sedénte in Apostólico throno Gregório séptimo. Multis postea miráculis Mártyrem suum illustrávit Deus. Nam gravi penúria, et divérsis calamitátibus oppréssa Dánia, patráti sacrilégii pœnas luit. Plures étiam váriis languóribus afflícti, ad ejus túmulum remédium, et incolumitátem consecúti sunt. Cumque regína sacrum ejus corpus noctu clam surrípere, et álio transférre conarétur, emísso cœlitus ingénti splendóre pertérrita, a propósito cessávit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Si quis vult post me veníre. de Comm. unius Mart. 2. loco.

Lect. IX. de Homilia Feriæ.

In Laudib. fit commem. ejusdem Feriæ.

Deinde S. Simeonis, Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio. Infirmitátem nostram.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XIX. FEBRUARII.

### IN FESTO S. MANSUETI EPISC., ET CONF. Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit comm. S. Canuti, Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio ut supra.

Deinde fit comm. Feriæ.

In Quadrag., Lect. primi Noct. Fidélis sermo.

Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

MANSUÉTUS románus præcípue cláruit in romána synodo advérsus Monothelítas hæréticos, cui intérfuit, atque subscrípsit.

Hábuit vero étiam ipse Medioláni provinciálium suórum Episcopórum convéntum, cathólicæ fídei defendéndæ causa: in quo quidem convéntu, præter céteras actiónes, scripta fuit epístola illa plena sincéræ, et sanctæ eruditiónis ad Constantínum Imperatórem hujus nóminis Quártum: qua epístola eorúmdem Monothelitárum erróres arguebántur. Sancte constantérque administráta Ecclésia, cum migravísset ad Dóminum, in basílica Ambrosiána sepúltus est magno pópuli concúrsu. Sacræ ipsíus Relíquiæ hódie in basílica sancti Stéphani majóris pia veneratióne colúntur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo únxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Ex Homilia 59.

quæ est 2. de S. Eusebio.

Lectio v.

Beati Patris Mansuéti mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, áncoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Quantis hic cæcis a via veritátis errántibus, et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum, et illum, quo Christus viderétur, reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cœléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrínsecus vulnerátos, An-

gélici oris arte, et oratiónum, ab infirmitáte curávit?

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homil. in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Lectio IX. de Homilia Feriæ; et ejusdem commem. in Laudibus, et Vesperis.

## DIE XXVI., vel in anno bissextili XXVII. FEBRUARII.

### IN FESTO S. FLAVIANI EPISC. COMENS., ET CONFESS.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus, omnípotens.

In Quadrag., Lect. primi Noct., Fidélis sermo.

Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lect. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Lectio IX. de Homilia Feriæ; et ejusdem commem. in Laudibus, et Vesperis.

## DIE XXVIII., vel in anno bissextili XXIX. FEBRUARII.

### IN FESTO S. MARGARITÆ DE CORTONA.

(Ex die 23. februarii hodie assignato).

Semiduplex.

Omnia de Comm. Sanctarum nec Virg., nec Martyrum, præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem misericórditer deduxísti: eádem nobis miseratióne concéde, ut quam prius errántem sectári non erubúimus, mox pœniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

In Quadrag., Lect. primi Noct., Mulíerem fortem. de Comm. non Virg.

Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

MARGARÍTA, a loco dormitiónis Cortonénsis appelláta, Laviáni in Túscia ortum hábuit. Primis adolescéntiæ suæ annis mundi voluptátibus capta, in Mon-

tis Politiáni civitáte vanam, et lúbricam vitam duxit: sed cum amásium ab hóstibus fœde transfóssum indício canis in fóvea sub strue lignórum tumulátum fortúito reperísset, íllico facta est manus Dómini super eam; quæ, magno culpárum suárum mœróre tacta, éxiit foras, et flevit amáre. Itaque Laviánum revérsa, crine detónso, negléсto cápite, pulláque veste contécta, erróribus suis mundíque illécebris núntium misit; inque ædibus Deo sacris, fune ad collum alligáto, humi procúmbens, ab ómnibus, quos ántea móribus suis palam offénderat, véniam exorávit. Mox Cortónam profécta in cínere, et cilício ab se læsam Dei majestátem placáre stúduit; donec post triennále virtútum experiméntum a Frátribus Minóribus, spirituális vitæ dúcibus, Tértii Ordinis hábitum impetrávit. Uberes exínde lacrymæ ei familiáres fuérunt, atque ima suspíria, tanta ánimi contritióne ducta, ut diu elínguis consísteret. Léctulus nuda humus, cervícal lapis aut lignum porréxit, atque ita noctes insómnes in cœléstium meditatióne tráhere consuévit; nullum ámplius pravum desidérium perpéssa, dum bonus spíritus prómptior infírmam carnem ad subeúndos labóres erigébat.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v.

A dæmone insídiis funestísque conátibus lacessíta, Múlier fortis hostem ex verbis detéctum semel atque íterum invícta répulit. Ad eludéndum vanæ glóriæ lenocínium, quo a malo spíritu petebátur, prætéritos mores suos per vicos, et platéas alta voce accusáre non déstitit, omni supplício se ream inclámans: nec, nisi a confessário detérrita, in speciósam fáciem, olim impúri amóris causam, sævíre abstínuit; ægre ferens suam formam longa carnis maceratióne non aboléri. Quibus, aliísquæ magnæ pœniténtiæ arguméntis suórum críminum labe expiáta, atque ita de se triumphátrix, ut sensus plane omnes a mundi illécebris custodíret, digna

facta est, quæ sæpe Dómini consuetúdine fruerétur. Ejúsdem quoque Christi, et Vírginis Matris dolórum, quod ipsa ardénter expetíerat, párticeps facta, cunctis sénsibus destitúta, et vere mórtua intérdum visa est. Ad eam proínde véluti ad perfectiónis magístram ex díssitis étiam regiónibus plúrimi conveniébant: ipsa vero cœlésti, quo erat perfúsa, lúmine, córdium secréta, consciéntias hóminum, imo et peccáta in remótis licet pártibus Deum offendéntium cum dolóre, et lácrymis détegens, summáque in Deum, et próximum charitáte fervens, ingéntem animárum fructum operáta est. Ægris ad se veniéntibus salútem, obséssis a dæmone liberatiónem impetrávit. Púerum defúnctum lugénte matre ad vitam redúxit. Imminéntes bellórum tumúltus assíduis oratiónibus sedávit. Dénique summæ pietátis opéribus vivos, et mórtuos sibi deméruit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Tot sanctis opéribus occupáta, de rigóre, quo assídue corpus suum exercébat, nihil remísit, neque a stúdio cœléstia meditándi se avélli passa est; in utróque vitæ génere plane admiránda, utrámque sorórem, Magdalénam, et Martham, réferens. Tandem pro se Dóminum orans, ut ex hac valle lacrymárum sursum in cœléstem pátriam revocarétur, exaudíta est orátio ejus, die atque hora dormitiónis ei pateféctis. Méritis ítaque, et labóribus plena, ac cœléstibus donis cumuláta, cœpit córporis víribus destítui, perque dies decem, et septem nullo cibo, sed divínis tantum collóquiis reſécta est: tum sanctíssimis Ecclésiæ Sacraméntis rite suscéptis, vultu hílari atque óculis in cœlum convérsis, octávo kaléndas mártias anno ætátis quinquagésimo, suæ conversiónis vigésimo tértio, humánæ vero salútis millésimo ducentésimo nonagésimo séptimo, felix migrávit ad sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorrúptum, illæsum, et suáviter olens, summa religióne cólitur in

ecclésia Fratrum Minórum, quæ jam ab eádem Margaríta appellátur. Miráculis contínuo flóruit: quibus permóti románi Pontífices ad augéndum ejus cultum plúrima liberáliter indulsérunt: Benedíctus vero decimustértius in festo Pentecóstes die sextadécima maji anni millésimi septingentésimi vigésimi octávi solémnem ejus canonizatiónem religiosíssime celebrávit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et láudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória. Múlier.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum thesáuro. de Communi non Virg.

Lect. ix de Homil. Feriæ.

In Laudib. ad Benedictus, Ant. Ut cognóvit, resípuit Seráphici Ordinis Magdaléna: dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum.

Oratio ut supra.

Deinde fit comm. Feriæ.

In secundis Vesperis; ad Magnificat, Ant. Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus: invéni quem díligit ánima mea, ténui eum, nec dimíttam.

Et fit commem. Feriæ.

## FESTA MARTII.

## PRIMA EX SEXTIS FERIIS MENSIS MARTII.

### In festo sacrarum quinque plagarum D. N. J. C.

Duplex majus.

In primis Vesperis, Ant. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Psalmus 115.

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino,* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam láudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Ant. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

Ant. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

Psalmus 119.

Ad Dóminum cum tribulárer clamávi: * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

Ant. Alligávit Dóminus plágam pópuli sui, et percussúram ejus sanávit.

Psalmus 139.

Eripe me, Dómine, ab hómine malo: * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis: * venénum áspidum sub lábiis eorum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: * abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum: * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu: * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ: * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos: * in miseriis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo: * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Alligávit Dóminus plágam pópuli sui, et percussúram ejus sanávit.

Ant. Omnis, qui transíbit, stupébit super omnes plagas ejus. Psalmus 140.

Dómine, clamávi ad te, exáudi me: * inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo: * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem, * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me: * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum: * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt: * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum: * quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei: in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi: * et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ant. Omnis, qui transíbit, stupébit super omnes plagas ejus. Ant. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

Psalmus 141.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad

Dóminum deprecátus sum:
Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.
In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.
In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.
Considerábam ad déxteram, et vidébam: * et non erat qui cognósceret me.
Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.
Clamávi ad te, Dómine, * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.
Inténde ad deprecatiónem meam: * quia humiliátus sum nimis.
Líbera me a persequéntibus me: * quia confortáti sunt super me.
Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.
Ant. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. Isaiæ 53.

CHRISTUS vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus.

### Hymnus.

PANGE, lingua, gloriósi
Láuream certáminis,
Et super Crucis trophæo
Dic triúmphum nóbilem:
Quáliter Redémptor orbis
Immolátus vícerit.

De paréntis protoplásti
Fraude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notávit,
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis
Ordo depopóscerat,
Multifórmis proditóris
Ars ut artem fálleret:
Et medélam ferret inde,
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Cónditor;
Atque ventre Virgináli
Carne amíctus pródiit.

Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia;
Membra pannis involúta
Virgo Mater álligat:
Et Dei manus pedésque
Stricta cingit fáscia.

Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque;
Par decus Paráclito:

Uníus, Triníque nomen Laudet univérsitas. Amen.

℣. Vidébunt in quem transfixérunt. ℟. Et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

Ad Magnificat, Antiph. Dum in Cruce pendéret Unigénitus Dei Fílius, et ab ómnibus subsannarétur, Mater ejus Virgo María ipsum verum Deum, et hóminem cóndolens venerabátur.

Oratio.

Deus, qui Unigéniti Fílii tui passióne, et per quinque vúlnera ejus Sánguinis effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti: tríbue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscépta vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi Sánguinis fructum cónsequi mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum Invitator. Christum in cruce confíxum, quinque plagis vulnerátum, * Veníte, adorémus. Psalmus. Veníte.

Hymnus. Pange, lingua. ut supra in Vesperis.

In primo Nocturno. Ant. Quis est, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra?

Psalmus 10.

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum, et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Ant. Quis est, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Ant. Quare rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

Psalmus 14.

Dómine, quis habitábit in

tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus:* timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Quare rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

Ant. Tórcular calcávi solus, et de géntibus non fuit vir mecum.

Psalmus 23.

DÓMINI est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde: * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Tórcular calcávi solus, et de géntibus non fuit vir mecum.

℣. Fodérunt manus meas, et pedes meos. ℟. Dinumeravérunt omnia ossa mea.

De Isaía Prophéta.

Lectio I. Cap. 53.

QUIS crédidit audítui nostro? et bráchium Dó-

mini cui revelátum est? et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti; non est spécies ei, neque decor: et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum. Despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit, et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo: * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus in remissiónem peccatórum.

℣. Ecce venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras. In.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit, et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est, quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi Agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium. Propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua; eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte.

℟. Nos, qui aliquándo erámus longe, facti sumus prope per Sánguinem Jesu Christi: * Ipse est pax nostra, qui fecit utráque unum. ℣. A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. Ipse.

Lectio III.

Quis est, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi so-

lus, et de Géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea, et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi: dies enim ultiónis in corde meo, annus Redemptiónis meæ venit: circumspéxi, et non erat auxiliátor; quæsívi, et non fuit qui adjuváret.

℟. In primogénito ex mórtuis complácuit ómnem plenitúdinem divinitátis inhabitáre, et per eum reconciliári omnia in ipsum. * Pacíficans per Sánguinem Crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt. ℣. Ipse est caput córporis Ecclésiæ, in ómnibus primátum tenens. Pacíficans. Glória Patri. Pacíficans.

In secundo Noct., Ant. Fodérunt manus meas, et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea.

## Psalmus 21.

Deus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * Laus Israel.

In te speravérunt patres nostri, * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ, in te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: * ne discésseris a me.

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum: * sicut leo rápiens, et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum

tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamqua testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis: * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas, et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt, et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me, * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum:

Tímeat eum omne semen Israel; * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur: et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur, et convertént ur ad Dóminum * univérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt cœli justítiam ejus, pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Antiph. Fodérunt manus meas, et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea. Ant. A planta pedis

usque ad vérticem non est in eos sánitas.

Psalmus 65.

JUBILATE Deo omnis terra, psalmum dícite nómini ejus: * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quam terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant, non exalténtur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum: * et audítum fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam: * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus: * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem, et aquam: * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Ant. A planta pedis usque ad vérticem non est in eo sánitas. Ant. Vulnus, et livor, et plaga túmens non est circumligáta, nec cu-

ráta medicámine, nec fota óleo. Psalmus 75.

Notus in Judæa Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis: * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum: * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecísti judícium: * terra trémuit, et quiévit,

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Ant. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligáta, nec curáta medicámine, nec fota óleo.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit. ℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

De Sermóne
S. Bernárdi Abbátis.
Lib. de Pass. Dom. Cap. 41.

### Lectio iv.

Captus ergo Jesus post plúrimas illusiónes tam Judæórum quam Géntium, post Sánguinis plures effusiónes, clavis immítibus mánibus simul, et pédibus perforátur, et confígitur ligno Crucis Salvátor noster mitíssimus Jesus. Intuére, et réspice rosam Passiónis sanguíneæ, quómodo rubet in indícium ardentíssimæ charitátis. Conténdunt pássio, et cháritas: ista, ut plus árdeat, illa, ut plus rúbeat.

℟. Per mortem destrúxit Jesus eum, qui mortis habébat impérium: * Ut liberáret eos, qui timóre mortis obnóxii erant servitúti.

℣. Unde débuit per ómnia frátribus assimilári, ut misericors fíeret. Ut.

Lectio v.

Vide quómodo hoc flore rosæ florúerit óptima vitis nostra rubicúndus Jesus. Vide totum corpus, sícubi rosæ sanguíneæ florem non invénias. Inspice manum unam, et álteram, si florem rosæ non invénias in utráque. Inspice pedem unum, et álterum, numquid non rósei? Inspice láteris apertúram, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrúbea sit propter mixtúram aquæ: quia, sicut narrat Evangelísta, cum unus mílitum láncea latus ejus perforásset, exívit Sánguis, et aqua.

℟. Per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum: * Et sicut in Adam omnes peccavérunt, ita in Christo omnes vivificabúntur.

℣. Novíssime autem inimíca destruétur mors. Et.

Ex eódem D. Bernárdo.

Serm. de Passione Domini

Lectio vi.

Réspice, Dómine, sancte Pater, de sanctuário tuo, et de excélso cœlórum habitáculo, et intuére hanc sacrosánctam Hóstiam, quam tibi óffert magnus Póntifex noster, sanctus puer tuus Dóminus Jesus, pro peccátis fratrum suórum, et esto placábilis super multitúdine malítiæ nostræ. Cognósce, Pater, túnicam filii tui Jóseph: Heu! fera péssima devorávit eum, et conculcávit in furóre suo vestiméntum ejus. Ecce quinque scissúras lamentábiles in eo réliquit.

℟. Vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glória, et honóre coronátum: * Ut pro ómnibus gustáret mortem. ℣. Decébat eum, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consumári. Ut. Glória. Ut.

In tertio Nocturno, Ant. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum?

Psalmus 95.

Cantate Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam, et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Ant. His plagátus sum in domo eórum, qui me diligébant.

Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus: * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum

suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. His plagátus sum in domo eórum, qui me diligébant. Ant. In amaritúdine sermo meus est, et manus plagæ meæ aggraváta est super gémitum meum.

Psalmus 97.

Cantate Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus:* et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ domui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, et voce psalmi: * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini: * moveátur mare, et plenitúdo ejus; orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina pláudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. In amaritúdine sermo meus est, et manus plagæ meæ aggraváta est super gémitum meum.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

℟. Attrítus est propter scélera nostra.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sitio. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Lib. 12. Comm in Joann.

Cum ab immánibus Judæis omnis in Christum expléta esset impíetas, nec quidquam jam ad summam crudelitátem réliquum esset, ad extrémum caro Christi sanctíssima próprium quiddam, ac naturále rursus pátitur. Multis enim, ac váriis dolóribus exsiccá-

ta, siti torquétur. Graves síquidem dolóres magnam ad sitim commovéndam vim habent, naturáli quodam, et inexplicábili calóre húmidum consuméntes, et igneis ardóribus præcórdia uréntes.

℟. Manifestáta est grátia Dei per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi: * Qui destrúxit mortem, illuminávit autem vitam in incorruptiónem. ℣. Liberávit, et vocávit nos vocatióne sua sancta per grátiam, quæ data est nobis in Christo. Qui. Bened. Divínum auxílium.

Lectio viii

Consummatum esse ait impietátis Judáicæ modum, et impoténtem sæviéndi ánimum. Quid enim Judæi intentátum reliquérunt, aut quid non extrémæ crudelitátis adhibuérunt? Quod supplícii, aut contuméliæ genus prætermisérunt? Quamobrem jure, Consummátum est, ait: sed hora jam eum ad prædicándum spíritibus, qui apud ínferos erant, invitánte, (advénit enim, ut mortuórum, ac vivórum dominarétur) ipsam pro nobis mortem suscépit, commúnem hanc natúræ passiónem sustínuit in carne sua. ¶ Cum autem Jesum caput inclinásse comperíssent, et jam eum expirásse putárent, frustra ejus crura confríngi exístimant: sed cum adhuc mórtuum esse nonníhil diffíderent, láncea latus ejus perfódiunt, unde cruor aqua mixtus scatúriit, quod eulógiæ mysticæ, et sancti baptísmatis ímago quædam erat, atque primítiæ. Christi enim est vere, et a Christo sanctum baptísma, et mysticæ eulógiæ vis ex sancta nobis carne pródiit.

℟. Dignus es, Dómine, accípere librum, et aperíre signácula ejus, quóniam occísus es, et redemísti nos Deo: * In sánguine tuo. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum, et sacerdótes. In. Glória Patri. In.

In Quadr. Lectio ix. de Homilia Feriæ.

## AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliq. de Dominica.

Ant. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra. Ant. Alligávit

Dóminus plagam pópuli sui, et percussúram ejus sanávit. Ant. Omnis, qui transíbit, stupébit super omnes plagas ejus. Ant. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. Isaiæ 53.

CHRISTUS vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus.

Hymnus.

LUSTRA sex qui jam perégit,
Tempus implens córporis,
Sponte líbera Redémptor,
Passióni déditus,
Agnus in Crucis levátur
Immolándus stípite.

Felle potus ecce lánguet:
Spina, clavi, láncea
Mite corpus perforárunt:
Unda manat, et cruor:
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sústinent.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas;
Et supérni membra Regis
Tende miti stípite.

Sola digna tu fuísti
Ferre mundi víctimam;
Atque portum præparáre
Arca mundo náufrago,
Quam sacer cruor perúnxit,
Fusus Agni córpore.

Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri Filióque;
Par decus Paráclito:
Uníus, Triníque nomen
Láudet univérsitas. Amen.

℣. Vidébunt in quem transfixérunt. ℟. Et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

Ad Benedictus, Antiph. Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua.

Oratio.

DEUS, qui Unigéniti Fílii tui passióne, et per quinque vúlnera ejus Sánguinis effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti; tríbue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscépta vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi Sánguinis fructum cónsequi mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Ad Tertiam, Antiphona. Ipse autem.

Capitulum. Christus vulnerátus est. ut supra.

℟. brev. Fodérunt manus meas: * Et pedes meos. Fodérunt. ℣. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Et pedes. Glória Patri. Fodérunt.

℣. O vos omnes, qui transítis per viam. ℟. Atténdite, et vidéte dolórem meum.

Ad Sextam, Antiphona. Alligávit Dóminus.

Capitulum. Isaiæ 50.

Faciem meam non avérti ab increpántibus, et conspuéntibus in me: Dóminus Deus auxiliátor meus; et ídeo non sum confúsus.

℟. br. Vere languóres nostros * Ipse tulit. Vere. ℣. Et dolóres nostros ipse portávit. Ipse tulit. Glória Patri. Vere languóres.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum. ℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

Ad Nonam, Antiphona. O vos omnes.

Capitulum. Isaiæ 53.

Tradidit Christus in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est: et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

℟. br. Ipse vulnerátus est * Propter iniquitátes nostras. Ipse. ℣. Attrítus est propter scélera nostra. Propter. Glória Patri. Ipse. ℣. Oblátus est, quia ipse vóluit. ℟. Et non apéruit os suum.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, præter:

Ad Magnificat. Antiph. Ego sum vestra Redémptio: manus meæ, quæ vos fecérunt, clavis confíxæ sunt: propter vos flagéllis cæsus sum, spinis coronátus sum: aquam pétii pendens, et acétum porrexérunt: in escam meam fel dedérunt, et in latus lánceam: mórtuus, et sepúltus resurréxi: vobíscum sum, et vivo in ætérnum.

Oratio. Deus, qui Unigéniti. ut supra.

Et fit commem. Feriæ.

## DIE II. MARTII.

### In festo S. Prosperi Episc. Comensis, et Conf. Duplex.

Oratio. Exáudi.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Fidélis sermo. de Communi Conf. Pontif.

In secundo Noct. Beáti Patris. de eodem Communi 2. loco

In tertio Noct. Homilia in Evang. Vigiláte.

In Quadrages., Lectio IX. de Homilia Feriæ, et comm. ejusdem Feriæ in Laudibus, et Vesperis.

## SECUNDA EX SEXTIS FERIIS MENSIS MARTII.

### IN FESTO SACRATISSIMÆ SPINEÆ CORONÆ D. N. J C.

Duplex majus.

In primis Vesperis. Ant. Diléctus meus. cum reliquis de Laudibus.

Psalmus. Dixit Dóminus. cum rel. de Dom. et loco ult. Psalm. Laudáte Dóminum.

Capitulum. Cant. 3

EGREDÍMINI, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

Hymnus.

Exite, Sion fíliæ,
Regis pudícæ vírgines,
Christi corónam cérnite,
Quam mater ipsa téxuit.

Hórret revúlsis crínibus
Spinis cruentátum caput,
Et vultus ille décolor
Mortem propínquam réspicit.

Quæ terra sulcis ínvia,
Dumis rigens, et séntibus,
Lugúbre munus prótulit,
Quæ sæva méssuit manus?

Christi rubéscens sánguine
Acúleos mutat rosis,
Palmámque víncens frúctibus
Spina est triúmphis aptior.

Culpis satæ mortálium
Te, Christe, spinæ vúlnerant:
Evélle nostras, córdibus
Tuasque nostris ínsere.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Plecténtes corónam de spinis. ℟. Posuérunt super caput ejus.

Ad Magnificat, Antiph. Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, parans crucem Salvatóri suo.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória, et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum.

Et fit comm. Feriæ.

Ad Matutinum, Invitat. Christum Regem spinis coronátum: * Veníte, adorémus.

Psalmus. Veníte.

Hymnus. Exite. ut supra in primis Vesperis.

In primo Noct., Antiph. Erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * et ómnia, quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * et iter impiórum períbit.

Antiph. Erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.

Ant. Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt Gentes,* et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hæreditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timó-

re: * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Ant. In tribulatióne dilatásti mihi.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte, quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. In tribulatióne dilatásti mihi.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Isaía Prophéta.

Lectio I. c. 53.

Quis crédidit audítui nostro, et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor: et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum; despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus

eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Maledícta terra in ópere hóminis: * Spínas, et tríbulos germinávit Christo. ℣. Quia comédit Adam de ligno, ex quo præcéperat Deus, ne coméderet. Spínas.

Lectio II.

OMNES nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est, quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi: * Et vidébat, quod rubus ardéret, et non comburerétur. ℣. Dixit ergo Móyses. Vadam, et vidébo visiónem hanc magnam. Et.

Lectio III.

ET dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua: eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo, quod laborávit ánima ejus, vidébit, et saturábitur: in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.

℟. Ecce ignis, et ligna: Deus providébit sibi * Víctimam holocáusti.

℣. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem. Víctimam. Glória Patri. Víctimam.

In secundo Nocturno, Ant. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti me.

Psalmus 5.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus. * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt, et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti me. Ant. Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum. Psalmus 8.

DÓMINE, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, et boves univérsas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster,* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Minuísti eum paulo minus ab ángelis, glória, et honóre coronásti eum.

Ant. Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

Psalmus 10.

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum, et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Ant. Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2. in Epiph. Domini.

Lectio IV.

Egredímini, fíliæ Sion; vobis dícimus, Fíliæ Sion, ánimæ sæculáres, débiles, delicátæ, fíliæ, et non fílii, in quibus nihil est fortitúdinis, nihil est virílis ánimi. Egredímini de sensu carnis ad intelléctum mentis, de servitúte carnális concupiscéntiæ ad libertátem spirituális intelligéntiæ. Egredímini de terra vestra, et de cognatióne vestra, et de domo patris vestri, et vidéte regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, in coróna paupertátis, in coróna misériæ: síquidem coronátus est et a novérca

sua coróna spínea, coróna misériæ: coronándus a família sua coróna justítiæ, quando exíbunt ángeli, et tollent de regno ejus ómnia scándala, quando véniet ad judícium cum senióribus pópuli sui, cum pugnábit pro eo orbis terrárum advérsus insensátos. Corónat eum et Pater coróna glóriæ, sicut ait psalmísta: Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. Vidéte eum, fíliæ Sion, in diadémate, quo coronávit eum mater sua.

℟. Cum apparúerit princeps pastórum, quo percússo dispérsæ sunt oves gregis: * Percipiémus immarcescíbilem glóriæ corónam. ℣. Cum fécerit grande convívium, ut osténdat divítias glóriæ regni sui. Percipiémus.

## Lectio v.

### Serm. 42. in Cant.

Ego, fratres, ab ineúnte mea conversióne pro acérvo meritórum, quæ mihi deésse sciébam, mihi fascículum colléctum ex ómnibus anxietátibus, et amaritudínibus Dómini mei colligáre, et inter úbera mea collocáre curávi. Memóriam abundántiæ suavitátis horum eructábo; quoad víxero, in ætérnum non oblivíscar miseratiónes istas, quia in ipsis vivificátus sum. Mihi hic salutáris fascículus servátus est; nemo tollet eum a me, inter úbera mea commorábitur. Hæc meditári dixi sapiéntiam: in his justítiæ mihi perfectiónem constítui; in his plenitúdinem sciéntiæ, in his divítias salútis, in his cópias meritórum. Ex his mihi intérdum potus salutáris amaritúdinis: ex his rursum suávis únctio consolatiónis. Hæc me érigunt in advérsis, in prósperis réprimunt, et inter læta, trístiaque vitæ præséntis via régia incedénti tutum præbent utróbique ducátum, hinc inde mala imminéntia propulsándo. Hæc mihi concíliant mundi Júdicem, dum treméndum potestátibus, mitem, humilémque figúrant, dum non solum placábilem, sed et imitábilem repræséntant eum, qui inaccessíbilis est principátibus, terríbilis apud reges terræ.

℟. Accépit regnum decóris: * Et diadéma speciéi. ℣. Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et diadéma.

Lectio VI.

Hæc proptérea mihi in ore frequénter, sicut vos scitis: hæc in corde semper, sicut Deus scit; hæc stylo meo ádmodum familiária, sicut appáret: hæc mea sublímior ínterim philosophía, scire Jesum, et hunc crucifíxum. Non requíro, sicut sponsa, ubi cubet in merídie, quem lætus ampléctor mea inter úbera commorántem. Non requíro, úbi pascat in merídie, quem intúeor Salvatórem in cruce. Illud sublímius, istud suávius, panis illud, hoc lac: hoc víscera réficit parvulórum, hoc replet úbera matrum, et ídeo inter úbera mea commorábitur. Hunc et vos, dilectíssimi, tam diléctum fascículum collígite vobis, hunc medúllis inséríte cordis, hoc muníte áditum péctoris, ut et vobis inter úbera commorétur. Si enim ante óculos habuéritis quem portátis, pro certo vidéntes angústias Dómini, lévius vestras portábitis, ipso auxiliánte Ecclésiæ Sponso, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula. Amen.

℟. Arcam de lignis Sethim deaurábis áuro mundíssimo intus, et foris: * Faciésque supra corónam áuream per círculum.

℣. Pones in arcam testificatiónem, quam dabo tibi. Faciésque. Glória Patri. Faciésque.

In tertio Nocturno, Ant. Ingréssus sine mácula, et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum glorífícat.

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Ingréssus sine mácula, et operátus justítiam,

coronátus est in monte sancto tuo. Ant. Super caput ejus corónam de lápide pretióso posuísti, Dómine.

Psalmus 20.

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus, et psallémus virtútes tuas.

Ant. Super caput ejus corónam de lápide pretióso posuísti, Dómine.

Ant. Advérsus eos, qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum.

Psalmus 22.

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus

tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Advérsus eos, qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo témpore: Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía S. Bernárdi Abbátis.

Ex Serm 50. de diversis.

Vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem. Non dicit Ecclesiásten, aut Ididam. Nam et his nomínibus appellátus est rex ille: et signíficat Jesum Christum nostrum verum Salomónem, qui est Sálomon, idest, pacíficus in exílio; Ecclesiástes, idest, concionátor in judício; Idida, idest, diléctus Dómini in regno, ubíque rex. In exílio mansuétus, in judício justus, in regno gloriósus, in exílio amábilis, in judício terríbilis, in regno adorábilis. In diadémate, quo coronávit eum mater sua. Est autem hæc coróna misericórdiæ, et in hac imitábilis. Coronávit eum et novérca sua coróna misériæ, et in hac contemptíbilis. Synagógam loquor, quæ se ei non matrem exhíbuit, sed novércam.

℟. Facies altáre ad adoléndum thymiáma de lignis Sethim: * Faciésque ei corónam auréolam per gyrum. ℣. Ponésque altáre contra velum coram propitiatório. Faciésque.

Lectio VIII.

Coronabit eum família sua coróna justítiæ, et in hac terríbilis: corónat eum Pater suus coróna glóriæ, et in hac desiderábilis. Vídeant ergo eum peccatóres in coróna misériæ, idest, spínea, et compungántur; vídeant eum fíliæ Sion, ánimæ affectuósæ, in coróna misericórdiæ, et imiténtur. Vidébunt eum ímpii in co-

róna justítiæ, et períbunt; vidébunt eum sancti in coróna glóriæ, et perpetuáliter gaudébunt. Coronántur quidem et álii imitatóres ipsíus, sed hoc ex indústria adjúti per grátiam. Solus iste a matre coronátus est, quia solus cum ordinátis affectiónibus tamquam sponsus e thálamo procéssit ex útero matris.

℟. Christus sciens dolórem, et infirmitátem, spínis coronátus: * Ipse est, qui corónat vos in misericórdia, et miseratiónibus. ℣. Vulnerátus propter iniquitátes nostras, attrítus propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In Quadrag. Lectio IX. de Homilia Feriæ.

## AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

DILÉCTUS meus cándidus, et rubicúndus, cómæ cápitis ejus sicut púrpura regis vincta canálibus.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliq. de Dominica.

Ant. Requiévit super eum spíritus timóris Dómini: coróna sapiéntiæ, et exultatiónis decorávit illum.

Ant. Induit eum Dóminus vestiméntis salútis, et induménto justítiæ, quasi sponsum decorátum coróna.

Ant. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.

Ant. Rex ætérnæ glóriæ pro nobis coronátus, benedícet corónæ anni benignitátis suæ.

Capitulum. Cant. 3.

EGREDÍMINI, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

Hymnus.

LEGIS figúris píngitur
Christi Coróna nóbilis:
Impléxa spinis víctima,
Ardénsque testátur rubus.

Arcam coróna cínxerat,
Mensæque sacrum círculum;
Arámque thure fúmidam
Coróna nectit ámbiens.

Christi dolórum cónscia,
Salve, Coróna glóriæ,
Gemmis, et áuro púlchrior,
Víncens corónas síderum.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Eris coróna glóriæ in manu Dómini.
℟. Et diadéma regni in manu Dei tui.

Ad Benedictus, Antiph. Exívit Jesus portans spíneam

corónam, et purpúreum vestiméntum.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória, et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Tertiam, Antiphona. Requiévit super eum.

Capit. Egredímini. ut sup.

℟. br. Eris coróna glóriæ * In manu Dómini. Eris coróna. ℣. Et diadéma regni in manu Dei tui. In manu. Glória Patri. Eris. ℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Sextam, Antiphona. Induit eum.

Capitulum. Apoc. 6.

Vidi, et ecce equus albus, et qui sedébat super illum habébat arcum, et data est ei coróna, et exívit víncens, ut vínceret.

℟. br. Glória, et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória. ℣. Tuam corónam adorámus, Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus passiónem.

Ad Nonam. Antiphona. Rex ætérnæ glóriæ.

Capitulum. Isaiæ 28.

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exultatiónis resíduo pópuli sui.

℟. br. Tuam corónam * Adorámus, Dómine. Tuam corónam. ℣. Tuam gloriósam recólimus passiónem. Adorámus. Glória. Tuam. ℣. Plecténtes corónam de spinis. ℟. Posuérunt super caput ejus.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, præter:

Ad Magnificat, Antiph. Et genu flexo ante eum, illudébant ei dicéntes, Ave, Rex Judæórum: et expuéntes in eum, accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus.

Et fit commem. Feriæ.

## DIE VIII. MARTII.

### In festo S. Provini Episc. Comensis, et Confessoris.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem beáti Confessóris, et Pon-

tíficis tui Províni festivitáte consecrásti; da, ut sicut ejus solemnitáte gaudémus, ita ejus précibus miseratiónis tuæ largitátem sentiámus. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Thomæ de Aquino. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Thoma, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui mira eruditióne claríficas, et sancta operatióne fecúndas; da nobis, quæsumus, et quæ dócuit, intelléctu conspícere, et quæ egit, imitatióne complére.

Deinde fit comm. Feriæ. In Quadrag., Lect. primi Nocturni, Fidélis sermo. de Comm. Conf. Pont. 1. loco. Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Provínus natióne Gallus, ex urbe Provína, audíta sancti Ambrósii fama, Mediolánum venit, a quo veri Dei cultum, et christiánæ religiónis Sacraménta dídicit. Hunc póstmodum fídei mystériis imbútum Ambrósius Felíci, qui eo témpore coménsem regébat Ecclésiam, adjutórem misit; a quo benígne est suscéptus, et ejus vitæ sanctitáte perspécta, in successórem eléctus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Mórtuo Felíce, Provínus gregem sibi commíssum sanctæ conversatiónis exémplo, et verbo fructuósæ prædicatiónis curáre non déstitit, atque errántibus salutíferæ correptiónis remédium in spíritu lenitátis exhíbuit. Nec in edéndis miráculis divína ei grátia défuit; nam et cæcis visum restítuit, et ægrótos mánuum impositióne, et obsecratiónibus sanávit. Quo témpore, cum omnes fere Ecclésiæ Arianórum hæresi inféctæ forent, Provínus a fide cathólica numquam aberrávit, Ambrósium magístrum sortítus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

TANDEM compléto fidéliter suæ administratiónis offício, plenus diérum, Amántium regia stirpe ortum, exémplo Felícis, successórem desígnans, vitam in pace finívit, et in æde nómini ejus dicáta repósitum. Cujus sepúlchrum a febricitántibus frequentátur, qui plerúmque, suscépto voto, sanitátem recípiunt.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Noct. Homil. in Evang. Homo péregre. de Communi Confess. Pontif. primo loco.

In Quadrag., Lect. IX. de Homilia Feriæ occurrentis; et comm. ejusdem Feriæ in Laudibus, et Vesperis.

DIE XI. MARTII.

IN FESTO
S. BENEDICTI EPISC., ET CONF.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. Ss. Quadraginta Martyrum. Antiph. Gáudent in cœlis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Deinde fit comm. Feriæ.

In Quadrag., Lect. primi Nocturni. Fidélis sermo. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

BENEDÍCTUS, epíscopus mediolanénsis, magna cum ómnium admiratióne, conjúnctam hábuit ánimi constántiam, prudentiámque rerum gerendárum cum bo-

nárum ártium stúdiis, quibus mirífice déditus fuit. Is, postquam diu rem ecclesiásticam strénue administrásset, íncidit in ea témpora, ut Ecclésiæ suæ causam tum litterárum auctoritáte, tum ánimi constántia deféndere necésse habéret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

### Lectio v.

INDE fama íngens est secúta Dei servum, non per Itáliam modo, sed apud ésteras quoque gentes. Dictávit, scripsítque nonnúlla, et Monastérium intra Portam Novam cóndidit, cui nomen e suo fecit. Demum cum diu sedísset invícto semper ánimo, miraculísque étiam clarus, quiévit in Dómino, et in Basílica Ambrosiána sepúltus fuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio Vercellensi.

### Lectio vi.

AD sancti ac beatíssimi Patris nostri Benedícti, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória Patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Nocturno Hom. in Evang. Homo péregre. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

In Quadrages., Lectio IX. de Homilia Feriæ occurrentis; et comm. ejusdem Feriæ in Laudibus, et Vesperis.

## DIE XIII. MARTII.

In festo
S. Joannis de Deo Confess.
(Ex die 8. hujus mensis hodie assignato).
Duplex.
Omnia ut in Breviario.

## TERTIA EX SEXTIS FERIIS MENSIS MARTII.

In festo pretiosissimi sanguinis D. N. J. C.
Duplex majus.

In primis Vesperis, Ant. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua.

Psalmus Dixit Dóminus. cum rel. de Dom. et loco ult. Psalm. Laudáte Dóminum.

Ant. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Ant. Vestítus erat veste aspérsa sánguine, et vocátur nomen ejus Verbum Dei. Ant. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua, sicut calcántium in torculári? Ant. Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum.

Capitulum. Hebr. 9. c

FRATRES, Christus assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, idest non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in sancta, ætérna redemptióne invénta.

Hymnus.

FESTÍVIS resónent cómpita vócibus,
Cives lætítiam fróntibus éxplicent:
Tædis flammíferis órdine pródeant
Instrúcti púeri, et senes.

Quem dura móriens Christus in árbore,
Fudit multíplici vúlnere sánguinem;
Nos facti mémores dum cólimus, decet
Saltem fúndere lácrymas.

Humáno géneri perrnícies gravis
Adámi véteris crímine cóntigit:
Adámi intégritas, et píetas novi
Vitam réddidit ómnibus.

Clamórem válidum summus ab Æthere
Languéntis Géniti si Pater áudiit,
Placári pótius sánguine débuit,
Et nobis véniam dare.

Hoc quicúmque stolam sánguine próluit,
Abstérgit máculas, et róseum decus,
Quo fiat símilis prótinus Angelis,
Et Regi pláceat, capit.

A recto instábilis trámite póstmodum
Se nullus rétrahat, meta sed última
Tangátur; tríbuet nóbile præmium,
Qui cursum Deus ádjuvat.

Nobis propítius sis Génitor pótens,
Ut quos Unígeni sánguine Fílii
Emísti, et plácido Flámine recréas,
Cœli ad cúlmina tránsferas. Amen.

℣. Redemísti nos, Dómine, in Sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro Regnum.

Ad Magnificat, Antiph. Accessístis ad Sion montem, et Civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœléstem, et testaménti novi mediatórem Jesum, et sánguinis aspersiónem mélius loquéntem, quam Abel.

Oratio.

Omnípotens sempiterne Deus, qui Unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti: concéde, quæsumus, salútis nostræ prétium solémni cultu ita venerári, atque a præséntis vitæ malis ejus virtúte defendi in terris, ut fructu perpétuo lætémur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum, Invitat. Christum Dei Fílium, qui suo nos redémit Sánguine:* Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte.

Hymnus.

Ira justa Conditóris,
Imbre aquárum víndice,
Criminósum mersit orbem,
Noe in árca sóspite:
Mira tandem vis amóris
Lavit orbem Sánguine.

Tam salúbri terra felix
Irrigáta plúvia,
Ante spinis quæ scatébat,
Germinávit flósculos:
Inque néctaris sapórem
Transiére absynthia.

Triste prótinus venénum
Dirus anguis pósuit,
Et cruénta belluárum
Désiit ferócia:
Mitis Agni vulneráti
Hæc fuit victória.

O sciéntiæ supérnæ
Altitúdo impérvia!
O suávitas benígni
Prædicánda péctoris!
Servus erat morte dignus,

Rex luit pœnam óptimus.
Quando culpis provocámus
Ultiónem Júdicis,
Tunc loquéntis protegámur
Sánguinis præséntia;
Ingruéntium malórum
Tunc recédant ágmina.
Te redémptus laudet orbis
Grata servans múnera,
O salútis sempitérnæ
Dux, et auctor ínclyte,
Qui tenes beáta regna
Cum Parénte, et Spíritu.
Amen.

In primo Nocturno. Ant. Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Psalmus 2.

Quare fremuérunt Gentes,* et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hæreditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Ant. Factus in agonía, prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me?*

multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Factus in agonía, prolíxius orábat, et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Ant. Judas, qui eum trádidit, pœniténtia ductus, rétulit trigínta argénteos, dicens: Peccávi, tradens sánguinem justum.

Psalmus 15.

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, et cálicis mei: * tu es, qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea, * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia

cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Judas, qui eum trádidit, pœniténtia ductus, rétulit trigínta argénteos, dicens: Peccávi, tradens sánguinem justum.

℣. Redemísti nos, Dómine.
℟. In sánguine tuo.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio i. c. 9.

Christus assístens Póntifex futurórum bonórum per ámplius, et perféctius tabernáculum non manufáctum, idest, non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in sancta, ætérna redemptióne inventa. Si enim sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis ad serviéndum Deo vivénti? Et ídeo novi testaménti mediátor est, ut, morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testaménto, repromissiónem accípiant qui vocáti sunt ætérnæ hæreditátis.

℟. Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est: *Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. ℣. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis advérsus peccátum repugnántes. Exeámus ígitur.

Lectio ii.

Ubi enim testaméntum est, mors necésse est intercédat testatóris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est: alióquin nondum valet, dum vivit, qui testátus est. Unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto legis a Móyse univérso pópulo, accípiens sánguinem vitulórum, et hircórum cum aqua, et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens: Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum, et omnia vasa ministérii sánguine simíliter aspérsit. Et ómnia pene in sánguine secúndum legem mundántur, et sine

sánguinis effusióne non fit remíssio.

℟. Móyses sumptum sánguinem respérsit in pópulum: * Et ait: Hic est sanguis fœderis, quod pépigit Dóminus vobíscum.

℣. Fide celebrávit Pascha, et sánguinis effusiónem: ne qui vastábat primitíva, tángeret eos. Et ait.

Lectio III.

Habéntes ítaque, fratres, fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, et vivéntem per velámen, idest carnem suam, et sacerdótem magnum super Domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda a consciéntia mala, et ablúti córpus aqua munda, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem (fidélis enim est, qui repromísit), et considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis, et bonórum óperum.

℟. Vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in sánguine Christi: * Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum.

℣. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt Ipse. Glória Patri. Ipse.

In secundo Nocturno, Ant. Pilátus volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis cæsum.

Psalmus 22.

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, etsi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam præclárus est.

Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Pilátus volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis cæsum.

Ant. Videns autem, quia nihil profíceret, accépta aqua, lavit manus coram pópulo, dicens: Innocens ego sum a sánguine justi hujus.

Psalmus 29.

Exaltabo te, Dómine, quóniam suscepísti me: * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus: * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus: * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus; * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo: * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia:

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar: * Dómine, Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Videns autem, quia nihil profíceret, accépta aqua, lavit manus coram pópulo, dicens: Innocens ego sum a sánguine justi hujus.

Ant. Et respóndens univérsus pópulus, dixit: Sánguis ejus super nos, et super fílios nostros.

Psalmus 63.

Exaudi, Deus, oratiónem meam, cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium, * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt, ut gládium, linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes, qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Et respóndens univérsus pópulus, dixit: Sánguis ejus super nos, et super fílios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei. ℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio IV.

VULTIS sánguinis Christi audíre virtútem? redeámus ad ejus exémplum, et priórem týpum recordémur, et prístinam scriptúram narrémus. In Ægypto, nocte média, Ægyptiis Deus plagam décimam minabátur, ut eórum primogénita deperírent, quia primogénitum ejus pópulum detinébant. Sed ne amáta plebs Judæórum una cum illis periclitarétur, quia unus locus continébat univérsos, remédium discretiónis invéntum est. Proínde exémplum mirábile, ut discas in veritáte virtútem. Ira divínæ indignatiónis sperabátur, et domos síngulas mórtifer circuíbat. Quid ígitur Móyses? Occídite, inquit, agnum anniculum, et sánguine ejus liníte jánuas. Quid ais, Móyses? Sanguis ovis rationálem hóminem liberáre consuévit? Valde, inquit; non eo quod sanguis est, sed quia Domínici sánguinis per eum demonstrátur exémplum.

℟. In timóre incolátus véstri conversámini: * Sciéntes, quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti

estis. ℣. Sed pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi. Sciéntes.

Lectio v.

Nam sicut regnántium státuæ, quæ sine causa sunt, et sermóne nonnúnquam ad se confugiéntibus homínibus, ánima et ratióne decorátis, subveníre consuevérunt, non quia sunt ære conféctæ, sed quia rétinent imáginem principálem; ita et sanguis ille, qui irrationális fuit, ánimas habéntes hómines liberávit, non quia sanguis fuit, sed quia hujus sánguinis ostendébat advéntum. Et tunc Angelus ille vastátor, cum linítos postes, atque áditus pervidéret, transjécit gressus, et non est áusus intráre. Nunc ergo si víderit inimícus, non póstibus impósitum sánguinem typi, sed fidélium ore lucéntem sánguinem veritátis Christi templi póstibus dedicátum, multo magis se súbtrahet. Si enim Angelus cessit exémplo, quanto magis terrébitur inimícus, si ipsam perspéxerit veritátem? Vis et áliam hujus sánguinis scrutári virtútem? Volo; unde primum cucúrrit inspícias, et de quo fonte manávit. De ipsa primum Cruce procéssit. Latus illud Domínicum inítium fuit. Mórtuo enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendénte, appróximat miles, latus lánceа percússit, et exínde aqua fluxit, et sanguis: unum baptismátis symbolum, áliud Sacraménti. Ideo non ait, Exiit sanguis, et aqua; sed, Exiit aqua primum, et sánguis: quia primum baptísmate dilúimur, et póstea mystério dedicámur.

℟. Empti estis prétio magno: * Glorificáte, et portáte Deum in córpore vestro. ℣. Pretio empti estis: nolíte fíeri servi hóminum. Glorificáte.

Lectio vi.

Latus miles apéruit, et templi sancti paríetem patefécit. Et ego thesáurum præclárum invéni, et fulgéntes divítias me grátulor reperíre. Sic et de illo agno factum est. Judæi ovem occidérunt, et ego fructum de sacraménto cognóvi. De látere sanguis, et aqua. Nolo tam fácile, audítor, tránseas tanti secréta mystérii. Restat enim mihi mystica, atque secretális orátio. Dixi baptísmatis symbolum, et mysteriórum, aquam illam, et sánguinem demonstráre. Ex his

enim sancta fundáta est Ecclésia per lavácri regeneratiónem, et renovatiónem Spíritus Sancti. Per baptísma, inquam, et mystéria, quæ ex látere vidéntur esse prolála. Ex látere ígitur suo Christus ædificávit Ecclésiam, sicut de látere Adam ejus conjux Heva prolála est. Nam hac de causa Paulus quoque testátur, dícens: De córpore ejus, et de óssibus ejus sumus; latus vidélicet illud signíficans. Nam sicut de illo látere Deus fecit fœminam procreári, sic et de suo látere Christus aquam nobis, et sánguinem dedit, unde repararétur Ecclésia.

℟. Commméndat charitátem suam Deus in nobis: * Quóniam, cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mórtuus est. ℣. Multo ígitur magis nunc, justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. Quóniam. Glória. Quóniam.

In tertio Nocturno. Ant. Exívit ergo Jesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum; et dicit eis: Ecce Homo. Psalmus 73

Ut quid, Deus, repulísti in finem: * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto?

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa: * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum: * in sæcúri, et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est Prophéta: * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus: * írritat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare: * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis: * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes, et torréntes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricátus es auróram, et solem.

Tu fecísti omnes términos terræ: * æstátem, et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino: * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum: * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper, et inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Ant. Exívit ergo Jesus, portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum, et dicit eis: Ecce Homo.

Ant. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum, ubi crucifixérunt eum.

## Psalmus 87.

Dómine, Deus salútis meæ, * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea: * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu in-

ferióri, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum, et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum, et próximum, * et notos meos a miséria.

Ant. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum, ubi crucifixérunt eum.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua.

Psalmus 93.

Deus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre, qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem: * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt: * et hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt: * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipiéntes, in pópulo: * et stulti, aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet: * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * et de lege tua docúeris eum:

Ut mítiges ei a diébus malis: * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * et hæreditátem suam non derelínquet:

Quoadúsque justítia convertátur in judícium: * et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me: * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus: * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi: * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum: et in malítia eórum dispérdet eos: * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua.

℣. Christus diléxit nos.
℟. Et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII. Cap. 19 e

In illo témpore: Cum accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite, trádidit spíritum. Et réliqua.

Homilía
S. Augustíni Epíscopi.
Tract. 120. in Joannem.

VIGILANTI verbo Evangelísta usus est, ut non díceret, Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid aliud, sed apéruit: ut illic quodámmodo vitæ óstium panderétur, unde Sacraménta Ecclésiæ manavérunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intrátur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum; hæc et lavácrum præstat, et potum. Hoc prænuntiábat quod Noe in látere Arcæ óstium fácere jussus est, qua intrárent animália, quæ non erant dilúvio peritúra, quibus præfigurabátur Ecclésia. Propter hoc prima múlier facta est de látere viri dormiéntis, et appelláta est vita, matérque vivórum. Magnum quippe significávit bonum, ante magnum prævaricatiónis malum. Hic secúndus Adam inclináto cápite in cruce dormívit, ut inde formarétur ei conjux, quæ de látere dormiéntis efflúxit. O mors, unde mórtui revivíscunt! Quid isto sánguine múndius? Quid vúlnere isto salúbrius?

℟. Hic est, qui venit per aquam, et sánguinem, Jesus Christus: * Non in aqua solum, sed in aqua, et sánguine.

℣. In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris. Non in aqua.

Lectio VIII.

TENEBANTUR hómines captívi sub diábolo, et dæmónibus serviébant. Sed redémpti sunt a captivitáte. Véndere enim se potuérunt, sed redímere non potuérunt. Venit Redémptor, et dedit prétium. Fudit Sánguinem suum, et emit orbem terrárum. Quæritis quid émerit? Vidéte, quid déderit, et inveniétis quid émerit. Sanguis Christi prétium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingráti sunt prétio suo, aut multum supérbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros émerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exúltent, non supérbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Prædestinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jesum Christum: * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus.

℣. Remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis. In quo. Glória Patri. In quo.

In Quadrag. Lectio IX. de Homilia Feriæ. et commem. ejusdem Feriæ in Laudibus.

Lectio IX.

Habuit ille sánguinem, unde nos redímeret; et ad hoc accépit sánguinem, ut esset, quem pro nobis rediméndis effúnderet. Sanguis Dómini tui, si vis, datus est pro te; si nolúeris esse, non est datus pro te. Forte enim dicis: Hábuit sánguinem Deus meus, quo me redímeret: sed jam cum passus est, totum dedit: Quid illi remánsit, ut det et pro me? Hoc est magnum, qui semel dedit, et pro ómnibus dedit: sanguis Christi voléntí est salus, noléntí supplícium. Quid ergo dúbitas, qui mori non vis, a secúnda potius morte liberári? Qua liberáris, si vis tóllere crucem tuam, et sequi Dóminum; quia ille tulit suam, et quæsívit servum. Te Deum.

AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venérunt?

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliq. de Dominica.

Ant. Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Ant. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die, et nocte.

Ant. Et ipsi vicérunt dracónem propter sánguinem Agni, et propter testaméntum Verbi sui.

Ant. Beáti, qui lavant stolas suas in sánguine Agni.

Capitulum. Hebr. 9. c

Fratres, Christus assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius, et perféctius tabernáculum non manufáctum, idest non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in sancta, ætérna redemptióne invénta.

Hymnus.

Salvéte, Christi vúlnera,
Imménsi amóris pígnora,

Quibus perénnes rívuli
Manant rubéntis Sánguinis.
Nitóre stellas víncitis,
Rosas odóre, et bálsama,
Prétio lapíllos índicos,
Mellis favos dulcédine.
Per vos patet gratíssimum
Nostris asylum méntibus;
Non huc furor minántium
Unquam penétrat hóstium.
Quot Jesus in prætório
Flagélla nudus éxcipit!
Quot scissa pellis úndique
Stillat Cruóris gúttulas!
Frontem venústam, proh dolor!
Coróna pungit spínea:
Clavi retúsa cúspide
Pedes manúsque pérforant.
Póstquam sed ille trádidit
Amans voléasque spíritum,
Pectus ferítur láncea,
Geminúsque liquor éxilit.
Ut plena sit redémptio,
Sub torculári stríngitur;
Suíque Jesus immémor,
Sibi nil resérvat sánguinis.
Veníte, quotquot crímínum
Funésta labes ínficit:
In hoc salútis bálneo,
Qui se lavat, mundábitur.
Summi ad paréntis déxteram
Sedénti habénda est grátia,
Qui nos redémit sánguine,
Sanctóque firmat Spíritu.
Amen.

℣. Justificáti in Sánguine Christi. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus. Antiph. Erit sanguis agni vobis in signum, dicit Dóminus: et vidébo sánguinem, et transíbo vos, nec erit in vobis plaga dispérdens.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti; concéde, quæsumus, salútis nostræ prétium solémni cultu ita venerári, atque a præséntis vitæ malis ejus virtúte deféndi in terris, ut fructu perpétuo lætémur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Primam in ℟. brevi. ℣. Qui tuo nos sánguine redemísti.

Ad Tertiam, Antiphona. Hi sunt, qui venérunt.

Capit. Fratres, Christus assístens. ut supra. p. 85*.

℟. br. Redemísti nos, Dómine, * in sánguine tuo. Redemísti. ℣. Ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne. In. Glória Patri. Redemísti.

℣. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei.

℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

Ad Sextam, Antiphona. Ideo sunt.

Capitulum. Hebr. 9. d

Si sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti?

℟. br. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei * Emúndat nos. Sanguis. ℣. Ab omni peccáto. Emúndat. Glória Patri. Sanguis. ℣. Christus diléxit nos. ℟. Et lavit nos in sánguine suo.

Ad Nonam, Ant. Beáti.

Capitulum. Hebr. 9. e

Accípiens Móyses sánguinem vitulórum, et hircórum, cum aqua, et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens: Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus.

℟. brev. Christus diléxit nos, et lavit nos * In sánguine suo. Christus diléxit. ℣. Et fecit nos regnum, et sacerdótes Deo, et Patri. In sánguine suo. Glória Patri. Christus diléxit.

℣. Justificáti in Sánguine Christi. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

In secundis Vesp. Antiph. de Laudibus.

Psalmi de Dominica, loco ultimi,

Psalmus 147.

Lauda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni: * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Beáti, qui lavant stolas suas in Sánguine agni.

Capitulum, et Hymnus ut supra in primis Vesp.

℣. Te ergo, quæsumus, tuis fámulis súbveni. ℟. Quos pretióso sánguine redemísti.

Ad Magnificat, Antiph. Habébitis autem hunc diem in monuméntum: et celebrábitis eum solémnem Dómino in generatiónibus vestris, cultu sempitérno.

Oratio. Omnípotens sempitérne. ut supra in Laud. Et fit comm. Feriæ.

## DIE XVIII. MARTII.

### In festo S. Gabrielis Archangeli

Duplex 2. Classis.

In primis Vesperis, Ant. Ingrésso Zacharía templum. cum reliquis de Laudibus, Psalmi de Dom., et loco ult. Psalm. Laudáte Dóminum.

Capitulum. Dan. 9.

Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans, tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres.

Hymnus.

Christe, sanctórum decus Angelórum,
Gentis humáne Sator, et Redémptor,
Cœlitum nobis tríbuas beátas
Scándere sedes.

Angelus fortis Gábriel, ut hostes
Pellat antíquos, et amíca cœlo,
Quæ triumphátor státuit per orbem,
Templa revísat.

Virgo Dux pacis, Genitríxque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et micántis
Regia cœli.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnificat, Antiph. Ingréssus Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem, dixit: Ave, grátia plena, Dóminus tecum, Benedícta tu in muliéribus.

Oratio.

Deus, qui inter cæteros Angelos, ad annunciándum Incarnatiónis tuæ mystérium, Gabriélem Archángelum elegísti; concéde propítius, ut qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in cœlis. Qui vivis, et regnas.

Deinde fit comm. Feriæ, nisi transfer. post Pascha.

Ad Matutinum, Invitator. Regem Archangelórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Psalmus. Veníte.

Hymnus. Christe, sanctórum. ut supra in primis Vesperis.

In primo Nocturno, Ant. Dixit Angelus Gábriel ad Daniélem: Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis implébitur vísio.

Psalmus 8.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, et boves univérsas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Dixit Angelus Gábriel ad Daniélem: Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis implébitur vísio.

Ant. Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni, et dócuit me.

Psalmus 10.

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in phá-

retra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum, et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Ant. Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni, et dócuit me.

Ant. Cumque Gábriel loquerétur ad me, collápsus sum pronus in terram: et tétigit me, et státuit me in gradu meo. Psalmus 14.

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Cumque Gábriel loquerétur ad me, collápsus sum pronus in terram, et tétigit me, et státuit me in gradu meo.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ex Daniéle Prophéta.

Lectio i. Cap. 9. c

Ego Dániel, cum adhuc lóquerer, et orárem, et confitérer peccáta mea, et peccáta pópuli mei Israel, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei, pro monte sancto Dei mei; adhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, quem vi-

deram in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum, ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo: ego autem veni, ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem.

℟. Dum oráret Dániel, et confiterétur peccáta sua, et peccáta pópuli sui, * Ecce Archángelus Gábriel, cito volans, tétigit eum in témpore sacrifícii vespertíni.

℣. Cumque prostérneret preces suas in conspéctu Dei sui. Ecce.

Lectio II.

Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et addücátur justítia sempitérna, et impleátur vísio, et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum. Scito ergo, et animadvérte: ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt: et rursum ædificábitur platéa, et muri in angústia témporum.

℟. Locútus est Gábriel Daniéli, et dixit: Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo: * Ego autem veni, ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es.

℣. Tu autem animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Ego autem.

Lectio III.

Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus, et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem, et Sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro. Et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una, et in dimídio hebdómadis defíciet hóstia, et sacrifícium: et erit in templo abominátio desolatiónis, et usque ad consummatiónem, et finem perseverábit desolátio.

℟. Ecce vir Gábriel, quem víderam, cito volans, tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni, et dócuit me, et dixit: * Dániel, nunc egréssus sum, ut docérem te, et

intellígeres. ℣. Gábriel, fac me intellígere istam visiónem: et venit, et stetit juxta, ubi ego stabam, et ait ad me. Dániel. Glória Patri. Dániel.

In secundo Nocturno, Ant. Gábriel Angelus appáruit Zacharíæ, dicens: Uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem. Psalmus 18

Coeli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cœlo egréssio ejus:

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum, et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel, et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Gábriel Angelus appáruit Zacharíæ, dicens: Uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem.

Ant. Et dixit Zacharías ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea procéssit in diébus suis.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Et dixit Zacharías ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea procéssit in diébus suis.

Ant. Respóndens autem Angelus, dixit ei: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre.

Psalmus 33.

Benedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me: * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini: * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Divites eguérunt, et esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, filii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo, qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos, * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum, * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * et non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Ant. Respóndens autem Angelus, dixit ei: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

Sermo
sancti Bernárdi Abbátis.
Ex Homilia de Laud. Virg. super Missus est.
Lectio iv.

Missus est Angelus Gábriel a Deo. Non árbitror hunc Angelum de minóribus esse, qui quálibet ex causa crebra sóleant ad terras fungi legatióne. Quod ex ejus nómine palam intélligi datur, quod interpretátum, Fortitúdo Dei dícitur: et quia non ab áliquo álio forte excellentióre se (ut ássolet) spíritu, sed ab ipso Deo mitti perhibétur. Propter hoc ergo pósitum est, A Deo. Vel ídeo dictum est, A Deo, ne cui vel beatórum spirítuum, suum Deus ántequam Vírgini revelásse putétur consílium, excépto dumtáxat Archángelo Gabriéle. Qui útique tantæ inter suos in-

veníri potúerit excelléntiæ, ut tali et nómine dignus haberétur, et núntio.

℟. Factum est, cum sacerdótio fungerétur Zacharías in órdine vicis suæ ante Deum, * Appáruit ei Angelus Gábriel stans a dextris altáris incénsi. ℣. Cumque ingréssus in témplum Dómini incénsum póneret secúndum consuetúdinem sacerdótii sui. Appáruit.

Lectio v.

Nec discórdat nomen a núntio: Dei quippe virtútem Christum, quem mélius nuntiáre decébat, quam hunc, quem símile nomen honórat? Nam quid est áliud fortitúdo, quam virtus? Non autem dédecens aut incóngruum videátur, Dóminum, et núntium commúni censéri vocábulo, cum símilis in utróque appellatiónis, non sit tamen utriúsque símilis causa. Aliter quippe Christus fortitúdo, vel virtus Dei dícitur, áliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupatíve, Christus autem étiam substantíve.

℟. Descéndit Gábriel Angelus ad Zacharíam, dicens: * Ne tímeas, quóniam exaudíta est deprecátio tua, et uxor tua Elisabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem. ℣. Et Zacharías turbátus est videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum Angelus. Ne tímeas.

Lectio vi.

Christus Dei virtus et dícitur, et est: qui forti armáto, qui suum átrium in pace custodíre solébat, fórtior supervéniens, ipsum suo bráchio debellávit, et sic ei vasa captivitátis poténter erípuit. Angelus vero fortitúdo Dei appellátus est, vel quod hujuscémodi merúerit prærogatívam offícii, quo ejúsdem nuntiáret advéntum virtútis: vel quia Vírginem natúra pávidam, símplicem, verecúndam, ne miráculi novitáte expavésceret, confortáre debéret: quod et fecit, Ne tímeas, ínquiens, María: invenísti enim grátiam apud Deum. Conveniénter ítaque Gábriel ad hoc opus elígitur: immo, quia tale illi negótium injúngitur, recte tali nómine designátur.

℟. Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc evangelizáre. * Ecce eris tacens, et non póteris loqui usque in diem, quo hæc

fiant. ℣. Pro eo quod non credidísti verbis meis, quæ implebúntur témpore suo. Ecce. Glória Patri. Ecce.

In tertio Nocturno, Ant. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Psalmus 95.

Cantate Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam, et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Ant. Gábriel Angelus Maríæ dixit: Ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua.

Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus: * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus

...orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui diligítis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Gábriel Angelus Maríæ dixit: Ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua.

Ant. Súscipe verbum, virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum Gabriélem transmíssum est.

Psalmus 102.

Bénedic, ánima mea, Dómino: * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino: * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis: * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdia, et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur, ut áquilæ, juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus: * longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis; * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndùm altitúdinem cœli a terra, * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte: * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri, sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet: * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus:

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam: * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite, Dómino, omnes Angeli ejus: * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite, Dómino, omnes virtútes ejus: * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite, Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Súscipe verbum, virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum Gabriélem transmíssum est.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. I.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía S. Juliáni Archiepíscopi Toletáni.

Lib. 2. contra Judæos statim post princípium.

Sacraméntum illud septuagínta hebdomadárum de Christi nativitáte Dániel per Angelum dídicit: simíliter et Zacharías, apparénte sibi Angelo, Joánnem fílium de se

generándum audívit: et María Angelo sibi prædicénti Christum ex se nascéndum, et crédidit, et asséńsit. Hæc tria per Angelum dicta, et compléta vidémus. Jam ergo sollícite intuéndum est, utrum Angelus iste, qui Zacharíæ, et Maríæ appáruit, ipsi quoque Daniéli illa prædíxerit.

℟. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lúmine. * Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Dóminum: ecce concípies, et páries, et vocábitur Altíssimi Fílius.

℣. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio: et ait Angelus ei. Ne tímeas.

Lectio viii.

Equidem ipse Dániél in prophetíæ suæ volúmine, quando illa sacraménta hebdomadárum de Christi nativitáte per Angelum futúra cognóvit, sic ipsíus Angeli nomen evidénter expréssit. Dicit enim: Ecce vir Gábriel, quem víderam in princípio, cito volans tétigit me, et dixit: Dániel, animadvérte sermónem, et réliqua, quæ ibi commemorántur. Item his tempóribus secúndum Evangélium, Angeli ipsíus nomen miríficum sic invenítur expréssum. Dixit enim idem Angelus Zacharíæ: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre.

℟. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti: * Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti, dum Virgo Deum, et hóminem genuísti, et post partum Virgo invioláta permansísti.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quæ Gabriélis. Glória Patri. Quæ Gabriélis.

Nona Lectio de Homilia Feriæ occurrentis, nisi transferatur post octav. Paschæ, quia tunc dicitur sequens.

Lectio ix.

Quod étiam de beátæ Maríæ Vírginis partu sic in eódem Evangélio légitur: Missus est, inquit, Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Jam ergo manifėstum est, quod unus, idémque Angelus Gábriel fúerit, qui et præfíxa

illa témpora Daniéli de Christi nativitáte apéruit, et partum Vírginis præséntem esse monstrávit. Ad tempus ítaque præfinítum occúrrit, et olim a se dicta, óperis efficiéntia compléta esse convíncit: et illic fidélis in prophetía hebdomadárum, et hic fidélis per mystérium revelátum.

Te Deum.

AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus stans a dextris altáris incénsi.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliq. de Dominica.

Ant. Ait autem Angelus: Ne tímeas, Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua.

Ant. Ego sum Gábriel Angelus, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te.

Ant. Gábriel Angelus locútus est Maríæ, dicens: Ecce concípies in útero, et páries fílium: et vocábis nomen ejus Jesum.

Ant. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Gábriel Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et Virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Capitulum. Dan. 9.

Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans, tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres.

Hymnus.

Placare, Christe, sérvulis,
Quibus Patris cleméntiam
Tuæ ad tribúnal grátiæ
Patróna Virgo póstulat.

Et vos, beáta, per novem
Distíncta gyros ágmina:
Antíqua cum præséntibus,
Futúra damna péllite.

Auférte gentem pérfidam
Credéntium de fínibus,
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos Pastor regat.

Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Benedictus, Antiph. Gábriel Angelus descéndit ad Zacharíam, et ait illi: Uxor tua páriet tibi fílium,

et vocábis nomen ejus Joánnem, et multi in nativitáte ejus gaudébunt: ipse enim præíbit ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Oratio.

Deus, qui inter cæteros Angelos, ad annunciándum Incarnatiónis tuæ mystérium, Gabriélem Archángelum elegísti; concéde propítius, ut qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in cœlis. Qui vivis, et regnas.

Et fit commem. Feriæ, si celebretur in Quadrages.

Ad Tertiam, Antiphona. Ait autem Angelus.

Capit. Ecce vir Gábriel. ut supra.

℟. br. Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

Ad Sextam. Antiphona. Ego sum Gábriel.

Capitulum. Dan. 9.

Ego autem veni, ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt ut finem accípiat peccátum, et impleátur vísio, et prophetía, et ungátur Sanctus Sanctórum.

℟. br. Ascéndit fumus arómatum * In conspéctu Dómini. Ascendit. ℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Nonam, Antiphona. Dixit autem María.

Capitulum. Dan. 9.

Scito ergo, et animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt.

℟. br. In conspéctu Angelórum * Psallam tibi, Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam. Glória Patri. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

In secundis Vesp., quando dicendæ sunt, Antiph. de Laudibus, Psalmi de Dominica, et loco ultimi

Psalmus 137.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo;

Super misericórdia tua, et veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit: * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Gábriel Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et Virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Capitulum, et Hymnus ut supra in primis Vesperis.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Magnificat, Antiph. Archángelus Gábriel aít ad Maríam: Non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum. Et discéssit ab ea Angelus.

Oratio ut supra in Laudibus.

Et fit commem. Feriæ, si celebretur in Quadrages.

Si autem de sancto Archangelo Gabriele sit facienda tantum commem., Antiphona, et ℣. dicuntur ut supra.

QUARTA
EX SEXTIS FERIIS
MENSIS MARTII.
(F)ESTO DE LANCEA, ET CLAVIS
D. N. J. C.
Duplex majus.

...n primis Vesperis, Ant.
...us mílitum, cum reliquis
Laudibus.
...salmus. Dixit Dóminus.
...reliquis de Domínica.
...ult. Psal. Laudáte Dóm.
...pitulum. 1. Jo. 5.
...ARÍSSIMI, Quis est qui vin-
...cit mundum, nisi qui
...dit, quóniam Jesus est
...us Dei? Hic est, qui venit
aquam, et sánguinem,
...us Christus, non in aqua
...m, sed in aqua, et sán-
...ne.

Hymnus.

...ÆNAM lingua tibi, o Lán-
cea, débitas
...tes pro mérito est apta
repéndere?
...isti vivíficum namque
áperis latus,
...de Ecclésia náscitur.
...æc est Heva viri de lá-
tere éxiens,
...membra gravis dum so-
por óccupat;
...c quippe alter Adam,
corde scaténtibus
Unda, et sánguine, prócreat.
O Clávi, æqua manet vos
quoque grátia,
Christi quando sacris ártu-
bus ínsiti,
Delétum Dómini sánguine
fígitis
Mortis chirógraphum cruci.
Te, Jesu, Súperi láudibus
éfferant,
Qui Clavórum áditus, sígna-
que Lánceæ
In cœlo rétines, vivus ubi
ímperas
Cum Patre, atque Paráclito.
Amen.

℣. Fodérunt manus meas, et pedes meos. ℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ad Magníficat, Antiph. Délens quod advérsus nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio, affígens illud cruci.

Oratio.

DEUS, qui in assúmpta carnis infirmitáte Clavis affígi, et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti: concéde propítius, ut qui eorúmdem Clavórum, et Lánceæ solémnia venerámur in terris, de glorióso victóriæ tuæ triúmpho gratulémur in cœlis. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre.

Et fit commem. Feriæ.

In fine Hymn. ad Complet.. et Horas, dicitur. Clavis foráto, et Láncea. ut infra.

Ad Matutinum, Invitat. Christum Láncea, et Clavis vulnerátum, * Veníte, adorémus.

Hymnus.

SALVÉTE, Clavi, et Láncea,
Squalóre nuper óbsita,
Quæ mersa Christi córpori,
Almo rubétis sánguine.

Vos ad scelus judáica
Elégerat perfídia:
Sed in minístra grátiæ
Vos vertit e cœlo Deus.

Nam quot sacrátis ártubus
Sculpsístis olim vúlnera
E tot reclúsis fóntibus,
Dona éffluunt cœléstia.

Clavis foráto, et Láncea,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, et almo Spíritu
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

Si omissus sit Hymnus ad Vesperas, dicatur ad Matutinum, et Hymnus Matutini conjungatur cum Hymno ad Laudes.

In primo Nocturno. Ant. Ad Jesum autem cum venissent, non fregérunt ejus crura; sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício, neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. Ad Jesum autem cum veníssent, non fregérunt ejus crura; sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit.

Ant. Exívit sánguis, et aqua; et qui vidit, testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in

unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Exívit sanguis, et aqua; et qui vidit, testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus.

Ant. Alia Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Alia Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

℣. Quem tu percussísti, persequúti sunt. ℟. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

De Zacharía Prophéta.

Lectio i. Cap. 12.

Hæc dicit Dóminus: Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ, et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt. Et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, sicut planctus Adadrémon in campo Magéddon. Et planget terra, famíliæ, et famíliæ seórsum: famíliæ domus David seórsum, et mulíeres eórum seórsum: famíliæ domus Nathan seórsum, et mulíeres eórum seórsum: famíliæ domus Levi seórsum, et mulíeres eórum seórsum: famíliæ Sémei seórsum, et mulíeres eórum seórsum. Omnes famíliæ réliquæ, famíliæ, et famíliæ seórsum, et mulíeres eórum seórsum.

℟. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, * Sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit. ℣. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus. Sed unus.

Lectio ii. Cap. 13.

In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris, et menstruátæ. Et erit in die illa, dicit Dóminus exercítuum: Dispérdam nómina idolórum de terra, et non memorabúntur ultra: et pseudoprophétas, et spíritum immúndum áuferam de terra. Et erit, cum prophetáverit quíspiam ultra, dicent ei pater ejus, et mater ejus, qui genuérunt eum: Non vives, quia mendácium locútus es in nómine Dómini: et configent eum pater ejus et mater ejus, genitóres ejus, cum prophetáverit. Et erit: In die illa confundéntur prophétæ, unusquísque ex visióne sua cum prophetáverit: nec operiéntur pallio saccíno, ut mentiántur, sed dicet: Non sum prophéta, homo agrícola ego sum, quóniam Adam exémplum meum ab adolescéntia mea.

℟. Unus mílitum Láncea latus ejus apéruit: * Et contínuo exívit sanguis, et aqua. ℣. In die illa erit fons pa-

tens dómui David, et habitántibus Jerúsalem. Et.

Lectio III.

Et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves: et convértam manum meam ad párvulos. Et erunt in omni terra, dicit Dóminus: partes duæ in ea dispergéntur, et defícient: et tértia pars relinquétur in ea. Et ducam tértiam partem per ignem, et uram eos sicut úritur argéntum, et probábo eos sicut probátur áurum. Ipse vocábit nomen meum, et ego exáudiam eum. Dicam: Pópulus meus es; et ipse dicet: Dóminus Deus meus.

℟. In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem * In ablutiónem peccatóris, et menstruátæ. ℣. Hic est qui venit per aquam, et sánguinem, Jesus Christus. In ablutiónem. Glória Patri. In ablutiónem.

In secundo Nocturno, Ant. Aspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super Unigénitum.

Psalmus 4

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte, quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre, * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine,

singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. Aspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum.

Ant. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum?

Psalmus 5.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Ant. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum?

Ant. His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me.

Psalmus 8.

DÓMINE, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti láudem

propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, et boves univérsas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster,* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

℟. Attrítus est propter scélera nostra.

Sermo
Innocéntii Papæ Sexti.
In Decreto de Festo Lanceæ, et Clavorum Domini.

Lectio iv.

In Redemptóris nostri Dómini Jesu Christi sacratíssima Passióne sic nos gloriári opórtet, ut ipsíus Passiónis cuncta mystéria dinumerántes, et mérita, síngulis étiam ejus salutáribus instruméntis gloriémur. Inter quæ illud celébriter memorándum est, quod ipse Salvátor, emísso in cruce jam spíritu, sustínuit perforári Láncea latus suum, ut, inde sánguinis, et aquæ profluéntibus undis, formarétur única, et immaculáta, ac virgo sancta mater Ecclésia sponsa sua. O beatíssima ipsíus sacri Láteris apertúra, unde nobis tot, et tanta divínæ pietátis dona fluxérunt! O felix Láncea, quæ tot bona nobis effícere, et ad tanti triúmphi glóriam méruit superáddi!

℟. Hic est, qui venit per aquam, et sánguinem, Jesus Christus, * Non in aqua solum, sed in aqua, et sánguine. ℣. Tres sunt, qui testimónium dant in terra: spíritus, aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt. Non in aqua.

Lectio v.

Hæc latus ipsum aperiéndo, sacratíssimas jánuas nobis regni cœléstis apéruit. Hæc vulnerándo jam mórtuum, vúlnera nostra saná-

vit, vitámque nobis réddidit, et salútem. Hæc innóxium transfigéndo, illíus sánguine culpas nostras abstérsit: et demum ejúsdem sacratíssimis undis irrigáta, cæcitátis nostræ ténebras sústulit, et nos ipsíus divínæ pietátis flúviis mundávit. Illi étiam dulces Clavi, quibus ipse Salvátor eídem cruci fuit affíxus, quique non solum immaculáto respérgi sánguine, et molem ferre tanti pónderis meruérunt, sed et nos étiam per ipsórum salutíferas Plagas dulcédinem tantam ipsíus divínæ charitátis accépimus, ut manus nostræ a peccáti solútæ néxibus, pedésque nostri a mortis láqueis fúerint liberáti, sunt devotíssime recoléndi.

℟. Quóniam circumdedérunt me canes multi, concílium malignántium obsédit me: * Fodérunt manus meas, et pedes meos. ℣. Dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Fodérunt.

Lectio VI.

Quid enim vúlnere, et plagis hujúsmodi sánctius? Quid eis salúbrius, ex quibus salus nostra procéssit, et in quibus assídue se possunt curáre ánimæ devotórum? Licet ígitur Láncea, et Clavi prædícti, áliaque ipsíus Passiónis salutária instruménta sint a cunctis fidélibus Christi ubílibet veneránda, et de ipsa étiam Passióne in eádem Ecclésia solémnia annis síngulis offícia celebréntur, et fiant; dignum tamen, et convéniens reputámus, si de ipsíus Passiónis speciálibus instruméntis, et præsértim in pártibus, in quibus instruménta ipsa dicúntur habéri, solémne, ac speciále festum celebrétur, et fiat; Nosque illos fidéles Christi, qui áliqua ex instruméntis ipsis habére se gáudent, in eórum devotióne divínis offíciis, atque munéribus speciáliter foveámus.

℟. Dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: * His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. ℣. Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, non credam. His plagátus. Glória Patri. His.

In tertio Nocturno, Ant. Fodérunt manus meas, et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Psalmus 95.

Cantate Dómino cánticum

novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam, et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Antiph. Fodérunt manus meas, et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ant. Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, et mittam dígitum meum in locum clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Psalmus 96

Dóminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus: * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, et mittam dígitum meum in locum clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Ant. Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

Psalmus 97.

Cantate Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, et voce psalmi: * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini: * moveátur mare, et plenitúdo ejus; orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina pláudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Domini: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum. ℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 120. in Joan.

Unus mílitum Láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua. Vigilánti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret: Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud; sed, apéruit: ut illic quodámmodo vitæ óstium panderétur, unde Sacraménta Ecclésiæ manavérunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intrátur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum; hæc et lavácrum præstat, et potum. Hoc prænuntiábat, quod Noe in látere arcæ óstium fácere jussus est, qua intrárent animália, quæ non erant dilúvio peritúra, quibus præfigurabátur Ecclésia.

℟. Facta sunt hæc, ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit: * Vidébunt in quem transfixérunt. ℣. Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ, et precum. Vidébunt.

Lectio VIII.

Propter hoc prima múlier facta est de látere viri dormiéntis, et appelláta est vita, matérque vivórum. Magnum quippe significávit bonum, ante magnum prævaricatiónis malum. Hic secúndus Adam, inclináto cápite, in cruce dormívit, ut inde formarétur ei conjux, quæ de látere dormiéntis effluxit. O mors, unde mórtui reviviscunt! Quid isto sánguine múndius? Quid vúlnere isto salúbrius? Facta sunt enim hæc, inquit, ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

℟. Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ, et precum, * Et aspícient ad me, quem confixérunt. ℣. Et plangent eum planctu quasi super unigénitum. Et aspícient. Glória Patri. Et aspícient.

Lectio IX. de Homilia Feriæ occurrentis.

Lectio IX.

Duo testimónia de Scriptúris síngulis réddidit, quasi facta fuíssent, narrávit. Nam quia díxerat: Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura; ad hoc pértinet testimónium, Os non comminuétis ex eo; quod præcéptum est eis, qui celebráre Pascha jussi sunt ovis immolatióne, in véteri lege, quæ Domínicæ passiónis umbra præcésserat. Unde Pascha nostrum immolátus est Christus, de quo Isaías Prophéta díxerat: Sicut ovis ad occisiónem ductus est. Item quia subjúnxerat, dicens: Sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit; ad hoc pértinet álterum testimónium, Vidébunt in quem transfixérunt. Ubi promíssus est Christus in ea, qua crucifíxus est, carne ventúrus.

Te Deum.

AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Unus mílitum Láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliq. de Dominica.

Antiph. Fodérunt manus meas, et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ant. Tres sunt, qui testimónium dant in terra: spíritus, aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt.

Ant. Quid turbáti estis, et cogitatiónes ascéndunt in corda vestra? Vidéte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum.

Ant. Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

Capitulum. I. Jo. 5.

Charíssimi, Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quóniam Jesus est Fílius Dei? Hic est, qui venit per aquam, et sánguinem, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua, et sánguine.

Hymnus.

Tinctam ergo Christi sánguine
Convértite in me cúspidem,
Feríte cor, pedes, manus,
Pœnam a nocénte súmite.

At, quæso, culpis débitas
Quas jure plagas fígitis,
Cruóre divíno íllitæ
Fiant medéla spíritus.

Sit gressus ad malum ímpotens,
Manus nocére désinant,

Omnísque corde e sáucio
Profánus ardor éxeat.
Clavis foráto, et Láncea,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, et almo Spíritu,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

℣. Fodérunt manus meas, et pedes meos. ℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ad Benedictus, Antiph. Inglórius erit inter viros aspéctus ejus, et forma ejus inter fílios hóminum. Iste aspérget gentes multas.

Oratio.

Deus, qui in assúmpta carnis infirmitáte Clavis affígi, et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti: concéde propítius, ut qui eorúmdem Clavórum, et Lánceæ solémnia venerámur in terris, de glorióso victóriæ tuæ triúmpho gratulémur in cœlis. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre.

Et fit commem. Feriæ occurréntis.

Ad Primam, Antiphona. Unus mílitum.

In ℟ br. ℣. Qui vulnerátus es pro nobis.

Ad Tertiam, Antiphona. Fodérunt.

Capit. Charíssimi. ut sup.

℟. brev. Fodérunt manus meas, * Et pedes meos. Fodérunt. ℣. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Et pedes meos. Glória Patri. Fodérunt. ℣. Quem tu percussísti, persequúti sunt. ℟. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Ad Sextam, Antiphona. Tres sunt.

Capitulum. 1. Petri 2.

Fratres, Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus. Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus.

℟. br. Quem tu percussísti, * Persequúti sunt. Quem tu. ℣. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt. Persequúti sunt. Glória Patri. Quem. ℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Attrítus est propter scélera nostra.

Ad Nonam, Antiphona. Infer dígitum.

Capitulum. 1. Petri 2.

Qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum: ut peccátis mórtui justítiæ vivámus: cujus livóre sanáti estis.

℟. br. Ipse vulnerátus est * Propter iniquitátes nostras. Ipse. ℣. Attrítus est propter scélera nostra. Propter. Glória Patri. Ipse. ℣. Disciplí-

na pacis nostræ super eum.
℟. Cujus livóre sanáti sumus.

In secundis Vesp. omnia ut in primis, præter ultimum Psalm., cujus loco:

Psalmus 115.

CRÉDIDI, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ad Magnificat, Antiph. Vere languóres nostros ipse tulit; et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum.

Et fit commem. Feriæ occurrentis.

## DIE XXII. MARTII.

### IN FESTO S. NICOLAI DE FLUE CONFESS.

Duplex.

Pro Diœcesis parte helvetica.

Oratio.

DEUS, qui beátum Nicoláum eremítam Angelórum esca mirabíliter nutríre, et sanctíssimæ Trinitátis visióne illustráre voluísti; concéde, quæsumus, ut ejus intercessióne Domínicum corpus, et sánguinem digne súmere in terris, et gloriósum conspícere mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Benedicti Abbatis. Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

INTERCÉSSIO nos, quæsumus, Dómine, beáti Benedícti Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Deinde in Quadrages. fit commem. Feriæ occurr.

In primo Nocturno, Lect. Beátus vir. de Comm. Conf. non Pontif. 2. loco.

Extra Quadrag. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Nicolaus de Flue helvétius in Saxellénsi Cantónis Subsylvániæ pago, constantiénsis diæcésis, honéstis paréntibus procreátus, quanta sanctitáte, et miráculis orbem illustratúrus esset, adhuc in angústo matris útero indicávit; dum latum cœlum suis lumínibus distínctum vidit, stellámque unam præ cæteris ita corruscántem, ut rádii per totum mundum se diffúnderent. Vix natus, pari prodígio, matrem, atque obstetrícem, deínde patrínos, patrónos, ac álios baptísmo suo assisténtes agnóvit. Puerítiam exímia morum innocéntia, et sine ulla mendácii labe exégit. Adoléscens terna sibi per hebdómadam jejúnia ad sanctórum Nicólai myrénsis, et tolentinátis imitatiónem indíxit. Rebus porro divínis die noctúque sic erat inténtus, ut ad solitúdinem ardentíssime aspiráret. Paréntum, et cognatórum votis cessit invítus, dum ad cælibem vitam sanctórum exémplo raptus, matrimónio se alligávit; e quo fílios quinque totidémque fílias procreávit. Inde milítiam aliquándo secútus, innátam pietátem nunquam deséruit; cumque ex ea redíret, suprémum pátriæ magistrátum sæpius oblátum constánter réspuit, præcípue quum luce divína præventus ex corruptórum júdicum ore sulphúreas erúmpere flammas vidéret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam.
℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Cum ínterim Deus non desíneret illíus pectus altióris vitæ desidériis succéndere; bona dénique cónjugis vénia, relíctis ómnibus, in vicínam erémum secéssit: ubi prope vigínti annos inusitáta vitæ austeritáte tradúxit; priscórum anachoretárum mirácula, et virtútes ita ad vivum éxprimens, ut ejus sanctitátis fama longe latéque éxciti pópuli ad

eum, velut ad natúræ humánæ porténtum, sæpe conflúxerint. Eisdem annis sine corporáli cibo potúque vitam egit, solo sanctíssimo Christi córpore quot ménsibus saltem semel reféctus. Cujus inédiæ numquam visæ, constantiénsi pro-epíscopo mirábile experiméntum fuit, dum ab eódem virtúte obediéntiæ coáctus vir Dei panis fragméntum, et vini guttam súmere, tam ægre deglútiit, ut, iis præ ingénti dolóre statim rejéctis, ánimam efflåre viderétur. Inter hæc assíduo virtútum stúdio, et pérpeti Domínicæ Passiónis meditatióne dæmonum furórem in se vehementíssime concitávit: illos tamen fugátos a beatíssima Dei matre, quam sine labe originàli concéptam præcípue venerabátur, non raro fassus est. Has inter pugnas, et victórias, multis cœléstibus visiónibus recreátus est. Illústrior illa fuit, quando sanctíssima Trínitas in rotæ fulgéntis spécie se se ei objécit, et in tanta divinórum radiórum, arcanæque sapiéntiæ cópia in eum est profúsa, ut in vultu ipsíus insólitus spléndor usque ad mortem hæréret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio VI.

DEI ígitur magistério sédulo usus, charitátem próximi summæ contemplatióni conjúnxit; nam accedéntes ad se populáres máxime suos multis salutáribus mónitis erudívit; potíssimum eos exhórtans ad sanctæ Sedis apostólicæ, et cleri observántiam, fídei románæ integritátem, constantiámque mútui amóris, ac demum ad dignos fructus peniténtiæ, quam vultu, et córpore prorsus emaciáto, rudi ínsuper túnica, et nudo semper cápite, et pédibus efficacíssime prædicábat. Prophetíæ dono enítuit; futúra, et occúltas hóminum cogitatiónes sæpe número perspéxit. Sarnam, precípuum Sylvæ superióris pagum, gravi incéndio conflagrántem, crucis signo íllico exémit. Demum anno post Christum natum octuagésimo séptimo supra millésimum quadringentésimum, octiduáno morbo gravíssime cruciátus, ut

pridem divínitus edóctus erat, in ássere, quo toto erémi témpore pro léctulo utebátur, corpus suum proténdit; et inter divínas laudes vitam angélicam placidíssime cláudens spíritum Deo réddidit, vigésimo primo mártii, die ipso festo sancti Benedícti natalítio suo, ac septuagésimo ætátis anno. Sacrum corpus in Saxellénsi paróchia cónditum, magno Helvetiórum, et exterórum accúrsu cólitur: quod étiam cum sánctus Cárolus Borromæus invíseret, Nicoláum exímium sanctum esse pronuntiávit. Ad ejus sepúlchrum cláudus, qui Compostéllæ pedis incolumitátem a sancto Jacóbo exoráre non pótuit, recépit. Infans autem a dormiéntibus oppréssus, et pénitus suffocátus, ejus méritis revíxit. Miráculis in vita, et post mortem clarum Clemens Nonus offício, et missa decorávit in ecclésia, ubi corpus ejus requiéscit; Clemens vero Decimus eam grátiam ad totam Helvétiam, atque constantiénsem diœcésim exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Noct., Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. de Communi Abbatum.

In Quadr. Lectio ix. de Homilia Feriæ occurrentis; et commem. ejusdem Feriæ in Laudibus, et Vesperis.

## DIE XXVI. MARTII.

### In festo S. Petri Martyris.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui beáti Petri Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

In Quadrag., Lect. primi Noctur., Fratres, Debitóres. de Communi plur. Mart.

Extra Quadrag., de Scriptura occurrente.

In secundo Noctur., Lect. Triumphális. de Communi unius Martyr. 1. loco.

In tertio Noct., Homilia in Evang., Si quis vult post me veníre. de eodem Communi 2. loco.

Lectio ix. de Homilia Fe-

riæ, de qua fit etiam comm. in utrisque Vesp., et Laud.

Tempore Paschali, Lect. secundi, et tertii Nocturni de Comm. pro eodem tempore 1. loco.

## FESTA APRILIS.

## DIE VIII.

### IN FESTO SANCTI AMANTII EPISC. COMENS., ET CONFESS.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

In Quadr. fit comm. Feriæ.

Lect. I. Noct., Fidélis sermo. de Communi 1. loco.

Extra Quadrages., de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

AMANTIUS epíscopus coménsis, regia stirpe ortus (fuisse enim tráditur Theodósii junióris ex quadam fília nepos) Cantuáriæ in Británnia natus, a sancto Províno, Felícis prædecessóris sui exémplo, succéssor in episcopátu designátus est. Hic suscépta ea dignitáte, nonnúllas Apostolórum Petri, et Pauli córporum relíquias ex urbe Roma Comum détulit, quas sub altári máximo in eórum basílica, quæ nunc sub nómine sancti Abúndii dedicáta est, máxima cum veneratióne repósuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

LEONE ígitur Primo pontífice máximo, cum Amántius ecclésiam coménsem mira vitæ sanctitáte, et virtútum ómnium præcláris exémplis régeret, Abúndius adjútor in ea functióne e Grécia illi a Deo missus est: qui Comum divértens Amántii familiaritátem fácile propter morum, et vitæ similitúdinem est assecútus. Tanta autem charitáte, et in religióne, pietatéque colénda animórum conjunctióne hi duo viri sanctíssimi inter se egérunt, ut non medíocrem pópulus coménsis opem in fídei christiánæ propagatióne inde suscéperit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Dum ígitur ea mútuæ dilectiónis consuetúdine frueréntur, bonus víneæ Dómini cultor Amántius valetúdine corréptus, ántequam e sæculo migráret, successórem sibi elégit Abúndium, et pontíficem adhuc vivens ordinávit; et paulo post vitam fíniens, spíritum Dómino réddidit: atque in eádem Apostolórum Petri, et Pauli basílica honorífice sepúltus est; ac deínde inter sanctos relátus, solémni die institúto sexto idus aprílis.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homil. in Evang. Homo péregre. de Communi Conf. Pontif. 1. loco.

In Quadrag., Lectio ix. de Homilia Feriæ occurrentis, et commem. ejusdem Feriæ in Laudibus, et Vesperis.

## DOMINICA TERTIA

### POST PASCHA.

### In festo Patrocinii sancti Joseph Conf.

Duplex 2. Classis.

In primis Vesperis, Ant. Jacob autem. cum reliquis de Laudibus.

Psalmus. Dixit Dóminus. cum reliquis de Dominica, et loco ult., Psalm. Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

Capitulum. Gen. 49.

Benedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus: donec veníret desidérium cóllium æternórum: fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazaræi inter fratres suos.

Hymnus.

Te, Joseph, célebrent ágmina Cœlitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Casto fœdere Vírgini.
Almo cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.

Tu natum Dóminum stríngis, ad éxteras
Ægypti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.

Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Joseph méritis sídera scándere;
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ, allelúja. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ, allelúja.

Ad Magnificat, Antiph. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto, allelúja.

Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta, quæsumus, ut quem Protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis: Qui vivis.

Et fit comm. Dominicæ III. post Pascha. Ant. Módicum, et non vidébitis me, dicit Dóminus; íterum módicum, et vidébitis me, quia vado ad Patrem, allel., allel.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allel. ℟. Quóniam advesperáscit, allel.

Oratio.

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: da cunctis, qui christiána professióne censéntur, et illa respúere, quæ huic inimíca sunt nómini, et ea, quæ sunt apta, sectári. Per Dóminum.

Ad Matutinum. Invitat. Laudémus Deum nostrum, * In veneratióne beáti Joseph Protectóris nostri, allel.

Psalmus. Veníte, exultémus.

Hymnus. Te, Joseph. ut supra in primis Vesperis.

In primo Nocturno, Ant. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi, allelúja.

Psalmi trium Noctur. de Comm. Conf. non Pontif.

℣. Confitébor nómini tuo, allel. ℟. Quóniam Adjútor, et Protéctor factus es mihi, allelúja.

De libro Génesis.

Lectio i. Cap. 39.

Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emítque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, prínceps exércitus, vir ægyptius, de manu Ismaelitárum, a quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, et erat vir in cunctis próspere agens: habitavítque in domo Dómini sui, qui óptime nóverat Dominum esse cum eo, et ómnia quæ géreret, ab eo dírigi in manu illíus. Invenítque Joseph grátiam coram Dómino suo, et ministrábat ei; a quo præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domum, et univérsa quæ ei trádita fúerant. Benedixítque Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph, et multiplicávit tam in ædibus, quam in agris cunctam ejus substántiam, nec quidquam áliud nóverat, nisi panem quo vescebátur. Erat autem Joseph pulchra fácie, et decórus aspéctu.

℟. Clamávit pópulus ad regem aliménta petens. * Quibus ille respóndit: Ite ad Joseph, allel. ℣. Salus nostra in manu tua est: réspice nos tantum, et læti serviémus regi. Quibus.

Lectio ii. Cap. 41.

Placuit Pharaóni consílium, et cunctis minístris ejus: locutúsque est ad eos: Num inveníre potérimus talem virum, qui spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia quæ locútus es, numquid sapientiórem, et consímilem tui inveníre pótero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantum regni sólio te præcédam. Dixítque rursus Phárao ad Joseph: Ecce, constítui te super univérsam terram Ægypti. Tulítque ánnulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus: vestivítque eum stola byssina, et collo torquem áuream circumpósuit. Fecítque eum ascéndere super currum suum secúndum, clamánte præcóne, ut omnes coram eo genu flécterent, et præpósitum esse scirent univérsæ terræ Ægypti.

℟. Fecit me Deus quasi patrem Regis, et dóminum

univérsæ domus ejus: * Exaltávit me, ut salvos fáceret multos pópulos, allel. ℣. Veníte ad me, et ego dabo vobis ómnia bona Ægypti, ut comedátis medúllam terræ. Exaltávit me.

Lectio III. Cap. 41.

DIXIT quoque Rex ad Joseph: Ego sum Phárao: absque tuo império non movébit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertítque nomen ejus, et vocávit eum lingua ægyptíaca, Salvatórem mundi. Dedítque illi uxórem Aseneth fíliam Putipháre sacerdótis Heliopóleos. Egréssus est ítaque Joseph ad terram Ægypti (trigínta autem annórum erat, quando stetit in conspéctu regis Pharaónis), et circuívit omnes regiónes Ægypti. Venítque fertílitas septem annórum: et in manípulos redáctæ ségetes congregátæ sunt in hórrea Ægypti. Omnis étiam frugum abundántia in síngulis úrbibus cóndita est. Tántaque fuit abundántia trítici, ut arénæ maris coæquarétur, et cópia mensúram excéderet.

℟. Jam lætus móriar, quia vidi fáciem tuam, et supérstitem te relínquo. Non sum fraudátus aspéctu tuo: * Insuper osténdit mihi Dóminus semen tuum, allelúja. ℣. Qui pascit me ab adolescéntia mea, benedícat púeris istis: et invocétur super eos nomen meum. Insuper. Glória. Insuper.

In secundo Nocturno. Ant. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel; defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri, allelúja.

℣. Réspice de cœlo, et vide, et vísita víneam istam, allelúja. ℟. Et pérfice eam, allelúja.

Sermo sancti Bernardíni senénsis.

Serm. I. de S. Joseph.

Lectio IV.

OMNIUM singulárum gratiárum, alícui rationábili creatúræ communicatárum, generális régula est, quod quandocúmque divína grátia éligit áliquem ad áliquam grátiam singulárem, seu ad áliquem sublímem statum, ómnia charísmata donet, quæ illi persónæ sic eléctæ, et ejus offício necessária sunt, atque illam copióse decórant. Quod máxime verificátum est in san-

cto Joseph, putatívo patre Dómini nostri Jesu Christi, et vero sponso Regínæ mundi, et Dóminæ Angelórum, qui ab ætérno Patre eléctus est fidélis nutrícius, atque custos principálium thesaurórum suórum, scílicet Fílii ejus, et sponsæ suæ; quod offícium fidelíssime prosecútus est. Cui proptérea Dóminus ait: Serve bone, et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

℟. Dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me: * Protéctor meus, et cornu salútis meæ, et suscéptor meus, allelúja. ℣. Ego Protéctor tuus sum, et merces tua magna nimis. Protéctor meus.

Lectio v.

Si cómpares eum ad totam Ecclésiam Christi, nonne iste est homo eléctus, et speciális, per quem, et sub quo Christus est ordináte, et honéste introdúctus in mundum? Si ergo Vírgini Matri tota Ecclésia sancta débitrix est, quia per eam Christum suscípere digna facta est: sic profécto post eam huic debet grátiam, et reveréntiam singulárem. Ipse enim est clavis véteris Testaménti, in qua patriarchális, et prophetális dígnitas promíssum conséquitur fructum. Porro hic est solus, qui corporáliter possédit, quod eis divína dignátio repromísit. Mérito ígitur figurátur per illum patriárcham Joseph, qui pópulis fruménta servávit. Sed et hic illum præcéllit, quia non solum Ægyptiis panem corporális vitæ, sed ómnibus eléctis panem de cœlo, qui cœléstem vitam tríbuit, cum multa solértia enutrívit.

℟. Státuet fílios suos sub tégmine illíus, et sub ramis ejus morábitur; protegétur sub tégmine illíus a fervóre: * Et in glória ejus requiéscet, allelúja. ℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda vestra. Et in.

Lectio vi

Profécto dubitándum non est, quod Christus familiaritátem, reveréntiam, atque sublimíssimam dignitátem, quam sibi exhíbuit, dum ágeret in humánis, tamquam fílius patri suo, in cœlis útique non negávit, quin pótius complévit, et consummávit. Unde non immérito in verbo propósito a Dómino subinfértur: Intra in gáudium Dómini

tui. Unde, licet gáudium ætérnæ beatitúdinis in cor hóminis intret, máluit tamen Dóminus ei dícere, Intra in gáudium; ut mystice innuátur, quod gáudium illud non solum in eo sit intra, sed úndique illum circúmdans, et absórbens, et ipsum velut abyssus infiníta submérgens. Meménto ígitur nostri, beáte Joseph, et tuæ oratiónis suffrágio apud tuum putatívum Fílium intercéde; sed et beatíssimam Vírginem sponsam tuam nobis propítiam redde, quæ mater est ejus, qui cum Patre, et Spíritu sancto vivit, et regnat per infiníta sæcula sæculórum. Amen.

℟. Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum: * Si exúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperábo, allelúja. ℣. In te cantátio mea semper: quóniam tu adjútor fortis. Si exúrgat. Glória Patri. Si exúrgat.

In tertio Nocturno, Ant. Consúrgens Joseph accépit púerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel, et habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth, allelúja. ℣. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, allelúja. ℟. Ut non derelínquat me in die tribulatiónis, allel.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 3.

In illo témpore: Factum est autem cum baptizarétur omnis pópulus, et Jesu baptizáto, et oránte, apértum est cœlum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. de Consensu Evang.

Maniféstum est illud, quod ait, Ut putabátur fílius Joseph, propter illos dixísse, qui eum ex Joseph, sicut álii hómines nascúntur, natum arbitrántur. Quos autem movet, quod álios progenitóres Matthæus enúmerat, descéndens a David usque ad Joseph, álios autem Lucas ascéndens a Joseph usque ad David; fácile est, ut advértant, duos patres habére potuísse Joseph: unum a quo génitus, álterum a quo fúerit adoptátus. Antíqua est enim consuetúdo adoptándi étiam in illo pópulo Dei, ut sibi fílios fácerent, quos non ipsi genuíssent. Unde intellígitur Lucas patrem Joseph, non a quo génitus, sed a quo fúerat adoptátus, suscepísse

in Evangélio suo, cujus progenitóres sursum versus commémorat, donec exíret ad David.

℟. Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est: páriet autem fílium, * Et vocábis nomen ejus Jesum, allelúja.

℣. Ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Et vocábis.

Lectio viii.

Cum enim necésse sit, utróque Evangelísta vera narránte, et Matthæo scílicet, et Luca, ut unus eórum ejus patris oríginem tenéret, qui genúerat; alter ejus, qui adoptáverat Joseph: quem probabílius intellígimus adoptántis oríginem tenuísse, quam eum, qui nóluit Joseph génitum dícere ab illo, cujus eum fílium esse narrabát? Matthæus autem dicens, Abraham génuit Isaac, Isaac génuit Jacob, atque ita in hoc verbo, quod est, génuit, persevérans, donec in último díceret: Jacob autem génuit Joseph, satis expréssit, ad eum patrem se perduxísse oríginem generántium, a quo Joseph non adoptátus, sed génitus erat. ¶ Quamquam si étiam Lucas génitum díceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbáre debéret, ut áliud credámus, quam ab uno Evangelísta gignéntem, ab áltero adoptántem patrem fuísse commemorátum. Neque enim absúrde quisque dícitur non carne, sed charitáte genuísse, quem fílium sibi adoptáverit. At vero étiam nos, quibus dedit Deus potestátem fílios ejus fíeri, de natúra, atque substántia sua non nos génuit, sicut únicum Fílium, sed útique dilectióne adoptávit.

℟. Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi, allelúja. ℣. Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægypto vocávi Fílium meum. Et esto. Glória Patri. Et esto.

Lectio Nona de Homilia Domin. occurr., ut sequitur:

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio ix. Cap. 16 b

In illo témpore: dixit Jesus discípulis suis: Módicum, et jam non vidébitis me; et íterum módicum,

et vidébitis me: quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homilía

sancti Augustíni Epíscopi.

*Tract. 101. in Jo. sub fin.*

Módicum est hoc totum spátium, quo præsens pérvolat sæculum. Unde dicit idem ipse Evangelísta in Epístola sua: Novíssima hora est. Ideo namque áddidit: Quia vado ad Patrem: quod ad priórem senténtiam referéndum est, ubi ait: Módicum, et jam non vidébitis me; non ad posteriórem, ubi ait: Et íterum módicum, et vidébitis me. Eúndo quippe ad Patrem, factúrus erat ut eum non vidérent. Ac per hoc non ideo dictum est, quia fúerat moritúrus, et donec resúrgeret ab eórum aspéctibus recessúrus: sed quod esset itúrus ad Patrem, quod fecit pósteaquam resurréxit, et cum eis per quadragínta dies conversátus, ascéndit in cœlum.

Te Deum.

## AD LAUDES,

*et per Horas, Antiph.*

Jacob autem génuit Ioseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus, allelúja.

*Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliq. de Dominica.*

*Ant.* Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, allel.

*Ant.* Ascéndit autem Joseph a Galilæa de civitáte Názareth, in Judæam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, allel.

*Ant.* Et venérunt festinántes, et invenérunt Maríam, et Joseph, et Infántem pósitum in præsépio, all., all.

*Ant.* Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph, allel.

*Capitulum. Gen. 49.*

Benedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus: donec veníret desidérium cóllium æternórum: fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazaræi inter fratres suos.

*Hymnus.*

Cœlitum Joseph decus, atque nostræ
Certa spes vitæ, columénque mundi,
Quas tibi læti cánimus, benígnus
Súscipe laudes.

Te Sator rerum státuit pudícæ
Vírginis sponsum, voluítque Verbi
Te patrem dici, dedit et minístrum
Esse salútis.

Tu Redemptórem stábulo jacéntem,
Quem chorus vatum cécinit futúrum,
Aspicis gáudens, humilísque natum
Numen adóras.

Rex, Deus regum, Dominátor orbis,
Cujus ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur æther,
Se tibi subdit.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens súperos honóres,
Det tuis nobis méritis beátæ
Gáudia vitæ. Amen.

℣. Dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, allelúja.
℟. Et déxtera tua suscépit me, allelúja.

Ad Benedictus, Antiph. Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est, allelúja.

Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es; præsta, quæsumus, ut quem Protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Qui vivis.

Et fit comm. Dominicæ III. post Pascha. Ant. Módicum, et non vidébitis me, dicit Dóminus; íterum módicum, et vidébitis me, quia vado ad Patrem, allel., allel.
℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúja.
℟. Cœli, et terra læténtur, allelúja.

Oratio.

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: da cunctis, qui christiána professióne censéntur, et illa respúere, quæ huic inimíca sunt nómini, et ea, quæ sunt apta, sectári. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Missus est.
Capit. Benedictiónes Patris tui. ut supra.
℟. br. Constítuit eum Dóminum domus suæ, * Allelúja, allel. Constítuit. ℣. Et Príncipem omnis possessió-

nis suæ. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Constítuit.

℣. Confitébor nómini tuo, allelúja. ℟. Quóniam adjútor, et protéctor factus es, mihi, allelúja.

Ad Sextam, Antiphona. Ascéndit autem.

Capitulum. Gen 49.

Deus Patris tui erit adjútor tuus, et omnípotens benedícet tibi benedictiónibus cœli désuper.

℟. br. Confitébor nómini tuo, * Allelúja, allel. Confitébor. ℣. Quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi. Allelúja, allel. Glória Patri. Confitébor.

℣. Justus germinábit sicut lílium, allelúja.

℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúja.

Ad Nonam, Antiphona. Et ipse Jesus.

Capitulum. Gen. 49.

Fílius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu: fíliæ discurrérunt super murum.

℟. br. Justus germinábit sicut lílium, * Allelúja, allelúja. Justus. ℣. Et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja, allel. Glória Patri. Justus germinábit sicut.

℣. Plantátus in domo Dómini, allelúja.

℟. In átriis domus Dei nostri, allelúja.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, præter:

℣. Sub umbra illíus, quem desideráveram sedi, allel.

℟. Et fructus ejus dulcis gútturi meo, allelúja.

Ad Magnificat, Antiph. Fili, quid fecísti nobis sic? ecce Pater tuus, et ego doléntes quærebámus te, all.

Oratio. Deus, qui ineffábili. ut supra in Laudibus.

Et fit comm. Dominicæ III. post Pascha Ant. Amen dico vobis, quia plorábitis, et flébitis vos, mundus autem gaudébit, vos vero contristabímini; sed tristítia vestra vertétur in gáudium, allelúja.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allel. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúja.

Oratio ut supra.

## DIE XVIII. APRILIS.

### In festo S. Galdini Episc., et Conf.

Duplex.

Oratio. Exáudi.

In primo Noct., Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Galdínus, civis mediolanénsis, sacris ab infántia

litteris erudítus, ecclésiæ mediolanénsis cancellárius, ac deinde archidiáconus fuit. Témpore póstea schísmatis ab imperatóre Federíco Ænobárbo excitáti, suum sequútus archiepíscopum Obértum, pátriam relíquit, ut ejúsdem schísmatis rábiem fúgeret, atque Alexándro tértio pontífici legítimo adhæréret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Cum ipso ígitur exílium in Gállia, in quam confúgerant, multósque labóres, et ærúmnas ferme per quadriénnium perpéssus, Romam dénique tendébat, jamque Beneventum pervénerat, cum Alexánder ad urbem festínans, Galdínum inde ad se vocat: et, satis jam cógnitis ejus virtútibus, Ecclésiæ románæ presbyterum cardinálem, deinde Obérto mórtuo mediolanénsem archiepíscopum creat. Permultis pene conféctus labóribus, quos ille pro Ecclésia Dei sustinúerat, eo erat ánimo, ut archiepiscopále onus recusáret; sed tandem suscépit, multórum précibus victus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Mediolanum legátus ínsuper apostólicus venit, miserábili excídio jámdiu ab Ænobárbo dírutum, et in pagos redáctum, sed a cívibus recénter ágmine facto revérsis inhabitári, et reparári cœptum: ac totus assíduis précibus pastoralibúsque offíciis addíctus, cum in id máxime incúmberet, quod pro Ecclésia sua redintegránda, et bene geréndа ánimo concéperat; id auxílio divíno felíciter assequútus est, repugnántibus étiam adversáriis. Nefária Catharórum hæresis hoc schísmatis témpore fúerat exórta. Eam pestem ut a grege suo beátus Galdínus propulsáret, quodam die contra eos e suggéstu conciónem aggréssus, cum primum dicéndi finem fecísset, eódem loco ánimam Deo réddidit, mul-

tísque statim miráculis cláruit. Ejus corpus in basílica metropolitána recónditum est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Noct., Homil. in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

## DIE XXIII. APRILIS.

### IN FESTO S. MAROLI EPISC., ET CONF.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. Ss. Soteris, et Caji. Ant. Sancti, et justi, in Dómino gaudéte, allelúja; vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúja. ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.

Oratio.

BEATÓRUM Mártyrum, paritérque Pontíficum Sotéris, et Caji nos, quæsumus, Dómine, festa tueántur: et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

In primo Noct., Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

MAROLUS Venério epíscopo mediolanénsi succéssit, ínclytus virtúte, quam per quíndecim annos in suæ Ecclésiæ administratióne exércuit. Summa fuit austeritáte vitæ; et præter alias ecclesiástico hómine dignas virtútes, quæ summæ in eo apparuérunt, tum in priváta vita, tum in pontificátu ipso, jejúniis, et oratióni mirífice déditus fuit. Hujus sancti epíscopi mores, et abstinéntiam præcípue singulárem laudávit cármine Ennódius. Magna sanctitátis fama mórtuus, in basílica sancti Nazárii sepelítur, ejúsque mérita étiam ante mórtem miráculis claruére.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio vercellensi.

Lectio V.

AD sancti, ac beatíssimi Patris nostri Mároli, cujus

hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est filius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis, et grátiæ, de hoc, quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat præditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum: quia pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi 1. loco.

## DIE XXVII. APRILIS.

In festo S. Georgii Mart.

(Ex die 23. hujus mensis hodie assignato). Semidupl.

Omnia ut in Breviario.

## DIE XXIX. APRILIS.

In festo S. Petri Martyris, patroni minus principalis sanctæ Novocomensis Eccl.

Duplex majus.

In primo Noct., Lectiones. Fratres, Debitóres. de Communi plurim. Mart.

Reliqua omnia ut in Breviario.

FESTA MAJI.

DIE IV.

In festo
S. Venerii Episc., et Conf.
Duplex.

Ant. Sacérdos, et Pónti-fex, et virtútum ópifex, pastor bone, in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allel.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja.

℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Venérii Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Domin.

In primo Noct., Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Venérius, cujus aliquándo Paulínus méminit, sancti Ambrósii discípulus, ab eo primum diáconus, deinde presbyter creátus, eo præcéptore vere dignus, beatíssimo Simpliciáno in archiepiscopátu succéssit. Ejus virtútum nomen magnum ubíque fuit usque ádeo, ut et carthaginiénsis synodi Patres ad illum legátos míserint: et sanctus Joánnes Chrysóstomus lítteras græce exarátas déderit, quibus ejus divínam charitátem, áliaque pastorália ornaménta testáta facit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Ad stúdium autem pietátis in primis Pastor erudítus, nihil turboléntis illis tempóribus prætermísit ad diligéntem Ecclésiæ sibi commíssæ tuéndæ, religioséque gubernándæ ratiónem. Demum miraculórum, et sanctitátis glória clarus obdormívit in Dómino, quarto nonas maji. Ejus corpus in basílica Apostolórum sepúltum sanctus Cárolus cardinális archiepíscopus frequénti episcopórum provinciálium convéntu, in eádem basílica, quam illustrióri ópere restituéndam curáverat, solémnibus supplicatiónibus pie recóndidit.

℟. Pósui adjutórium su-

per poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo
S. Máximi Epíscopi.
Ex Homilia 59.
quæ est 2. de S. Eusebio.
Lectio VI.

BEATI Patris Venérii mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam pervenníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Noct., Homil. in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

Vesp. a Capit. de sequenti.

## DIE V. MAJI.

### IN FESTO S. GERUNTII EPISC., ET CONF.
Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit comm. S. Venerii, Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allel. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio. Exáudi. ut supra.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.
Lectio IV.

GERUNTII epíscopi máximæ virtútes, ut exémplis modísque áliis, ita præcípue claruére cum Bárbari Itáliam ingréssi, eam misérrime sevissiméque depopularéntur. Per eos immánes pópulos non solum omnis ecclesiástica disciplína corrúpta, et dissolúta, sed étiam in pulchérrima urbis ópera desævítum; urbs ipsa a fun-

daméntis pene díruta fuit. Quæ cum a Bárbaris fierent. Gerúntius semper acérrime óbstitit. Sicut enim prudéntia, et humilitáte sua recusáverat id munus, ita suscéptum constantíssime gessit, neque ulli umquam perversitáti témporum hominúmve succúbuit. Cum sanctíssime mortem obiísset, in basílica, sancti Simpliciáni sepúltus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lect. v., et vi. Ad sancti, cum suis ℟℟. ut supra in Festo sancti Maróli.

In tertio Nocturno, Homil. in Evang. Homo péregre. de Communi Conf. Pontif. 1. loco.

## DIE X. MAJI.

IN FESTO
S. ANTONINI EPISC., ET CONF.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

## DIE XI. MAJI.

IN FESTO S. MONICÆ VIDUÆ.

(Ex die 4. hujus mensis hodie assignato). Duplex.

Omnia ut in Breviario.

## DIE XIII. MAJI.

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS NOVOCOMENSIS.

In civitate, et suburbiis, locisque aliis, ubi nullum per anni tempora Dedicationis propriæ Ecclesiæ peculiare festum celebratur = Duplex 1. Classis cum Octava. Alibi sine Octava.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ, in Breviario.

## DIE XIV. MAJI.

IN FESTO
S. NATALIS EPISC., ET CONF.

Duplex.

Ant. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allel.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja.

℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas

n beáti Natális Confessóris ui, atque Pontíficis solennitáte deférimus: et qui ibi digne méruit famulári, jus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Commem. sancti Bonifacii Martyr. fit in Laudibus tantum.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Natalis, pastor ecclésiæ mediolanénsis, mirífica uit eruditiónis, et ingénii ama: ac præcípue de eo trálitur, quod græcas hebraicásque lítteras exímie didicísset. Doctrínæ autem, et ngénii sui vim étiam scriptis declarávit, quæ advérsus catholícæ fídei hostes édidit. Cœléstia porro mérita ejus multis post mortem, et in vita miráculis illustráta fuérunt. Relíquiæ córporis ejus n sancti Geórgii æde, quæ dícitur ad Palátium, summa cum veneratióne asservántur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Ex Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio.

Lectio v.

Beati Patris Natalis mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allel. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Quantis hic cæcis a via veritátis errántibus, et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum, et illum,

quo Christus viderétur, reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cœléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrínsecus vulnerátos, angélici oris arte, et oratiónum, ab infirmitáte curávit?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allel. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Nocturno. Homil. in Evang. Vigiláte. de Communi Conf. Pont. 2. loco.

Pro sancto Bonifacio Martyre.

Lectio IX.

BONIFACIUS, civis románus, quod cum Aglae nóbili matróna impudíce versátus esset, tanto illíus intemperántiæ dolóre captus est, ut pœniténtiæ causa se ad conquirénda, et sepeliénda mártyrum córpora contúlerit. Itaque relíctis peregrinatiónis sóciis, cum Tarsi multos propter christiánæ fídei professiónem variis torméntis cruciátos vidísset, illórum víncula osculátus, eos veheménter hortabátur, ut constánter supplícia perférrent, quod brevem labórem sempitérna réquies consecutúra sit. Comprehénsus ígitur, férreis úngulis excarnificátus est: cui étiam inter mánuum ungues, et carnem acúti cálami sunt infíxi, plumbúmque liquefáctum in os ejus infúsum. Quibus in cruciátibus ea vox tantum Bonifácii audiebátur: Grátias tibi ago, Dómine Jesu Christe, Fili Dei. ¶ Mox in ollam ferventis picis demísso cápite conjéctus est: unde cum inviolátus exísset, ira incénsus judex, eum secúri pércuti jubet. Quo témpore magnus terræmótus factus est, ita ut multi infidéles ad Christi Dómini fidem converteréntur. Eum sequénti die quæréntes sócii, cum martyrio afféctum cognovíssent, quingéntis sólidis ejus corpus redemérunt; et condítum unguéntis, linteísque involútum, Romam portándum curárunt. Quod factum cum ab Angelo Aglae matróna, quæ et ipsa pœni-

tens se piis opéribus addíxerat, cognovísset; pródiens óbviam sancto córpori, ecclésiam ejus nómine ædificávit, in qua corpus sepúltum est nonis júnii, cum ejus ánima prídie idus maji apud Tarsum Cilíciæ urbem migrásset in cœlum, Diocletiáno, et Maximiáno imperatóribus.

Te Deum.

In Laudibus fit commem. Octavæ Dedication. Ecclesiæ Cathedr., ubi facienda est.

Antiph. Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére: at ille festínans descéndit, et suscépit illum gáudens in domum suam. Hódie huic domui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, allelúja.

℟. Bene fundáta est supra firmam petram, allelúja.

Oratio.

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur.

Deinde pro comm. S Bonifácii. Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte, et vidéte mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis, et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allel. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus; ut qui beáti Bonifácii Mártyris tui solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, comm. præcedentis.

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allel.

℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Natális Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis.

Deinde Octavæ Dedicationis Ecclesiæ Cathedr. Ant. O quam metuéndus est locus iste! vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli, allelúja.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo, allel.

℟. In longitúdinem diérum, allelúja.

Oratio. Deus, qui nobis. ut supra in Laudibus.

## DIE XV. MAJI.

IN FESTO

S. PII QUINTI PAPÆ, ET CONF.

( Ex die 5. hujus mensis hodie assignato ). Duplex.

Omnia ut in Brev. cum commem. Octavæ Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis in Laudibus, et Vesperis, ubi facienda est.

Vesp. a Capit. de sequenti.

## DIE XVI. MAJI.

IN FESTO

S. JOANNIS NEPOMUCENI, MART.

Duplex.

Post Tempus Paschale reticetur Allelúja.

In primis Vesp., quando dicuntur, Ant. Interrogábat eum Rex. cum rel. de Laud.

Psalmus. Dixit Dóminus. cum rel. de Dom. et loco ult. Psalm. Laudáte Dóminum.

Capitulum. Eccli. 21. 28.

LABIA imprudéntium stulta narrábunt; verba autem prudéntium statéra ponderabúntur: in ore fatuórum cor illórum; et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus.

INVÍCTUS heros Núminis
Mergéndus unda flúminis,
Stat fortis in siléntio,
Dum fit sigílli méntio.

Hinc rex minátur fúnera;
Hinc tortor infert vúlnera;
Manus ligántur fúnibus,
Artus cremántur ígnibus.

Sed hæc Joánnes déspicit,
Nec regis iram réspicit:
Secréta non vult pándere,
Horret sigíllum frángere.

Stat mutus agnus ínnocens,
Nil de tegéndis próferens:
Stat: dumque rex nil élicit,
E ponte Justum déjicit.

Præceps ab alto stérnitur,
Undis profúndis mérgitur:
Mersum sed applaudéntibus
Undæ salútant ígnibus.

Stellæ natant in flúmine,
Illi paréntant lúmine;
Docétque cœli cláritas,
Quæ sit Joánnis cháritas.

Da, sempitérna Trínitas,
Ut in bono sit fírmitas:
Aut lacrymárum flúmina
Mergant cadéntum crímina.
Amen.

℣. Sacraméntum regis abscóndere bonum est, allel.
℟. Opera autem Dei reveláre honoríficum, allelúja.
Ad Magnificat, Antiph. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis Sacramentále siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti; da, ut ejus exémplo et intercessióne ori nostro custódiam ponéntes, Beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Pii Quinti. Ant. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cœléstia regna gloriósus migrávit, allelúja.
℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allel.
℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio.

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátum Pium Pontíficem máximum elígere dignátus es; fac nos ipsíus deféndi præsídiis, et ita tuis inhærére obséquiis; ut ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur.

Deinde fit comm. Octavæ Dedicat. Ant. O quam metuéndus est locus iste! vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli, all.
℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo, allelúja.
℟. In longitúdinem diérum, allelúja.

Oratio.

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui, et præsta, ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitat. (Temp. Paschali), Exúltent in Dómino Sancti, * Allel.
Psalmus. Veníte.

Hymnus.

In profúnda noctis umbra,
Et gravi calígine
Lustrat ædem flamma munda,
Sic jubénte Númine.

Nocte náscitur Joánnes,
Astra cœlo dévolant:
Nocte mérgitur Joánnes,
Astra funus ápparant.

Hinc cor ejus igne flagrans

Fortis urit cháritas:
Hinc ab ejus ore manans
Mira prodit suávitas.

Nunc amóre cor bonórum
Ad salútem pértrahit:
Nunc timóre cor malórum
A gehénna rétrahit.

Páuperes solátur ære,
Derelíctis súbvenit:
Non sinit justos jacére;
Damna famæ præpedit.

Per Joánnis sanctitatem,
O beáta Trínitas,
Méntibus da puritátem,
Corde regnet cháritas. Amen.

In primo Nocturno. Ant. Erit lumen Israel in igne, et sanctus ejus in flamma, allelúja.

Psalmi de Communi unius Martyris; qui Tempore Paschali dicuntur in quolibet Nocturno sub prima tantum illius Nocturni Antiph.

Antiph. Sanávit Dóminus púerum, et réddidit illum patri ejus, allelúja.

Ant. Puer autem erat minister in conspéctu Dómini ante fáciem sacerdótis, all.

℣. Sacraméntum regis abscóndere bonum est, allel.

℟. Opera autem Dei reveláre honoríficum, allelúja.

De libro Ecclesiástici.

Lectio I. Cap. 21. 26.

STULTUS a fenéstra respíciet in domum: vir autem erudítus foris stabit. Stultítia hóminis auscultáre per óstium: et prudens gravábitur contumélia. Lábia imprudéntium stulta narrábunt: verba autem prudéntium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum. Dum maledícit ímpius diábolum, maledícit ipse ánimam suam. Susúrro coinquinábit ánimam suam, et in ómnibus odiétur: et qui cum eo mánserit, odiósus erit. Tácitus, et sensátus honorábitur.

℟. Metuébat rex Joánnem, * Sciens eum virum justum, et sanctum, allelúja. ℣. Et custodiébat eum, et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. Sciens.

Lectio II. Cap. 28. 21.

FLAGÉLLI plaga livórem facit: plaga autem linguæ commínuet ossa. Multi cecidérunt in ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. Beátus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracúndiam illíus non transívit, et qui non attráxit jugum illíus, et in vínculis ejus non est ligátus. Jugum enim illíus, jugum férreum est: et vínculum illíus, vínculum æ-

reum est. Mors illíus, mors nequíssima: et útilis pótius inférnus, quam illa.

℟. Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus; in pace et in æquitáte ambulávit mecum: * Et multos avértit ab iniquitáte, allel. ℣. Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus. Et.

Lectio III.

PERSEVERANTIA illíus non permanébit, sed obtinébit vias injustórum: et in flamma sua non combúret justos. Qui relínquunt Deum, íncident in illam, et exardébit in illis, et non extinguétur, et immittétur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácito óstia, et seras. Aurum tuum et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frænos ori tuo rectos: et atténde, ne forte labáris in lingua, et cadas in conspéctu inimicórum insidiántium tibi, et sit casus tuus insanábilis in mortem.

℟. Sepívi aures meas spinis: * Et ori meo feci óstia et seras, allelúja. ℣. Beátus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indígnis se. Et ori. Glória. Et ori.

In secundo Noct. Ant. Non quæsívit a Dómino ducátum, neque a rege cáthedram honóris, allelúja.

Ant. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar, allelúja.

Ant. Amplius non vidébitis fáciem meam vos, per quos transívi prædicans regnum Dei, allelúja.

℣. Pone, Dómine, custódiam ori meo, allelúja.

℟. Et óstium círcumstántiæ lábiis meis, allelúja.

Lectio IV.

JOANNES Nepomúci Bohémiæ óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis, non sine futúræ sanctitátis præságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum ínfans in gravem morbum incidísset, beátæ Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitæ perículo evásit incólumis. Egrégia índole piáque institutióne cœléstibus indíciis obsequénte, inter sanctas religiosásque exercitatiónes pueritiam egit. Nam

ecclésiam frequénter adíre, ac sacerdótibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus, Pragæ vero gravióribus disciplínis excúltus, philosophíæ, theologíæ, sacrorúmque cánonum magistérium, et láuream eméruit. Sacerdótio initiátus, atque a sciéntia sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis extirpándis, et revocándis in viam salútis errántibus, eloquéntiæ, et pietátis úberes éderet fructus, inter canónicos metropolitánæ Ecclésiæ pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wenceslão Quarto prædicándi provínciam suscépit, eo succéssu, ut Joánnis suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille óbtulit dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

℟. Instans oratióni, et ministério verbi, hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino. * Quia erat vir bonus et plenus Spíritu sancto, allel. ℣. Et apponebátur multa turba Dómino. Quia.

Lectio v.

Regiis illum eleemósynis in páuperes erogándis præféctum Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem adscívit. Cum autem Wenceslâus ab officio institutóque decessísset, atque in vítia præceps abriperétur, piæ vero cónjugis obtestatiónes, et mónita graváte ferret; conténdere ausus est, ut in sacramentáli judício sacerdóti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei minístér blandítiis primum, torméntis deínde, et cárceris squallóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Furéntem tamen Wenceslái ánimum cum ab execrándo propósito nec humána, nec divína jura deterrérent; suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in concióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Bolesláviam proféctus, ad beátæ Vírginis imáginem

antíquo cultu célebrem, cœléste præsídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde vésperi reverténtem in pervigílio domínicæ Ascensiónis Rex e fenéstra conspicátus arcéssit: cumque vehementius urgéret, et próximam in aquis, si oblectári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constántia terróres minásque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii corónam est consecútus.

℟. Dispérsit, dedit paupéribus: * Justítia ejus manet in sæculum sæculi, allelúja.
℣. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem. Justítia.

Lectio VI

Sacrílegum fácinus clam patrátum, et mártyris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes, et discurréntes apparuérunt. Quamóbrem ex aréna postrídie mane corpus elátum, canónici deínde, regis iram nihil timéntes, in metropolitánam ecclésiam solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invícti sacerdótis memória miráculis, et máxima fidélium, eórum præcípue qui fama periclitántur, veneratióne crésceret; post annos demum ámplius tercéntos in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo támdiu jacúerat, lingua ejus incorrúpta, et vívida repérta est: quæ sexto post anno judícibus a sede Apostólica delegátis exhíbita, novo prodígio repénte intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpúreum commutávit. His ítaque aliísque signis rite probátis, Benedíctus Décimustértius Póntifex máximus die decimanóna mensis mártii anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo nono primum hunc sacramentális sigílli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, sanctórum mártyrum catálogo adscrípsit.

℟. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi, * Propter quod vigiláte, allelúja.
℣. Et ex vobis ipsis exúrgent

viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. Propter. Glória. Propter.

In tertio Nocturno. Ant. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas, allelúja.

Ant. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam.

Ant. Transívi per ígnem, et aquam, et eduxísti me in refrigérium.

℣. Dixi: Custódiam vias meas, allelúja.

℟. Ut non delínquam in lingua mea, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii Cap. 11 v. 2.

In illo témpore: Cum audísset Joánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos ex discípulis suis, ait illi: Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus? Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

In Evang. Homilia 6.

Dimíssis Joánnis discípulis, quid de eódem Joánne turbis dicat, audiámus. Quid exístis vidére in desérto? Arúndinem vento agitátam? Quod vidélicet, non asseréndo, sed negándo íntulit. Arúndinem quippe mox ut aura contígerit, in partem álteram infléctit. Et quid per arúndinem, nisi carnális ánimus designátur? qui mox ut favóre vel detractióne tángitur, in partem quámlibet inclinátur. Si enim ab humáno ore aura favóris fláverit, hilaréscit, et extóllitur; sed si inde ventus detractiónis erúperit, unde aura láudis veniébat, mox hunc quasi in partem álteram ad vim furóris inclínat.

℟. Cum corriperétur ab illo de ómnibus malis quæ fecit, rex adjécit et hoc: * Et inclúsit Joánnem in cárcere, allel. ℣. Labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Et.

Lectio viii.

Sed arúndo agitáta vento Joánnes non erat, quia hunc nec blandum grátia, nec cujúslibet detractiónis ira ásperum faciébat; nec próspera hunc erígere, nec advérsa nóverant inclináre. Arúndo ergo vento agitáta non erat, quem ab status sui rectitúdine nulla rerum varíetas inflectébat. Discámus ergo, fratres charíssimi, arúndinem vento agitátam non esse: solidémus ánimum

inter auras linguárum pósitum, stet inflexíbilis status mentis. Nulla nos detráctio ad iram próvocet, atque ad remissiónem inútilis grátiæ nullus favor inclínet. Non nos próspera élevent, non adversa pertúrbent: ut qui in soliditáte fídei fígimur, nequáquam rerum transeúntium mobilitáte moveámur.

℟. Réddidit Deus justo mercédem labórum suórum, et dedúxit illum in via mirábili: * Et fuit illi in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem, allel. ℣. Transvéxit illum per aquam nímiam, inimícos autem illíus demérsit. Et fuit. Glória Patri. Et fuit.

Lectio ix.

Adhuc autem de ejus expressióne subjúngitur: Sed quid exístis vidére in desérto? hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Camelórum enim pilis, ut scitis, vestítus Joánnes fuísse descríbitur. Et quid est dícere: Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt; nisi apérta senténtia demonstráre quia non cœlésti, sed terréno regi mílitant ii, qui pro Deo pérpeti áspera fúgiunt, et solis exterióribus déditi, præséntis vitæ mollítiem, et delectatiónem quærunt?

Te Deum.

## AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Interrogabat eum rex multis sermónibus: at ipse nihil illi respondébat, allel.

Psalmus. Dóminus regnávit. cum reliquis de Dominica.

Ant. Rex dixit: Ne abscóndas a me verbum, quod te intérrogo. Dixi: Secrétum meum mihi, secrétum meum mihi, allelúja.

Ant. Affirmábat rex, se dívitem, et beátum factúrum. Non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis, allel.

Ant. Tunc rex accénsus ira, in hunc super omnes crudélius desæviit, allelúja.

Ant. Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indígnis se, all.

Capitulum. Eccli. 21. 28.

Labia imprudéntium stulta narrábunt; verba autem prudéntium statéra ponderabúntur: in ore fatuórum cor illórum; et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus.

Vix in sepúlchro cónditur,
Signis Joánnes próditur:

Per crátium repágula
Intérmicant mirácula.

Hic ejus hostes íllico,
Pudóre mœsti público,
Ultríce dextra Núminis,
Pœnas repéndunt críminis.

Hic damna rerum flén-
tibus,
Famæve conqueréntibus,
Abdúcta res revértitur,
Ablàta fama rédditur.

Hic corpus ægritúdines,
Tempus vicissitúdines,
Perículum secúritas,
Mortem fugit mortálitas.

Hic viva lingua Mártyris,
Sed muta, voce sánguinis
Clamans, ut Abel, ímprobat,
Regíque crimen éxprobat.

Uníus, o da, Trínitas,
Triúmque simplex Unitas,
Ut, qui Joánni súpplicant,
Id ímpetrent quod flágitant.
Amen.

℣. Pósui ori meo custódiam, allelúja.

℟. Cum consísteret peccátor advérsum me, allelúja.

Ad Benedictus. Antiph. Quicúmque glorificáverit me, glorificábo eum: qui autem contémnunt me, erunt ignóbiles, allelúja.

Oratio.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti; da, ut ejus exémplo, et intercessióne ori nostro custódiam ponéntes, Beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Deinde fit comm. Octavæ Dedic. Ant. Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére: at ille festínans descéndit, et suscépit illum gáudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, allelúja.

℟. Bene fundáta est supra firmam petram, allelúja.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Rex dixit.

Capitul. Lábia imprudéntium stulta. ut supra.

℟ br. Sacraméntum regis abscóndere bonum est, Allel., allel. Sacraméntum.

℣. Opera autem Dei reveláre honoríficum. Allel., allel. Glória Patri. Sacraméntum. ℣. Pone, Dómine, custódiam ori meo, allelúja. ℟. Et óstium circumstántiæ lábiis meis, allelúja.

Ad Sextam, Antiphona. Affirmábat Rex.

Capitulum. Eccli. 28. 28.

Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácito óstia, et seras.

℟. br. Pone, Dómine, custódiam ori meo, * Allelúja, allelúja. Pone. ℣. Et óstium circumstántiæ lábiis meis. Allel., allel. Glória Patri. Pone, Dómine.

℣. Dixi: Custódiam vias meas, allelúja. ℟. Ut non delínquam in lingua mea, allelúja.

Ad Nonam, Antiphona. Beátus.

Capitulum. Eccli. 28. 29.

Aurum tuum, et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frænos ori tuo rectos: et atténde ne forte labáris in lingua.

℟. br. Dixi: Custódiam vias meas, * Allelúja, allelúja. Dixi. ℣. Ut non delínquam in lingua mea. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Dixi: Custódiam.

℣. Pósui ori meo custódiam, allelúja. ℟. Cum consísteret peccátor advérsum me, allelúja.

In secundis Vesp., Ant., et Psalmi ut in primis; et loco ultimi,

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino,* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

A Capitulo fit de S. Paschali Baylon. Quando au-

tem Vesperæ dicuntur integræ de S. Joanne Nepomuceno, tunc ut sequitur:

Capitulum. Eccli. 21. 28

LABIA imprudéntium stulta narrábunt; verba autem prudéntium statéra ponderabúntur: in ore fatuórum cor illórum; et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus.

JAM faces lictor ferat, et minántem
Jam ferox ensem, rabidúmque tortis
Vínculis ferrum, sacra ni sacérdos
Abdita pandat.

Séntiet vires, animæque magnæ
Pródigum pectus: violéntus ira
Non quatit recti sólida tenácem
Mente satélles.

En ruit præceps tumulátus unda
Martyr, et fluctu plácido siléntem
Náufragus linguam melióris ævi
Servat in usum.

At superjéctæ fácili natántes
Amne discúrrunt, rutilántque circa
Mártyrem flammæ: bene gesta pláudens
Ornat Olympus.

Ornat: et linguam, rósei instar ignis,
Vívidam servans, et adhuc rubéntem,
Indicat quænam fúerit tacéntis
Grátia linguæ.

Sit decus Patri, Genitóque: Sanctum
Spíritum laudent, ab utroque puris
Qui calet flammis, sine fine psallens
Orbis utérque. Amen.

℣. Pósui ori meo custódiam, allelúja.

℟. Cum consísteret peccátor advérsum me, allelúja.

Ad Magnificat. Antiph. In conspéctu poténtium admirábilis ero: fácies príncipum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, allelúja.

Oratio Deus, qui ob invíctum, ut supra in Laudib.

Pro commemor. Octavæ Dedicationis Ecclesiæ, Ant. O quam metuéndus est locus iste! vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli, allelúja.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo, allel.

℟. In longitúdinem diérum, allelúja.

Oratio ut supra in Laud.

## DIE XX. MAJI.

Octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis novocomensis.

Duplex.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

In primo Nocturno, Lect. ut in die Festo.

In secundo Noct., Lect. de die Octava.

In tertio Noct., Homilia ex 2. die infra Oct.

In secundis Vesp. commemoratio sequentis.

## DIE XXI. MAJI.

In festo S. Felicis a Cantalicio Conf.

Semiduplex.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Ad Magnificat, Antiph. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, all. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, all.

Oratio.

Fac nos, Dómine Jesu, in simplicitáte, et innocéntia cordis nostri ambuláre: quarum amóre de sinu Matris inter beáti Felícis Confessóris tui brachia descendísti: Qui vivis.

Deinde, ubi non agitur Octava Dedic., fit commem. S. Bernardini Senensis. Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allel. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio.

Dómine Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti; ejus, quæsumus, méritis, et intercessióne, Spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde: Qui vivis, et regnas.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Felix a Cantalício in Sabínis humílibus, sed piis paréntibus natus, a púero pascéndis grégibus, mox et agro coléndo addíctus, multo impénsius rerum cœléstium meditatióne ánimum nutríre, et corpus assíduis vigíliis, ac jejúniis domáre cœpit, eremíticam agens vitam pótius, quam rústicam. Ferventióre autem in Deum pietáte incénsus, cum non posset quotídie, ut optábat,

sacris mystériis interésse, grege ad loca solitária compúlso, ipse ante crucem árborum cortícibus incísam diu oráre, seque ácriter flagelláre consuéverat; sed et aliquándo glebas in agro vértere, simúlque sacris in templo adésse visus est. Alias inter arándum furéntibus, quos júnxerat, indómitis juvéncis, humi stratus, et áratro superdúcto plane proscindéndus, laceráta dumtáxat veste, surréxit illæsus. Quo perículo, ut ad tutiórem reguláris disciplínæ palæstram vocánti jamprídem Deo paréret, admónitus, rústica supelléctili paupéribus distríbui jussa, ad fratres minóres, quos capuccínos vocant, própere se cóntulit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam, allel. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

## Lectio v.

Adhuc tyro, necdum vota solémnia proféssus, religiósæ perfectionis ápicem jam attigísse videbátur. Obediéntiæ sédulus cultor, ad præcipiéntis non modo verbum, sed étiam nutum præsto erat: seque cœnóbii juméntum díctitans, vilíssima quæque ministéria semper arrípuit, ac ludíbria, et contumélias hílari vultu excipiébat. Paupertátis quam esset studiósus, illústri documénto Deus ipse declarávit. Ostiátim enim per vicos, et pláteas aléndis frátribus mendícans (quod ille munus per annos quadragínta nudis fere semper pédibus obívit) cum die quadam inusitáto póndere se ópprimi sentíret, mánticam scrutátus, injéctum clam nummum deprehéndit: quo projécto, nec sine indignatióne proculcáto, álacer, et levis inde ábiit. Castitátem, quam usque ad obítum servávit illibátam, sanctus córpore, et spíritu a Paulo Quínto proptérea appellátus, vígili oculórum custódia, et voluntário córporis cruciátu communívit. Aspérrimo flagéllo se quotídie cruéntans, ac férreo cilício constríctus, septem étiam Urbis basílicas idéntidem invísens jejúnia órdinis inédia quandóque cumulávit. Lectus ejus dolóris pótius quam quiétis erat: brevem quippe somnum fle-

xis nuda super tábula génibus, ac fasce sarmentórum cápiti suppósito, carpébat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allel. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio vi.

Vitæ austeritáte sibi asper, áliis charus, acceptúsque, sanctis præsértim Cárolo, et Philíppo Nério simplicitáte, atque innocéntia semper fuit. In oratióne pernóctans dulcíssimam frequénter éxtasim est passus: et aliquándo in ulnis suis reclinátum a Vírgine Matre púerum Jesum suavíssime compléctí méruit. Prophetíæ grátia, et miraculórum clarus demórtuum étiam fílium matri vivum restítuit. Méritis tandem in bona senectúte cumulátus, secúnda (ut prædíxerat) féria Pentecóstes, ad cœléstem Pátriam, Deípara invitánte, lætus ábiit. Ejus corpus in Ecclésia sui órdinis summa urbis veneratióne cólitur, Dómino crebris miráculis servi sui sanctitátem illustránte, quem proptérea Urbánus Papa Octávus beatórum, Clemens vero Undécimus sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus, allel. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli, et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni epíscopi.

Serm. 9. de verb. Dom.

Omnia sæva, et immánia prorsus facília, et prope nulla éfficit amor. Quanto ergo cértius, ac facílius ad veram beatitúdinem cháritas facit, quod ad misériam, quantum potuit, cupíditas, fecit? Quam fácile tolerátur quælibet advérsitas temporális, ut ætérna

pæna vitétur, et ætérna réquies comparétur? Non immérito ille vas electiónis cum ingénti lætítia dixit: Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad supervéntúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Ecce unde illud jugum suáve est, et sárcina levis, et si angústa est páucis eligéntibus, fácilis tamen ómnibus diligéntibus. Dixit Psalmísta: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allel. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Sed quæ dura sunt laborántibus, eísdem ipsis mitéscunt amántibus. Propter quod ita divínæ pietátis dispensatióne actum est, ut intérior homo, qui renovátur de die in diem, non adhuc sub lege pósitus, sed jam sub grátia exonerátus sárcinis innumerabílium observatiónum, quod erat revera grave jugum, sed duræ cervíci conveniénter impósitum, facilitáte símplicis fídei, et bonæ spei, et sanctæ charitátis, quidquid molestiárum exterióri hómini forínsecus intulísset ille princeps, qui missus est foras, interióri gáudio leve fíeret.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória. Et vos.

Lectio IX.

Nihil enim tam fácile est bonæ voluntáti, quam ipsa sibi, et hæc súfficit Deo. Quantúmlibet ergo sæviat iste mundus, veríssime Angeli, nato in carne Dómino, clamavérunt: Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis: quia ejus, qui natus erat, suáve jugum est, et sárcina levis. Et sicut dicit Apóstolus: Fidélis Deus, qui nos non sinit tentári supra id, quod póssumus ferre: sed facit cum tentatióne étiam éxitum, ut possímus sustinére.

Te Deum.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XXII. MAJI.

In festo S. Eusebii Episc. comensis, et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Felicis a Cantalicio. Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allel.

℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja. Oratio.

Fac nos, Dómine Jesu, in simplicitáte, et innocéntia cordis nostri ambuláre: quarum amóre de sinu Matris inter beáti Felícis Confessóris tui bráchia descendísti: Qui vivis.

In primo Nocturno., Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno Lect. de Communi Confess. Pontif. 1. loco.

In Vesp. comm. sequentis.

## DIE XXIII. MAJI.

In festo S. Ubaldi Episc., et Conf.

(Ex die 16. hujus mensis hodie assignato). Semidupl.

In Hymno. Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Reliqua ut in Breviario.

## DIE XXIV. MAJI.

In festo S. Bernardini Senensis Conf.

(Ex die 20. hujus mensis hodie assignato pro locis, ubi agitur Octava Dedicat. Ecclesiæ Cathedr.) Semid.

In Hymno. Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Reliqua ut in Breviario.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XXV. MAJI.

In festo S. Dionysii Episc., et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Bernardini. ubi facienda est. Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allel.

℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio.

Dómine Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti; ejus, quæsumus, méritis, et intercessióne, Spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde.

Deinde S. Urbani Papæ, et Mart. Antiph. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allel. ℣. Sancti, et justi, in Dómino gaudéte, allel. ℟. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúja.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Urbáni Martyris tui, atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Dionysius charitáte, benignitáte, patiéntia, misericórdia, aliísque pastorálibus virtútibus, et vitæ innocéntia usque ádeo prælúxit, ut Apostolórum símilis putarétur. Ecclésiam mediolanénsem sibi commíssam miríﬁce gubernávit, catholicámque ﬁdem religióse deféndit. Quamóbrem Constántius Imperator, ariánæ causæ patrónus, non déstitit eum exagitáre veheménter.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Accersítis ígitur Mediolánum úndique epíscopis, qui ab Occidénte quamplúrimi convenérunt, cum beátus Dionysius públice in eo convéntu causam ariánam oppugnáret: et Athanásium, contra quem ab Ariánis agebátur, damnári nullo modo debére censéret: tandem in exílium ab eo pulsus est. Ubi cum aliquámdiu fuísset, demum restitútus, votis exégit, ut in exílio (inquit sanctus Ambrósius) vitam póneret: ne regréssus, confúsa institútis, et usu inﬁdélium stúdia plebis, aut cleri inveníret; sicque in exílii locis proprióre Martyribus título vitam exhalávit. Ejus corpus Mediolánum ad beátum Ambrósium ab Aurélio epíscopo translátum est: cui piæ actióni offícium quoque sancti Basílii Magni accessísse tráditur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allel. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo S. Máximi epíscopi.
Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusébio vercellensi.
Lectio vi.

Ad sancti, ac beatíssimi Patris nostri Dionysii, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est filius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟ Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allel. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi 1. loco.

Pro S. Urbano Papa, et Mart
Lectio ix.

Urbanus Románus, Alexándro Sevéro imperatóre, doctrína, et vitæ sanctitáte multos ad Christi fidem convértit: in illis Valeriánum, beátæ Cæcíliæ sponsum, et Tibúrtium Valeriáni fratrem, qui póstea martyrium forti ánimo subiérunt. Hic de bonis Ecclésiæ attribútis scripsit his verbis: Ipsæ res fidélium, quæ Dómino offerúntur, non debent in álios usus, quam ecclesiásticos, et Christianórum fratrum, vel indigéntium convérti; quia vota sunt fidélium, et prétia peccatórum, ac patrimónia páuperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quátuor: ac martyrio coronátus, sepúltus est in cœmetério Prætextáti, octávo kaléndas júnii. Ordinatiónibus quinque hábitis mense decémbri, creávit presbyteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca octo.

Te Deum.

In Laudibus fit commem. S. Urbani Papæ, et Mart.

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte, et vidéte mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus, in die solemnitátis, et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allel. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus; ut qui beáti Urbáni Mártyris tui, atque

Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dómin.

## DIE XXVII. MAJI.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRGINIS.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

## DIE XXVIII. MAJI.

IN FESTO S. SENATORIS EPISC., ET CONF.

Duplex.

Oratio. Exáudi, quæsumus.

Et fit commem. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allel.

Oratio

DEUS, vírginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cœléstibus donis decorásti; da, ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte, et charitáte imitémur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

SENATOR, mediolanénsis, fuit præstánti ingénio, rerum divinárum sciéntia, et eloquéntia ádeo excúltus, ut prophetárum res involútas, et laténtes interpretándo explicúerit. Cum adhuc esset illíus Ecclésiæ présbyter, ob virtútum, atque eruditiónis famam, nómine sancti Leónis Magni legatiónem óbiit ad Theodósium Secúndum imperatórem; cujus múneris collégas hábuit beátum Abúndium epíscopum coménsem, Astérium, et Basilíum. Horum ópera, et stúdio coáctum est concílium Constantinópoli; idémque Abúndius una cum Senatóre intérfuit provinciáli Synodo, quam sanctus Eusébius indíxerat Medioláni.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

MÓRTUO autem beáto Benígno, creátus archiepíscopus, eo in múnere vi-

gilantíssimus, nihil non egit, ut et verbo et exémplo Ecclésiæ commíssæ prodésset. Qua sancte administráta, méritis cumulátus, obdormívit in Dómino, a sancto Ennódio ticinénsi epíscopo commendátus. Ejus corpus honoríﬁce custodítur in æde sanctæ mártyris Euphémiæ, quam ille prope patérnam domum ædiﬁcándam curáverat, legáta étiam pecúniæ summa in páuperes quotánnis erogánda.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allel. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Ex Homilia 59.

quæ est 2. de S. Eusebio

Lectio vi.

Beati Patris Senatóris mérita jam in tuto pósita secúri magniﬁcémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi unius cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allel. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Nocturno. Homil. in Evang. Vigiláte. de Communi Conf. Pont. 2. loco.

## DIE XXX. MAJI.

In festo

B. Ferdinandi Castellæ, et Legionis regis, Confess.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beáto Confessóri tuo Ferdinándo præliári prælia tua, et fídei inimícos superáre dedísti: concéde, ut ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis, et córporis liberémur. Per Dóminum.

Et ﬁt commem. S. Felicis Papæ, et Martyris. Antiph. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti, et justi, in Dómino gaudéte, allelúja.

℟. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúja.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Felícis Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

FERDINANDUS Tértius, Castellæ, et Legiónis rex, cui Sancti cognoméntum jam inde a quátuor sæculis ecclesiasticórum, et sæculárium consénsus dedére, tantum prudéntiæ adoléscens adhuc spécimen præbuit, ut Berengária mater, Castéllæ regína, a qua persáncte educátus fúerat, abdicátum a se regnum in fílium transtúlerit. In eo, adjúnctis regni curis, regiæ virtútes emicuére: magnanímitas, cleméntia, justítia, et præ cæteris cathólicæ fídei zelus, ejúsque religiósi cultus tuéndi, ac propagándi ardens stúdium. Id præstitit inprimis hærétícos insectándo, quos núllibi regnórum suórum consístere passus, própriis ipse mánibus ligna comburéndis damnátis ad rogum advehébat. Præstitit ínsuper in erigéndis, dotándis, et consecrándis christiáno ritu cordubénsi, giennénsi, hispalénsi, et aliárum urbium ecclésiis, ex Maurico ereptárum jugo, simúlque in instaurándis primáriis templis, toletáno, burgénsi, et áliis pia, et régia munificéntia.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam, allel. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

INTER hæc, per Castéllæ, et Legiónis regnum, in quo patri Alfónso succésserat, colléctis magnis exercítibus, ánnuas expeditiónes contra Saracénos christiáni nóminis hostes suscépit. In quibus ut semper vínceret, præcípui exércitus fuére preces piíssimi regis ad Deum fusæ, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiáret, flagris in se sæviébat, atque áspero cilício muniébat cor-

pus: sicque insígnes contra ingéntes Maurórum ácies victórias reportávit, et plures urbes christiáno cúltui, imperióque restítuit: et conquisítis Giénni, Córdubæ, et Múrtiæ regnis, ac Granaténsi vectigáli facto, ad expugnándam Híspalim, primáriam Bœticæ urbem, hortánte in visióne (ut tradítum est) beáto Isidóro, olim illíus urbis Epíscopo, victrícia signa tránstulit. In ea obsidióne, ut fertur, præséntem divínam opem hábuit; nam férream caténam, quæ super Bœtim transvérsim exténsa Mahumetánis pro repágulo erat, coórto validióri vento, una ex návibus régiis, regis jussu eo deláta, tanto ímpetu fregit, ut lóngius prætervécta, pontem quóque lígneum, et símul spes Maurórum abrúperit, et ad deditiónem coégerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allel. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio vi.

Tot victórias beátæ Vírginis Mariæ patrocínio ferébat accéptas; cujus imáginem secum in castris habens, peculiári cultu prosequebátur. Capta Híspali, prima religiónis cura fuit; nam templum Maurórum expiátum, et christianórum dedicátum sacris, insígni archiepiscopátu, et honestíssimo canonicórum, et dignitátum collégio, regia, et religiósa liberalitáte exornávit. Alia deínde in urbe templa, et cœnóbia eréxit: inter quæ pietátis offícia, dum trajícere in Africam parat, Mahumetánum in ea impérium eversúrus, ad cœléstem régiam vocátur. In extrémo vitæ agóne sacram eucharistíam pro Viático allátam, fune ad collum alligáto, et humi stratus cum lácrymis ubértim fúsis adórans, eáque dignis reveréntiæ, humilitátis, et cathólicæ fídei obtestatiónibus accépta, obdormívit in Dómino. Jacet ejus corpus, incorrúptum adhuc post quátuor sæcula, in templo máximo hispalénsi, honorificentíssimo inclúsum sepulchro.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:

* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus, allel. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. cap. 54. in Luc. 12.

Pusíllum gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris número reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat: quia vidélicet Ecclésiam suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte perveníre. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eídem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promíttit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allel. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus hujus vitæ necessária desint: quin étiam possésa propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis, semel pro Dómino suis ómnibus sprétis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens: Argéntum, aut aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis: quóniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infírmos.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes

in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória. Et vos.

Pro S. Felice Papa, et Martyre. Lectio IX.

Felix románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre, præfuit Ecclésiæ. Constítuit, ut Missa supra memórias, et sepúlchra mártyrum celebrarétur. Qui cum mense decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset presbyteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca quinque, martyrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica, quam a se ædificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

Te Deum.

In Laudibus pro comm. S. Felicis Papæ, et Mart. Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte, et vidéte mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis, et lætítiæ, allel., all.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus; et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Felícis Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

## FESTA JUNII.

### DIE III.

In festo S. Adalberti Episc. comens., et Confess.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Noct., Lect. Beáti Patris. de Communi Conf. Pontif. 2. loco.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Homo péregre. de eodem Communi 1. loco.

### DIE V. JUNII.

In festo S. Eutychii Episc. comens., et Confess.

Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit commem. S. Francisci Caracciolo. Antiphona. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allel. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio.

Deus, qui beátum Francíscum novi órdinis institutórem, orándi stúdio, et pœniténtiæ amóre decorásti; da fámulis tuis in ejus imitatióne ita profícere, ut semper orántes, et corpus in servitútem redigéntes ad cœléstem glóriam perveníre mereántur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eutychius epíscopus coménsis, octávus a sancto Felíce, a paréntibus sancte, et pie educátus, in morum integritáte, et doctrínæ laude ádeo profécit, ut Eusébio, et ipso epíscopo coménsi, vitæ múnere sanctíssime perfúncto, summo omnium consénsu in episcopátu sit suffectus. Quæ dígnitas illi majóris in omnium virtútum itínere progressiónis faciéndæ fuit occásio: síquidem ad præcláras illas virtútes, quibus ánimum suum, dum privátam vitam ágeret, exornárat, eas étiam laudes, et ornaménta, quæ in Christi Ecclésiæ Pastóribus requirúntur, aggregáre studiosíssime conténdit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Cum autem Eutychius ad episcopátum máxime pertinére cognósceret, pro grege sibi commísso Deum indesinénter interpelláre, ut id libérius fáceret, árduam ejus montis, cui étiam nunc impósita ab ejus nómine crux ingens cérnitur, ex urbe solitúdinem petébat: ubi specu quodam, sive húmili cella inclúsus, quasi in spécula pro pátria, ovibúsque sibi créditis excúbias agens, solus cum Deo versabátur, jejúniis, oratiónibus, et lácrymis summo omnium pastóri placére sátagens: nec inde discedébat, nisi cum necessáriam, vel opportúnam Ecclésiæ præséntiam suam esse norat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allel. ℣. Invéni David

servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

His ígitur sanctíssimis vitæ institútis cum Eutychius coménsem Ecclésiam complúres annos rexísset, multis in rebus ejus sanctitáte divínitus declaráta, in præclára illa sua solitúdine obdormívit in Dómino. Ejus corpus, cum de eo lis, et conténtio inter cives orta esset, et a multis peterétur, placuit pláustro impóni, et juvéncos indómitos alligári, ut quo traherétur ab ipsis, ibi tamquam in divínitus sibi designáto loco conquiésceret; qui præcípiti cursu in templum sancti Geórgii devenérunt: ubi post altáre majus in marmóreo sepúlchro cónditum, religióse a Christifidélibus cólitur: in quo sepúlchro inscúlptum est pláustri, et juvencórum corpus vehéntium præclárum testimónium.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allel. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi Conf. Pontif. 2. loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE VI. JUNII.

IN FESTO S. EUSTORGII II. EPISC. COMENS., ET CONFESS.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Eutychii. Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allel. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Eutychii Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In primo Nocturno. Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Eustórgius Secúndus, magno vir ingénio, rerum divinárum stúdiis totus déditus, Lauréntio in archiepiscopátu mediolanénsi succédens, ad Ecclésiam sibi commíssam óptime geréndam eas áttulit virtútes, quæ cum religiónis offíciis conjúnctæ salutáres fructus pepeŕerunt. Fuit enim pietátis, æquitátis, et virtútum pastorálium cultor egrégius.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

Floriánum, e patre ímpio natum, ab última Pannónia Mediolánum profectum, domi excépit, fide instrúxit, baptizávit, lítteris erudívit, diáconum fecit: qui deínceps Ecclésiæ hispalénsis epíscopus sanctitátis laude flóruit. Patrimónium vero Ecclésiæ deféndit, et auxit: baptistérium mirífico ópere ædificávit. Alia multa egit, in quibus spectáta ejus sanctitáte, in númerum confessórum relátus est. Quiévit in Dómino octávo idus junii. Sepúltus est in basílica sancti Lauréntii.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allel. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi epíscopi.

Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio vercellensi.

Lectio VI.

Ad sancti, ac beatíssimi Patris nostri Eustórgii, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allel. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mun-

et pervénit ad cœléstia
na. Ipse. Glória Patri.
e.
ı tertio Noct., Homilia
Evang. Homo péregre.
Communi 1. loco.

'esperæ a Capitulo de
uenti, commem. præce-
ıtis.

## DIE VII. JUNII.

In festo
S. Norberti Episc., et Conf.

(Ex hesterna die hodie assignato). Duplex.

Omnia ut in Breviario.

# OFFICIUM
## DE SANCTISSIMO
# ;ORPORE CHRISTI.

Ex Indulto Clementis Papæ XI. recitandum sub ritu ;miduplici omnibus Feriis quintis, non impeditis Festo ovem Lectionum, etiam translato, excepto Adventu, uadragesima, Vigiliis, ac etiam Feria illa, in qua se-ındum Rubricas Officium Dominicæ aliquando erit ›ponendum, juxta S. R. C. Decretum 20. martii 1706.

Si in Feria iv. vel vi. oc-ırrerit aliquod Festum ix. ect., Vesperæ ordinandæ unt juxta Rubricam /de ıncurrentia Officii.

Si occurrat aliquod Fest. nplex fit de eo commem.

In primis Vesperis.

Antiph. Sacérdos in ætér-ım * Christus Dóminus se-ındum órdinem Melchíse-:ch, panem, et vinum ób-lit, allelúja.

Psalmus 109.

Dixit Dóminus Dómino eo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos os, * scabéllum pedum órum.

Virgam virtútis tuæ emít-t Dóminus ex Sion: * do-ináre in médio inimicó-ım tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Ant. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem, et vinum óbtulit, allelúja.

Ant. Miserátor Dóminus * escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium, allelúja.

Psalmus 110.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Confêssio, et magnificéntia opus ejus: * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors, et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hæreditátem Géntium: * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte, et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium, allelúja.

Ant. Cálicem salutáris * accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis, allelúja.

Psalmus 115.

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Cálicem salutáris accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis, allelúja.

Ant. Sicut novéllæ olivá-

rum, * Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini, all.

Psalmus 127.

Beati omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo: * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Sicut novéllæ olivárum, Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini, all.

Ant. Qui pacem ponit * fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus, all.

Psalmus 147.

Lauda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni: * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Qui pacem ponit fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus, all.

Capitulum. 1. Cor. 11. e

Fratres, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus.

Pange, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,

Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit Géntium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro cláusit órdine.
In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit:
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.
Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui:
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.
Genitóri, Genitóque
Laus, et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit, et benedíctio:
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis, allelúja.
℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúja.

Ad Magnificat, Antiph.

O quam suávis est, Dómine, spíritus tuus, qui, ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes! all.

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti; tríbue, quæsumus, ita nos córporis, et sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis, et regnas.

Et fit commem. de Cruce, si facienda est. Antiphona.

Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accínctus est poténtia, surréxit die tértia, allelúja.

℣. Dícite in natiónibus, allelúja. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúja.

Oratio.

Deus, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem: concéde nobis fámulis tuis; ut resurrectió-

nis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Completorium, et per Horas, in fine Hymnorum, dícitur, Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine. Et in ℟. br. In manus tuas. duplicatur Allelúja.

Ad Matutinum, Invitat. Christum Regem adorémus dominántem Géntibus: * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem, allelúja.

Psalmus. Veníte, exultémus.

Hymnus.

Sacris solémniis juncta sint
gáudia,
Et ex præcórdiis sonent præcónia:
Recédant vétera, nova sint
ómnia,
Corda, voces, et ópera.
Noctis recólitur cœna novíssima,
Qua Christus créditur agnum, et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta pátribus.
Post agnum typicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum
discípulis,
Sic totum ómnibus, quod
totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus córporis
férculum,
Dedit et trístibus sánguinis
póculum,
Dicens, Accípite quod trado
vásculum,
Omnes ex eo bíbite.
Sic sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis presbyteris, quibus sic
cóngruit,
Ut sumant, et dent céteris.
Panis Angélicus fit panis
hóminum,
Dat panis cœlicus figúris términum:
O res mirábilis! mandúcat
Dóminum
Pauper, servus, et húmilis.
Te, Trina Déitas, únaque
póscimus,
Sic nos tu vísita, sicut te
cólimus,
Per tuas sémitas duc nos
quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas. Amen.

In primo Nocturno, Ant. Fructum salutíferum.

Tempore Paschali Psalmi dicuntur in quolibet Nocturno sub prima Antiphona illius Nocturni, prout etiam infra disponuntur.

### Psalmus 1.

Beatus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * et iter impiórum períbit.

### Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

### Psalmus 15.

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, et cálicis mei: * tu es, qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper, et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore, allelúja.

℣. Panem cœli dedit eis, allelúja. ℟. Panem Angelórum manducávit homo, all. Pater noster. Absol. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domnè, benedícere. Bened. Benedictióne perpétua.

Lectiones primi Nocturni semper leguntur de Scriptura occurrente, cum Responsoriis positis infra.

℟. I. Immolábit hœdum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ: * Et edent carnes, et ázymos panes, allelúja.

℣. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis, et veritátis. Et edent.

Ben. Unigénitus Dei Fílius.

℟. II. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus: * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum, all.

℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste est.

Bened. Spíritus sancti grátia.

℟. III. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem: qui surgens comédit, et bibit: * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei, allelúja.

℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et ambulávit. Glória Patri. Et.

In secundo Noct., Ant. Memor sit Dóminus.

Psalmus 19.

Exaudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum: * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo: * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: * nos autem surréximus, et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem: * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Psalmus 22.

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam etsi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Psalmus 41.

Quemadmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit anima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei:

In voce exultatiónis, et confessiónis, * sonus epuléntis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat, allelúja.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúja. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúja. Pater noster.

Absol. Ipsíus píetas. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Deus Pater omnípotens.

Lectiones secundi Nocturni ponuntur inferius post Officium, ordine mensium, cum suis Responsoriis.

In tertio Nocturno, Ant. Introíbo.

Psalmus 42.

JUDICA me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam, et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei; * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

### Psalmus 80.

Exultate Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum; * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israel est: * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti: * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te; * Israel, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti: * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam: * et Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum: * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me: * Israel si in viis meis ambulásset:

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem: * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei: * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti: * et de petra, melle saturávit eos.

### Psalmus 83.

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea

* exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine, virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus: * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus: * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ant. Introíbo ad altáre Dei: sumam Christum, qui rénovat juventútem meam, allelúja.

℣. Edúcas panem de terra, allelúja.

℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, all. Pater noster. Absol. A vínculis. ℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Evangélica léctio.

Lectiones tertii Nocturni cum suis Responsoriis ponuntur inferius post Lectiones secundi Nocturni, ordine mensium.

## AD LAUDES,
et per Horas, Antiph.

SAPIÉNTIA ædificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam, allel.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis ut in Dominica.

Ant. Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et panem de cœlo præstitísti eis, allelúja. Ant. Pinguis est panis Christi, et præbébit delícias régibus, allel. Ant. Sacerdótes sancti incénsum, et panes ófferunt Deo, allelúja. Ant. Vincénti dabo manna abscónditum, et nomen novum, allelúja.

Capitulum. 1. Cor. 11. c

FRATRES, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus.

VERBUM supérnum pródiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit, et sánguinem;
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutáris Hóstia,
Quæ cœli pandis óstium:
Bella prémunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

Uni, trinóque Dómino
Sit sempitérna glória:
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria. Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúja.

℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúja.

Ad Benedictus, Antiph. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allel.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti; tríbue, quæsumus, ita nos córporis, et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis, et regnas cum Deo Patre.

Et fit commem. de Cruce, Ant. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúja, allelúja.

℣. et Oratio ut supra. p. IV*.

Ad Primam, ℟. br. Christe Fili Dei. ℣. Qui natus es de María Vírgine. duplicatur Allelúja.

Ad Tertiam, Antiphona. Angelórum esca.

Capit. Frátres, Ego enim accépi. ut supra.

℟. br. Panem cœli dedit eis, * Allelúja, allelúja. Panem cœli. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúja, allel. Glória Pa-

tri. Panem. ℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúja. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúja.

Ad Sextam, Antiphona. Pinguis est panis.

Capitulum. 1. Cor. 11. f

Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. br. Cibávit illos ex ádipe fruménti, * Allelúja, all. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Cibávit. ℣. Edúcas panem de terra, allel. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allel.

Ad Nonam, Antiphona. Vincénti.

Capitulum. 1. Cor. 11. f

Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne; reus erit córporis, et sánguinis Dómini.

℟. br. Edúcas panem de terra, * Allelúja, allelúja. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúja, allel. Glória Patri. Edúcas. ℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúja. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúja.

In secundis Vesp. omnia dicuntur sicut in primis.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis, allelúja. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúja.

Ad Magnificat, Antiph. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur: recólitur memória passiónis ejus: mens implétur grátia: et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúja.

Oratio ut supra in Laud. Et fit commem. de Cruce, si facienda est, cum Ant., ℣., et Oratione, ut supra in primis Vesperis.

## MENSE APRILI.

In secundo Nocturno.

Sermo
S. Joánnis Chrysóstomi.
Ex Hom. 60. ad popul. Ant.

Lectio iv.

Quóniam Verbum dicit: Hoc est corpus meum: et assentiámur, et credámus, et intellectuálibus ipsum óculis intueámur. Nihil enim sensíbile nobis Christus trádidit: sed sensibílibus quidem rebus, at ómnia intelligibília. Itidem et in baptísmate: per rem, nempe sensíbilem aquam, donum confértur: intelligíbile vero quod perfícitur, generátio, et renovátio. Si enim incorpóreus esses, nuda, et incorpórea tibi dedísset ipse

dona: sed quóniam ánima córpori consérta est, in sensibílibus intelligibília tibi præbet. Quot nunc dicunt: Vellem ipsíus formam aspícere, figúram, vestiménta, calceaménta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum mandúcas. Et tu quidem vestiménta cupis vidére: ipse vero tibi concédit non tantum vidére, verum et manducáre, et tángere, et intra te súmere.

℞. Cœnántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait: * Accípite, et comédite: hoc est corpus meum, allelúja.

℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? Accípite.

## Lectio v.

Igitur accédat nemo cum náusea, nemo resolútus, omnes accénsi, omnes fervéntes, et excitáti. Nam si Judæi stantes, et calceaménta in pédibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinatióne comedébant: te multo magis opórtet esse solértem. Nam illi quidem in Palæstínam erant profectúri, et proptérea viatórum figúram habébant: tu vero debes in cœlum migráre. Quaprópter in ómnibus opórtet te vigiláre: nec enim parva pœna propónitur indígne suméntibus. Cógita quantum advérsus proditórem indignáris, et contra eos qui illum crucifixérunt; ítaque consídera, ne tu quoque sis reus córporis, et sánguinis Christi. Illi sanctíssimum corpus occidérunt, tu vero pollúta súscipis ánima, post tot benefícia. Neque enim illi satis fuit, hóminem fieri, cólaphis cædi, et crucifígi: verum et semetípsum nobis commíscet; et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum éfficit corpus.

℞. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: * Hoc fácite in meam commemoratiónem, allelúja.

℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc fácite.

## Lectio vi.

Quo non opórtet ígitur esse puriórem, tali fruéntem sacrifício? quo solári rádio non splendidiórem manum carnem hanc di-

vidéntem? os quod igne spirítáli replétur, linguam quæ treméndo nimis sánguine rubéscit? Cógita quali sis insignítus honóre, quali mensa fruáris. Quod Angeli vidéntes horréscunt, neque líbere áudent intuéri propter emicántem inde splendórem; hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre? Et quid dico, pástor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolóres, fílios áliis tradunt nutrícibus. Hoc autem ipse non est passus: sed ipse nos próprio sánguine pascit, et per omnia nos sibi coagméntat.

℟. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt: * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet non moriátur, allelúja.

℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic est panis. Glória Patri. Hic est panis.

## In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 6. f

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tractatu 27. in Joannem, circa medium.

Díximus, fratres, Hoc Dóminum commendásse in manducatióne carnis suæ, et potatióne sánguinis sui, ut in illo maneámus, et ipse in nobis. Manémus autem in illo, cum sumus membra ejus: manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, únitas nos compáginat: ut compáginet únitas, quæ facit, nisi cháritas? Et cháritas Dei unde? Apóstolum intérroga. Cháritas, inquit, Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo, allelúja.

℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos

appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

Lectio viii.

Ergo spíritus est, qui vivíficat: spíritus enim facit viva membra: nec viva membra spíritus facit, nisi quæ in córpore, quod végetat ipse spirítus, invénerit. Nam spíritus qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivíficat membrum, quod separátum invénerit a carne tua? Spíritum tuum dico, ánimam tuam. Anima tua non vivíficat nisi membra quæ sunt in carne tua: unum si tollas, jam non vivificátur ex ánima tua, quia unitáti córporis tui non copulátur.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me, allelúja.
℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus. Et qui mandúcat me. Glória Patri. Et qui mandúcat.

Lectio ix. de sancto Simplici, si occurrat; alias,

Lectio ix.

Hæc dicúntur, ut amémus unitátem, et timeámus separatiónem. Nihil enim sic dedet formidáre Christiánus, quam separári a córpore Christi. Si enim separátur a córpore Christi, non est membrum ejus: si non est membrum ejus, non vegetátur Spíritu ejus. Quisquis autem, inquit Apóstolus, Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Spíritus ergo est, qui vivíficat, caro autem non prodest quidquam. Verba, quæ ego locútus sum vobis, spíritus, et vita sunt. Quid est, Spíritus, et vita sunt? spirituáliter intelligénda sunt. Intellexísti spirituáliter? Spíritus, et vita sunt. Intellexísti carnáliter? Etiam sic illa spíritus, et vita sunt, sed tibi non sunt.

Te Deum.

## MENSIBUS MAJO, ET JUNIO.

### In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex eadem Homilia 60.

Lectio iv.

Unicuíque fidélium Christus semetípsum per mystéria commíscet, et quos génuit, per semetípsum enútrit, nec álteri tradit: per hoc tibi rursum persuádens, quod carnem tuam assúmpsit. Ne torpeámus ígitur, tanta digni charitáte, et honóre putáti. Nónne vidétis quanta promptitúdine

párvuli papíllas cápiunt, et quanto ímpetu lábia ubéribus infígunt? Accedámus cum tanta nos quoque alacritáte ad hanc mensam, et ad úbera póculi spiritális: quinímo cum longe majóri trahámus, tamquam infántes lacténtes, spíritus grátiam, et unus sit nobis dolor hac esca privári. Non sunt humánæ virtútis ópera, hæc quæ proponúntur: qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrórum tenémus locum: qui vero sanctíficat ea, et immútat, ipse est. Nullus ítaque Judas assístat, nullus avárus: nam tales mensa non súscipit. Si quis est discípulus, adsit; ait enim: Cum discípulis meis fácio Pascha. Hæc est illa mensa, et minus nihil habet. Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo pérficit: verum et hanc ipse quoque.

℟. Cœnántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait: * Accípite, et comédite: hoc est corpus meum, allelúja.

℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? Accípite, et comédite: hoc est.

## Lectio v.

Inhumanus accédat nemo, nemo crudélis, et immiséricors, nemo prorsus immúndus. Hæc ad communicántes dico, et ad vos, ministrántes. Nam et ad vos sermónem convértere necessárium est, ut multo cum stúdio hæc dona distribuátis. Non parva vobis ímminet últio, si quemquam, illíus culpæ cónscii, hujus mensæ partícipem esse concedátis: sanguis ejus de mánibus vestris exquirétur. Sive quis dux milítiæ sit, sive præféctus, sive princeps diadémate coronátus; indígne autem accédat, próhibe; majórem illo potestátem habes. Proptérea vos Deus hoc insignívit honóre, ut tália discernátis. Hoc vestra dígnitas est, hoc secúritas, hoc omnis coróna: non ut albam, et splendéntem túnicam circumeátis indúti. Verum et tu, láice, cum sacerdótem víderis offeréntem, ne ut sacerdótem esse putes hoc faciéntem, sed Christi manum invisibíliter exténsam.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens:

Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: * Hoc fácite in meam commemoratiónem, allelúja.

℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc fácite.

Lectio VI.

Audiamus ígitur et sacerdótes, et súbditi, quali esca facti sumus digni: audiámus, et horreámus. Sanctis cárnibus suis nos dedit impléri, semetípsum appósuit immolátum. Quænam ígitur erit nobis excusátio, cum tálibus pasti, tália peccémus, cum lupi fiámus, Agnum comedéntes, cum tamquam oves pasti more leónum diripiámus? Hoc enim mystérium non a rapína tantum, verum et ab omni vel ténui inimicítia purum esse pénitus jubet: est enim pacis mystérium. Judæis quidem annuátim propriórum monuménta beneficiórum solemnitátes Deus alligávit; tibi vero síngulis diébus per hæc mystéria. Nullus ítaque Judas hanc mensam petat, nullus Simon. Hi namque duo propter avarítiam periérunt; hoc ígitur bárathrum fugiámus.

℟. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt: * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur, allelúja. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic est. Glória Patri. Hic est.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII. Cap. 6. f

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 26. in Jo. post med.

Hic est panis, qui de cœlo descéndit. Hunc panem significávit manna, hunc panem significávit altáre Dei. Sacraménta illa fuérunt: in signis divérsa sunt; sed in re, quæ significátur, pária sunt. Apóstolum audi: Nolo enim vos, inquit, ignoráre, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes per Móysen baptizáti sunt in nube, et in mari, et o-

mnes eámdem escam spiritálem manducavérunt. Spiritálem útique eámdem; nam corporálem álteram: quia illi manna, nos áliud: spiritálem vero, quam nos; sed patres nostri, non patres illórum, quibus nos símiles sumus, non quibus illi símiles fuérunt. Et adjúngit: Et omnes eúmdem potum spiritálem bibérunt. Aliud illi, áliud nos, sed spécie visíbili quidem, tamen hoc idem significánte virtúte spiritáli. Quómodo enim eúmdem potum? Bibébant, inquit, de spiritáli sequénte petra: petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo, et in carne. Et quómodo bibérunt? Percússa est petra de virga bis. Gémina percússio duo ligna crucis signíficat.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo, allelúja. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me.

Lectio viii.

Norunt fidéles corpus Christi, si corpus Christi non négligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vívere de Spíritu Christi. De Spíritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intellígite, fratres mei, quid díxerim. Homo es, et spíritum habes, et corpus habes. Spíritum dico, quæ ánima vocátur, qua constas quod homo es: constas enim ex ánima et córpore. Habes enim spíritum invisíbilem, corpus visíbile. Dic mihi quid ex quo vivat? Spíritus tuus vivit ex córpore tuo, an corpus tuum ex spíritu tuo? Respóndet omnis qui vivit: qui autem hoc non potest respondére, néscio si vivit. Quid respóndet omnis, qui vivit? Corpus útique meum vivit de spíritu meo. Vis ergo et tu vívere de Spíritu Christi? in córpore esto Christi.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me, allelúja. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus. Et qui. Glória Patri. Et.

Nona Lectio de S. Simplici, si occurrat; alias,

Lectio ix.

Numquid enim corpus meum vivit de spíritu tuo?

Meum vivit de spíritu, meum, et tuum de spíritu tuo. Non potest vívere corpus Christi, nisi de Spíritu Christi. Inde est, quod expónens nobis Apóstolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacraméntum pietátis, o signum unitátis, o vínculum charitátis! Qui vult vívere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accédat, credat, incorporétur, ut vivificétur. Non abhórreat a compáge membrórum, non sit putre membrum quod resecári mereátur, non sit distórtum, de quo erubescátur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat córpori, vivat Deo de Deo. Nunc labóret in terra, ut póstea regnet in cœlo.

Te Deum.

## COMMEMORATIO

### SANCTI ABUNDII EPISCOPI,

### Patroni principalis sanctæ novocomensis Ecclesiæ, facienda inter Suffragia Sanctorum.

Ad Vesperas, et ad Laud.

Antiph. S. Abúndi Præsul, coménsem Ecclésiam prótege; quo, te protegénte, fiat cuncta redúndans cópia, quam pastoráli quondam rexísti doctrína.

Tempore Paschali additur Allelúja.

℣. Ora pro nobis, sancte Abúndi.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

INTERVENIÉNTE, quæsumus, Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice, nos divína grátia prævéniat, et sequátur, atque ab univérsis offénsis tueátur. Per Dóminum.

REIMPRIMATUR.

Comi 10 Septembris 1846.

✠ CAROLUS EPISCOPUS.

# KALENDARIUM.

## FEBRUARIUS.



## MARTIUS.

# APRILIS.



# MAJUS.



# JUNIUS.

# PROPRIUM

# SANCTORUM

## PRO SANCTA

## NOVOCOMENSI ECCLESIA

### PARS ÆSTIVA.

NOVI COMI
EX TYPIS HAEREDUM C. PETRI OSTINELLI
MDCCCXLVIII.

# PROPRIUM SANCTORUM
## PRO SANCTA
## NOVOCOMENSI ECCLESIA.

### FESTA MAJI.

### DIE IV.

### In festo S. Venerii Episc., et Conf.

Duplex.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Venérii Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In primo Nocturno. Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Venérius, cujus aliquándo Paulínus méminit, sancti Ambrósii discípulus, ab eo primum diáconus, deínde presbyter creátus, eo præceptore vere dignus, beatíssimo Simpliciáno in archiepiscopátu succéssit. Ejus virtutum nomen magnum ubíque fuit usque ádeo, ut et carthaginiénsis synodi patres ad illum legátos míserint: et sanctus Joánnes Chrysóstomus lítteras græce exarátas déderit, quibus ejus divínam charitátem, áliaque pastorália ornaménta testáta facit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Ad stúdium autem pietátis in primis Pastor erudítus, nihil turbuléntis illis tempóribus prætermísit ad diligéntem Ecclésiæ sibi commíssæ tuéndæ, religioséque gubernándæ ratiónem. Demum miraculórum, et sanctitátis glória clarus obdormívit in Dómino, quarto nonas maji. Ejus corpus in basílica Apostolórum sepúltum sanctus Cárolus cardi-

nális archiepíscopus frequénti episcopórum provinciálium convéntu, in eádem basílica, quam illustrióri ópere restituéndam curáverat, solémnibus supplicatiónibus pie recóndidit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi epíscopi.

Lectio vi.

Beati patris Venérii mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Hom. in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

## DIE V. MAJI.

### In festo S. Geruntii Episc., et Conf.

Duplex.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Geróntii Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In primo Noct., Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Geruntii epíscopi máximæ virtútes, ut exémplis modísque áliis, ita præcípue claruére cum Bárbari Itáliam ingréssi, eam misérrime sevissiméque depopularéntur. Per eos immánes pópulos non solum omnis ecclesiástica disciplína corrúpta, et dissolúta, sed étiam in pulchérrima urbis ópera desævítum: urbs ipsa a fundaméntis pene díruta fuit.

Quæ cum a Bárbaris fierent, Gerúntius semper acérrime óbstitit. Sicut enim prudéntia, et humilitáte sua recusáverat id munus, ita euscéptum constantíssime gessit: neque ulli unquam perversitáti témporum hominúmve succúbuit. Cum sanctíssime mortem obiísset, in basílica sancti Simpliciáni sepúltus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Sermo sancti Máximi epíscopi.

Lectio v.

Ad sancti, ac beatíssimi patris nostri Gerúntii, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis, et grátiæ, de hoc, quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat prǽditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum: quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Hom. in Evang. Homo péregre. de Communi Conf. Pontif. 1. loco.

## DIE X. MAJI.

In festo
S. Antonini Episc., et Conf.
Duplex.

Omnia ut in Breviario.

## DIE XI. MAJI.

In festo S. Monicæ Viduæ.

(Ex die 4. hujus mensis hodie assignato). Duplex.

Omnia ut in Breviario.

## DIE XIII. MAJI.

In festo Dedicationis Ecclesiæ cathedralis novocomensis.

In civitate, et suburbiis, locisque aliis, ubi nullum per anni tempora Dedicationis propriæ Ecclesiæ peculiare festum celebratur: Duplex I. Classis cum Octava. Alibi sine Octava.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ, ut in Breviario

## DIE XIV. MAJI.

In festo
S. Natalis Episc. et Conf.
Duplex.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Natális Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Natalis, pastor ecclésiæ mediolanénsis, mirífica fuit erudítiónis. et ingénii fama: ac præcípue de eo tráditur, quod græcas hebraicásque lítteras exímie didicísset. Doctrínæ autem, et ingénii sui vim étiam scriptis declarávit, quæ advérsus cathólicæ fídei hostes édidit. Cœléstia porro mérita ejus multis post mortem, et in vita miráculis illustráta fuérunt. Relíquiæ córporis ejus in sancti Geórgii æde, quæ dícitur ad Palátium, summa cum veneratióne asservántur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Sermo
sancti Máximi epíscopi.
Ex Homilia 59.
quæ est 2. de S. Eusebio.
Lectio v.

Beati patris Natális mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Quantis hic cæcis a via veritátis errántibus, et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum, et illum, quo Christus viderétur, reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cœléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrínsecus vulnerátos, angélici oris arte, et oratiónum ab infirmitáte curávit?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Nocturno. Homil. in Evang. Vigiláte. de Communi Conf. Pont. 2. loco.

## DIE XV. MAJI.

In festo
S Pii Quinti Papæ, et Conf.

(Ex die 5. hujus mensis hodie assignato) Duplex.

Omnia ut in Breviario.

## DIE XVI. MAJI.

### IN FESTO S. JOANNIS NEPOMUCENI MART. Duplex.

In primis Vesp., quando dicuntur integræ. Antiph. Interrogábat eum Rex. cum reliquis de Laudibus.

Psalmus. Dixit Dóminus. cum rel. de Dom. et loco ult. Psalm. Laudáte Dóminum.

Capitulum. Eccli. 21 28

LABIA imprudéntium stulta narrábunt; verba autem prudéntium statéra ponderabúntur: in ore fatuórum cor illórum; et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus.

INVÍCTUS heros Núminis,
Mergéndus unda flúminis,
Stat fortis in siléntio,
Dum fit sigílli méntio.

Hinc rex minátur fúnera;
Hinc tortor infert vúlnera;
Manus ligántur fúnibus,
Artus cremántur ígnibus.

Sed hæc Joánnes déspicit,
Nec regis iram réspicit:
Secréta non vult pándere,
Horret sigíllum frángere.

Stat mutus agnus ínnocens,
Nil de tegéndis próferens:
Stat: dumque rex nil élicit,
E ponte Justum déjicit.

Præceps ab alto stérnitur,
Undis profúndis mérgitur;
Mersum sed applaudéntibus
Undæ salútant ígnibus.

Stellæ natant in flúmine,
Illi paréntant lúmine;
Docétque cœli cláritas,
Quæ sit Joánnis cháritas.

Da, sempitérna Trínitas,
Ut in bono sit fírmitas:
Aut lacrymárum flúmina
Mergant cadéntum crímina.
Amen.

℣. Sacraméntum regis abscóndere bonum est.

℟. Opera autem Dei reveláre honoríficum.

Ad Magnificat. Antiph. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum.

Oratio.

DEUS, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti; da, ut ejus exémplo, et intercessióne ori nostro custódiam ponéntes, Beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum. Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Psalmus. Veníte.

Hymnus.

IN profúnda noctis umbra,
Et gravi calígine

Lustrat ædem flamma munda,
Sic jubénte Númine.
Nocte náscitur Joánnes,
Astra cœlo dévolant:
Nocte mérgitur Joánnes,
Astra funus ápparant.
Hinc cor ejus igne flagrans
Fortis urit cháritas:
Hinc ab ejus ore manans
Mira prodit suávitas.
Nunc amóre cor bonórum
Ad salútem pértrahit:
Nunc timóre cor malórum
A gehénna rétrahit.
Páuperes solátur ære,
Derelíctis súbvenit:
Non sinit justos jacére;
Damna famæ præpedit.
Per Joánnis sanctitatem,
O beáta Trínitas,
Méntibus da puritátem,
Corde regnet cháritas.
Amen.

In primo Nocturno, Ant. Erit lumen Israel in igne, et sanctus ejus in flamma.

Psalmi de Communi unius Martyris.

Antiph. Sanávit Dóminus púerum, et réddidit illum patri ejus.

Ant. Puer autem erat minister in conspéctu Dómini ante fáciem sacerdótis.

℣. Sacraméntum regis abscóndere bonum est.

℟. Opera autem Dei reveláre honoríficum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 21. 26.

STULTUS a fenéstra respíciet in domum: vir autem erudítus foris stabit. Stultítia hóminis auscultáre per óstium: et prudens gravábitur contumélia. Lábia imprudéntium stulta narrábunt: verba autem prudéntium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum. Dum maledícit impius diábolum, maledícit ipse ánimam suam. Susúrro coinquinábit ánimam suam, et in ómnibus odiétur: et qui cum eo mánserit, odiósus erit. Tácitus, et sensátus honorábitur.

℟. Metuébat rex Joánnem, * Sciens eum virum justum, et sanctum. ℣. Et custodiébat eum, et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. Sciens.

Lectio ii. Cap. 28. 21.

FLAGÉLLI plaga livórem facit: plaga autem linguæ commínuet ossa. Multi cecidérunt in ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. Beátus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracúndiam

illíus non transívit, et qui non attráxit jugum illíus, et in vínculis ejus non est ligátus. Jugum enim illíus, jugum férreum est: et vínculum illíus, vínculum æreum est. Mors illíus, mors nequíssima: et útilis pótius inférnus, quam illa.

℟. Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus; in pace et in æquitáte ambulávit mecum: * Et multos avértit ab iniquitáte. ℣. Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus. Et.

Lectio III.

PERSEVERANTIA illíus non permanébit, sed obtinébit vias injustórum: et in flamma sua non combúret justos. Qui relínquunt Deum, íncident in illam, et exardébit in illis, et non extinguétur, et immittétur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácito óstia, et seras. Aurum tuum, et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frænos ori tuo rectos: et atténde, ne forte labáris in lingua, et cadas in conspéctu inimicórum insidiántium tibi, et sit casus tuus insanábilis in mortem.

℟. Sepívi aures meas spinis: * Et ori meo feci óstia, et seras. ℣. Beátus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indígnis se. Et ori. Glória. Et ori.

In secundo Nocturno. Ant. Non quæsívit a Dómino ducátum, neque a rege cáthedram honóris.

Ant. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar.

Ant. Amplius non vidébitis fáciem meam vos, per quos transívi prædicans regnum Dei.

℣. Pone, Dómine, custódiam ori meo.

℟. Et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Lectio IV.

JOANNES Nepomúci Bohémiæ óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis, non sine futúræ sanctitátis præságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum ínfans in gravem morbum incidísset, beátæ Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitæ

periculo evásit incólumis. Egrégia índole piáque institutióne cœléstibus indíciis obsequénte, inter sanctas religiosásque exercitatiónes puerítiam egit. Nam ecclésiam frequénter adíre, ac sacerdótibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus, Pragæ vero gravióribus disciplínis excúltus, philosophíæ, theologíæ, sacrorúmque cánonum magistérium, et láuream eméruit. Sacerdótio initiátus, atque a sciéntia sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis extirpándis, et revocándis in viam salútis errántibus, eloquéntiæ, et pietátis úberes éderet fructus, inter canónicos metropolitánæ ecclésiæ pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wencesláo quarto prædicándi provínciam suscépit, eo succéssu, ut Joánnis suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille óbtulit dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

℟. Instans oratióni, et ministério verbi, hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino, * Quia erat vir bonus, et plenus Spíritu sancto. ℣. Et apponebátur multa turba Dómino. Quia.

## Lectio v.

Regiis illum eleemósynis in páuperes erogándis præféctum Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem adscívit. Cum autem Wenceslάus ab offício institutóque decessísset, atque in vítia præceps abriperétur, piæ vero cónjugis obtestatiónes, et mónita graváte ferret; conténdere ausus est, ut in sacramentáli judício sacerdóti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei miníster blandítiis primum, torméntis deínde, et cárceris squallóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Furéntem tamen Wenceslái ánimum cum ab execrándo propósito nec humána, nec divína jura deterrérent; suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pó-

pulo in concióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Bolesláviam proféctus, ad beátæ Vírginis imáginem antíquo cultu célebrem, cœléste præsídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde vésperi reverténtem in pervigílio domínicæ Ascensiónis Rex e fenéstra conspicátus arcéssit: cumque vehementius urgéret, et próximam in áquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constántia terróres minásque refutávit. Itaque Regis império in Moldávam flumen Pragam intérfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii corónam est consecútus.

℟. Dispérsit, dedit paupéribus: * Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Beátus qui intélligit super egénum, et páuperem. Justítia.

## Lectio VI.

SACRÍLEGUM fácinus clam patrátum, et mártyris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes, et discurréntes apparuérunt. Quamóbrem ex aréna postrídie mane corpus elátum, canónici deínde, regis iram nihil timéntes, in metropolitánam ecclésiam solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invícti sacerdótis memória miráculis, et máxima fidélium, eórum præcípue qui fama periclitántur, veneratióne crésceret; post annos demum ámplius tercéntos in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo támdiu jacúerat, lingua ejus incorrúpta, et vívida repérta est: quæ sexto post anno judícibus a sede Apostólica delegátis exhíbita, novo prodígio repénte intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpúreum commutávit. His ítaque aliísque signis rite probátis, Benedíctus decimustértius Póntifex máximus die decimanóna mensis mártii anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo nono primum hunc sacramentális sigílli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, sanctórum mártyrum catálogo adscrípsit.

℟. Ego scio quóniam ín-

trábunt post discensiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi, * Propter quod vigiláte. ℣. Et ex vobis ipsis exúrgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. Propter. Glória. Propter.

In tertio Nocturno. Ant. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ant. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam.

Ant. Transívi per ignem, et aquam, et eduxísti me in refrigérium.

℣. Dixi: Custódiam vias meas. ℟. Ut non delínquam in lingua mea.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 11. v. 2.

In illo témpore: Cum audísset Joánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos ex discípulis suis, ait illi: Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus? Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii papæ.

Homilia 6. in Evang.

Dimíssis Joánnis discípulis, quid de eódem Joánne turbis dicat, audiámus. Quid exístis vidére in desérto? Arúndinem vento agitátam? Quod vidélicet, non asseréndo, sed negándo íntulit. Arúndinem quippe mox ut aura contígerit, in partem álteram infléctit. Et quid per arúndinem, nisi carnális ánimus designátur? qui mox ut favóre vel detractióne tángitur, in partem quámlibet inclinátur. Si enim ab humáno ore aura favóris fláverit, hilaréscit, et extóllitur; sed si inde ventus detractiónis erúperit, unde aura láudis veniébat, mox hunc quasi in partem álteram ad vim furóris inclínat.

℟. Cum corriperétur ab illo de ómnibus malis quæ fecit, rex adjécit et hoc: * Et inclúsit Joánnem in cárcere. ℣. Labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Et.

Lectio viii.

Sed arúndo agitáta vento Joánnes non erat, quia hunc nec blandum grátia, nec cujúslibet detractiónis ira ásperum faciébat; nec próspera hunc erígere, nec advérsa nóverant inclináre. Arúndo ergo vento agitáta non erat, quem ab status sui rectitúdine nulla rerum

varíetas inflectébat. Discámus ergo, fratres charíssimi, arúndinem vento agitátam non esse: solidémus ánimum inter auras linguárum pósitum, stet inflexíbilis status mentis. Nulla nos detráctio ad iram próvocet, atque ad remissiónem inútilis grátiæ nullus favor inclínet. Non nos próspera élevent, non advérsa pertúrbent: ut qui in soliditáte fídei fígimur, nequáquam rerum transeúntium mobilitáte moveámur.

℟. Réddidit Deus justo mercédem labórum suórum, et dedúxit illum in via mirábili: * Et fuit illi in veláménto diéi, et in luce stellárum per noctem.

℣. Transvéxit illum per aquam nímiam, inimícos autem illíus demérsit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio IX.

ADHUC autem de ejus expressióne subjúngitur: Sed quid exístis vidére in desérto? hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur in dómibus regum sunt. Camelórum enim pilis, ut scitis, vestítus Joánnes fuísse descríbitur. Et quid est dícere: Ecce qui móllibus vestiúntur in dómibus regum sunt, nisi apérta senténtia demonstráre, quia non cœlésti, sed terréno regi mílitant ii, qui pro Deo pérpeti áspera fúgiunt, et solis exterióribus déditi, præséntis vitæ mollítiem, et delectatiónem quærunt?

Te Deum.

## AD LAUDES,

et per Horas. Antiph.

INTERROGABAT eum rex multis sermónibus: at ipse nihil illi respondébat.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis de Dominica.

Ant. Rex dixit: Ne abscóndas a me verbum, quod te intérrogo. Dixi: Secrétum meum mihi, secrétum meum mihi. Ant. Affirmábat rex, se dívitem, et beátum factúrum. Non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis.

Ant. Tunc rex accénsus ira, in hunc super omnes crudélius desævìit.

Ant. Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indígnis se.

Capitulum. Eccli. 21. 28.

LABIA imprudéntium stulta narrábunt; verba autem prudéntium statéra ponderabúntur: in ore fatuórum cor illórum; et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus.

Vix in sepúlchro cónditur,
Signis Joánnes próditur:
Per crátium repágula
Intérmicant mirácula.

Hic ejus hostes íllico,
Pudóre mœsti público,
Ultríce dextra Núminis,
Pœnas rependunt críminis.

Hic damna rerum fléntibus,
Famæve conquerentibus,
Abdúcta res revértitur,
Abláta fama rédditur.

Hic corpus ægritúdines,
Tempus vicissitúdines,
Perículum secúritas,
Mortem fugit mortálitas.

Hic viva lingua Mártyris,
Sed muta, voce sánguinis
Clamans, ut Abel, ímprobat,
Regíque crimen éxprobrat.

Unius, o da, Trínitas,
Triúmque simplex Unitas,
Ut, qui Joánni súpplicant,
Id ímpetrent quod flágitant.
Amen.

℣. Pósui ori meo custódiam. ℟. Cum consísteret peccátor advérsum me.

Ad Benedictus. Antiph. Quicúmque glorificáverit me, glorificábo eum: qui autem contémnunt me, erunt ignóbiles.

Oratio.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti; da, ut ejus exémplo, et intercessióne ori nostro custódiam ponéntes, Beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Ad Tertiam. Antiphona. Rex dixit.

Capitul. Lábia imprudéntium stulta. ut supra.

℟. br. Sacraméntum regis * Abscóndere bonum est. Sacraméntum. ℣. Opera autem Dei reveláre honoríficum. Abscóndere. Glória Patri. Sacraméntum.

℣. Pone, Dómine, custódiam ori meo. ℟. Et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Ad Sextam. Antiphona. Affirmábat Rex.

Capitulum Eccli 28.

Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácito óstia, et seras.

℟. br. Pone, Dómine, * Custódiam ori meo. Pone, Dómine. ℣. Et óstium circumstántiæ lábiis meis. Custódiam. Glória Patri. Póne, Dómine.

℣. Dixi: Custódiam vias meas. ℟. Ut non delínquam in lingua mea.

Ad Nonam, Ant. Beátus.

Capitulum. Eccli. 28. 29.

**A**urum tuum, et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frænos ori tuo rectos: et atténde ne forte labáris in lingua.

℟. br. Dixi: * Custódiam vias meas. Dixi: Custódiam. ℣. Ut non delínquam in lingua mea. Custódiam. Glória Patri. Dixi: Custódiam.

℣. Pósui ori meo custódiam. ℟. Cum consísteret peccátor advérsum me.

In secundis Vesp., Ant., et Psalmi ut in primis, et loco ultimi,

Psalmus 115.

**C**rédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino,* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Capitulum. Eccli. 21. 28.

**L**abia imprudéntium stulta narrábunt; verba autem prudéntium statéra ponderabúntur: in ore fatuórum cor illórum; et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus.

**J**am faces lictor ferat, et minántem
Jam ferox ensem, rabidúmque tortis
Vínculis ferrum, sacra ni sacérdos
Abdita pandat.

Séntiet vires, animæque magnæ
Pródigum pectus: violéntus ira
Non quatit recti sólida tenácem
Mente satélles.

En ruit præceps tumulátus unda
Martyr, et fluctu plácido siléntem
Náufragus linguam melióris ævi
Servat in usum.

At superjéctæ fácili natántes

Amne discúrrunt, rutilántque circa
Mártyrem flammæ: bene gesta pláudens
Ornat Olympus.
Ornat: et linguam, rósei instar ignis,
Vívidam servans, et adhuc rubéntem,
Indicat quænam fúerit tacéntis
Grátia linguæ.
Sit decus Patri, Genitóque: Sanctum
Spíritum laudent, ab utróque puris
Qui calet flammis, sine fine psallens
Orbis utérque. Amen.

℣. Pósui ori meo custódiam. ℟. Cum consísteret peccátor advérsum me.

Ad Magnificat, Antiph. In conspéctu poténtium admirábilis ero: fácies príncipum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient.

Oratio. Deus, qui ob invíctum. ut supra in Laudib.

## DIE XXI. MAJI.

### In festo S. Felicis a Cantalicio Conf.

Semiduplex.

Oratio.

Fac nos, Dómine Jesu, in simplicitáte, et innocéntia cordis nostri ambuláre: quarum amóre de sinu Matris inter beáti Felícis Confessóris tui bráchia descendísti: Qui vivis.

Deinde, ubi non agitur Octava Dedic. ecclesiæ cathedralis, fit commemor. S. Bernardini Senensis, Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Dómine Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti; ejus, quæsumus, méritis, et intercessióne, Spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde: Qui vivis, et regnas.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Felix a Cantalício in Sabínis humílibus, sed piis paréntibus natus, a púero pascéndis grégibus, mox et agro coléndo addíctus, multo impénsius rerum cœléstium meditatióne ánimum

nutríre, et corpus assíduis vigíliis, ac jejúniis domáre cœpit, eremíticam agens vitam pótius, quam rústicam. Ferventióre autem in Deum pietáte incénsus, cum non posset quotídie, ut optábat, sacris mystériis interésse, grege ad loca solitária compúlso, ipse ante crucem árborum cortícibus incísam diu oráre, seque ácriter flagelláre consuéverat; sed et aliquándo glebas in agro vértere, simúlque sacris in templo adésse visus est. Alias inter arándum furéntibus, quos júnxerat, indómitis juvéncis, humi stratus, et arátro superdúcto plane proscindéndus, laceráta dumtáxat veste, surréxit illæsus. Quo perículo, ut ad tutiórem reguláris disciplínæ palæstram vocánti jamprídem Deo paréret, admónitus, rústica supelléctili paupéribus distríbui jussa, ad fratres minóres, quos capuccínos vocant, própere se cóntulit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Adhuc tyro, necdum vota solémnia proféssus, religiósæ perfectiónis ápicem jam attigísse videbátur. Obediéntiæ sédulus cultor, ad præcipiéntis non modo verbum, sed étiam nutum præsto erat: seque cœnóbii juméntum díctitans, vilíssima quæque ministéria semper arrípuit, ac ludíbria, et contumélias hílari vultu excipiébat. Paupertátis quam esset studiósus, illústri documénto Deus ipse declarávit. Ostiátim enim per vicos, et platéas aléndis frátribus mendícans (quod ille munus per annos quadragínta nudis fere semper pédibus obívit) cum die quadam inusitáto póndere se óppprimi sentíret, mánticam scrutátus, injéctum clam nummum deprehéndit: quo projécto, nec sine indignatióne proculcáto, álacer, et levis inde ábiit. Castitátem, quam usque ad obítum servávit illibátam, sanctus córpore, et spíritu a Paulo Quinto proptérea appellátus, vígili oculórum custódia, et voluntário córporis cruciátu communívit. Aspérrimo flagéllo se quotídie cruéntans, ac férreo cilício constríctus,

septem étiam Urbis basílicas idéntidem invísens, jejúnia órdinis inédia quandóque cumulávit. Lectus ejus dolóris pótius quam quiétis erat: brevem quippe somnum flexis nuda super tábula génibus, ac fasce sarmentórum cápiti suppósito, carpébat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio VI.

Vitæ austeritáte sibi asper, áliis charus acceptúsque, sanctis præsértim Cárolo, et Philíppo Nério simplicitáte, atque innocéntia semper fuit. In oratióne pernóctans dulcíssimam frequénter éxtasim est passus: et aliquándo in ulnis suis reclinátum a Vírgine Matre púerum Jesum suavíssime complécti méruit. Prophetíæ grátia, et miraculórum clarus demórtuum étiam fílium matri vivum restítuit. Meritis tandem in bona senectúte cumulátus, secúnda (ut prædíxerat) féria Pentecóstes, ad cœléstem pátriam, Deípara invitánte, lætus ábiit. Ejus corpus in ecclésia sui órdinis summa Urbis veneratióne cólitur, Dómino crebris miráculis servi sui sanctitátem illustránte, quem proptérea Urbánus Papa Octávus beatórum, Clemens vero undécimus sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli, et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni epíscopi.

Serm. 9. de verb. Dom.

Omnia sæva, et immánia prorsus facília, et prope nulla éfficit amor. Quanto ergo cértius, ac facílius ad veram beatitúdinem chá-

ritas* facit, quod ad misériam, quantum pótuit, cupíditas fecit? Quam fácile tolerátur quælibet advérsitas temporális, ut ætérna pæna vitétur, et ætérna réquies comparétur? Non immérito ille vas electiónis cum ingénti lætítia dixit: Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Ecce unde illud jugum suáve est, et sárcina levis, et si angústa est páucis eligéntibus, fácilis tamen ómnibus diligéntibus. Dixit Psalmísta: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Sed quæ dura sunt laborántibus, eísdem ipsis mitéscunt amántibus. Propter quod ita divínæ pietátis dispensatióne actum est, ut intérior homo, qui renovátur de die in diem, non adhuc sub lege pósitus, sed jam sub grátia exonerátus sárcinis innumerabílium observatiónum, quod erat révera grave jugum, sed duræ cervíci conveniénter impósitum, facilitáte símplicis fídei, et bonæ spei, et sanctæ charitátis, quidquid molestiárum exterióri hómini forínsecus intulísset ille princeps, qui missus est foras, interióri gáudio leve fíeret.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Nihil enim tam fácile est bonæ voluntáti, quam ipsa sibi, et hæc súfficit Deo. Quantúmlibet ergo sæviat iste mundus, veríssime Angeli, nato in carne Dómino, clamavérunt: Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis: quia ejus, qui natus erat, suáve jugum est, et sárcina levis. Et sicut dicit Apóstolus:

Fidélis Deus, qui nos non sinit tentári supra id, quod póssumus ferre: sed facit cum tentatióne étiam éxitum ut possímus sustinére. Te Deum.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XXII. MAJI.

In festo S. Eusebii Episc. comensis, et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Felicis a Cantalicio, Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Fac nos, Dómine Jesu, in simplicitáte, et innocéntia cordis nostri ambuláre: quarum amóre de sinu Matris inter beáti Felícis Confessóris tui bráchia descendísti: Qui vivis.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno Lect. de Communi Confess. Pontif. 1. loco.

In Vesp. comm. sequentis.

## DIE XXIII. MAJI.

in festo S. Ubaldi Episc., et Conf.

( Ex die 16. hujus mensis hodie assignato). Semidupl.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Reliqua ut in Breviario.

## DIE XXIV. MAJI.

In festo S. Bernardini Senensis Conf.

( Ex die 20. hujus mensis hodie assignato pro locis, ubi agitur Octava Dedicat. ecclesiæ cathedr. ). Semid.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Reliqua ut in Breviario.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XXV. MAJI.

In festo S. Dionysii Episc., et Conf.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Bernardini, ubi facienda est. Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dómi-

nus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Dómine Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti; ejus, quæsumus, méritis, et intercessióne, Spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde.

Deinde S. Urbani Papæ, et Mart., Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Urbáni Mártyris tui, atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Dionysius charitáte, benignitáte, patiéntia, misericórdia, aliísque pastorálibus virtútibus, et vitæ innocéntia usque ádeo prælúxit, ut Apostolórum símilis putarétur. Ecclésiam mediolanénsem sibi commíssam miríﬁce gubernávit, cathólicámque ﬁdem religióse deféndit. Quamóbrem Constántius imperátor, ariánæ causæ patrónus, non déstitit eum exagitáre veheménter.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Accersítis ígitur Mediolánum úndique epíscopis, qui ab Occidénte quamplúrimi convenérunt, cum beátus Dionysius públice in eo convéntu causam ariánam oppugnáret: et Athanásium, contra quem ab Ariánis agebátur, damnári nullo modo debére censéret; tandem in exílium ab eo pulsus est. Ubi cum aliquámdiu fuísset, demum restitútus, votis exégit, ut in exílio ( inquit sanctus Ambrósius ) vitam póneret: ne regréssus, confúsa institútis, et usu inﬁdélium stúdia plebis, aut cleri inveníret; sicque in exílii locis propióre mártyris tí-

tulo vitam exhalávit. Ejus corpus Mediolánum ad beátum Ambrósium ab Aurélio epíscopo translátum est: cui piæ actióni offícium quoque sancti Basilíi Magni accessísse tráditur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo
sancti Máximi epíscopi.

Lectio vi.

Ad sancti, ac beatíssimi patris nostri Dionysii, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi Conf. Pontif. I. loco.

Pro S. Urbano Papa, et Mart.

Lectio ix.

Urbanus románus, Alexándro Sevéro imperatóre, doctrína, et vitæ sanctitáte multos ad Christi fidem convértit: in illis Valeriánum, beátæ Cæcíliæ sponsum, et Tibúrtium Valeriáni fratrem, qui póstea martyrium forti ánimo subiérunt. Hic de bonis Ecclésiæ attribútis scripsit his verbis: Ipsæ res fidélium, quæ Dómino offerúntur, non debent in álios usus, quam ecclesiásticos, et Christianórum fratrum, vel indigéntium convérti; quia vota sunt fidélium, et prétia peccatórum, ac patrimónia páuperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quátuor: ac martyrio coronátus, sepúltus est in cœmetério Prætextáti, octávo kaléndas júnii. Ordinatiónibus quinque hábitis mense decémbri, creávit presbyteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca octo.

Te Deum

In Laudibus fit commem. S. Urbani Papæ, et Mart. Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Urbáni Mártyris tui, atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

## DIE XXVII. MAJI.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRGINIS.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

## DIE XXVIII. MAJI.

IN FESTO S. SENATORIS EPISC., ET CONF.

Duplex.

Oratio. Exáudi, quæsumus.

Et fit commem. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

DEUS, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cœléstibus donis decorásti; da, ut quam festíva celebritáte venerámur, puritáte, et charitáte imitémur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

SENATOR, mediolanénsis, fuit præstánti ingénio, rerum divinárum sciéntia, et eloquéntia ádeo excúltus ut prophetárum res involútas, et laténtes interpretándo explicúerit. Cum adhuc esset illius Ecclésiæ présbyter, ob virtútum, atque eruditiónis famam, nómine sancti Leónis Magni legatiónem óbiit ab Theodósium Secúndum imperatórem; cujus múneris collégas hábuit beátum Abúndium epíscopum coménsem, Astérium, et Basilíum. Horum ópera, et stúdio coáctum est concílium Constantinópoli; idemque Abúndius una cum Senatóre intérfuit provinciáli

Synodo, quam sanctus Eusébius indíxerat Mediolàni.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Mórtuo autem beáto Benígno, creátus archiepíscopus, eo in múnere vigilantíssimus, nihil non egit, ut et verbo, et exémplo Ecclésiæ commíssæ prodésset. Qua sancte administráta, méritis cumulátus, obdormívit in Dómino, a sancto Ennódio ticinénsi epíscopo commendátus. Ejus corpus honorífice custodítur in æde sanctæ mártyris Euphémiæ, quam ille prope patérnam domum ædificándam curáverat, legáta étiam pecúniæ summa in páuperes quotánnis erogánda.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo S. Máximi epíscopi.

Lectio vi.

Beati patris Senatóris mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, áncoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Hom. in Evang. Vigiláte. de Communi Conf. Pont. 2. loco.

## DIE XXX. MAJI.

### IN FESTO B. FERDINANDI CASTELLÆ, ET LEGIONIS REGIS, CONFESS.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beáto Confessóri tuo Ferdinándo præliári

prælia tua, et fidei inimícos superáre dedísti: concéde, ut ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis, et córporis liberémur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Felicis Papæ, et Martyris, Antiph. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Felícis Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ferdinandus Tértius, Castéllæ, et Legiónis rex, cui Sancti cognoméntum jam inde a quátuor sæculis ecclesiasticórum, et sæculárium consénsus dedére, tantum prudéntiæ adoléscens adhuc spécimen præbuit, ut Berengária mater, Castéllæ regína, a qua persáncte educátus fúerat, abdicátum a se regnum in fílium transtúlerit. In eo, adjúnctis regni curis, regiæ virtútes emicuére: magnanímitas, cleméntia, justítia, et præ cæteris cathólicæ fídei zelus, ejúsque religiósi cultus tuéndi, ac propagándi ardens stúdium. Id præstitit inprímis hæréticos insectándo, quos núllibi regnórum suórum consístere passus, própriis ipse mánibus ligna comburéndis damnátis ad rogum advehébat. Præstitit ínsuper in erigéndis, dotándis, et consecrándis christiáno ritu cordubénsi, giennénsi, hispalénsi, et aliárum urbium ecclésiis, ex máurico ereptárum jugo, simúlque in instaurándis primáriis templis, toletáno, burgénsi, et áliis pia, et regia munificéntia.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Inter hæc, per Castéllæ, et Legiónis regnum, in quo

patri Alfónso succésserat, colléctis magnis exercítibus ánnuas expeditiones contra Saracénos christiáni nóminis hostes suscépit. In quibus ut semper vínceret, præcípui exércitus fuére preces piíssimi regis ad Deum fusæ, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiáret, flagris in se sæviébat, atque áspero cilício muniébat corpus: sique insígnes contra ingéntes Maurórum ácies victórias reportávit, et plures urbes christiáno cúltui, imperióque restítuit: et conquisítis Giénni, Córdubæ, et Múrtiæ regnis, ac granaténsi vectigáli facto, ad expugnándam Híspalim, primáriam Bœticæ urbem, hortánte in visióne (ut tráditum est) beáto Isidóro, olim illíus urbis epíscopo, victrícia signa tránstulit. In ea obsidióne, ut fertur, præséntem divínam opem hábuit; nam férream caténam, quæ super Bœtim transvérsim exténsa Mahumetánis pro repágulo erat, coórto validióri vento, una ex návibus régiis, regis jussu eo deláta, tanto ímpetu fregit, ut lóngius prætervécta, pontem quoque lígneum, et símul spes Maurórum abrúperit, et ad deditiónem coégerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio vi.

Tot victórias beátæ Vírginis Maríæ patrocínio ferébat accéptas; cujus imáginem secum in castris habens, peculiári cultu prosequebátur. Capta Híspali, prima religiónis cura fuit; nam templum Maurórum expiátum, et Christianórum dedicátum sacris, insígni archiepiscopátu, et honestíssimo canonicórum, et dignitátum collégio regia, et religiósa liberalitáte exornávit. Alia deínde in urbe templa, et cœnóbia eréxit: inter quæ pietátis offícia, dum trajícere in Africam parat, mahumetánum in ea impérium eversúrus, ad cœléstem régiam vocátur. In extrémo vitæ agóne sacram eucharístiam pro viático allátam, fune ad collum alligáto, et humi stratus cum lácrymis ubértim fusis adórans, eáque dignis reveréntiæ, humilitátis, et cathó-

licæ fidei obtestatiónibus accépta, obdormívit in Dómino. Jacet ejus corpus, incorrúptum adhuc post quátuor sæcula, in templo máximo hispalénsi, honorificentíssimo inclúsum sepúlchro.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex: quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ presbyteri.

Lib. 4. cap. 54. in Luc. 12

Pusíllum gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris número reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat: quia vidélicet Ecclésiam suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte perveníre. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eídem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promíttit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus hujus vitæ necessária desint: quin étiam posséssa propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis, semel pro Dómino suis ómnibus spretis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens: Argéntum,

aut aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis: quóniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infírmos.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et vos.

Pro S. Felice Papa, et Martyre. Lectio ix.

FELIX románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre, præfuit Ecclésiæ. Constítuit, ut missa supra memórias, et sepúlchra mártyrum celebrarétur. Qui cum mense decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset presbyteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca quinque, martyrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica, quam a se ædificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

Te Deum.

In Laudibus pro comm. S. Felicis Papæ, et Mart., Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus; et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Felícis Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

## * FERIA SEXTA
### Post Octavam Corporis Christi.

### In festo SS. Cordis D. N. J. Christi.
Duplex majus.

In primis Vesperis, quando dicuntur integræ, Ant. Díscite a me quia mitis sum, et húmilis corde.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Ant. Díscite a me quia mitis sum, et húmilis corde.

Ant. Sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et Cor meum ibi cunctis diébus.

Psalmus 110.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio, et magnificéntia opus ejus: * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors, et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hæreditátem Géntium: * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte, et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et Cor meum ibi cunctis diébus.

Ant. Et dixi: Ergo sine causa justificávi cor meum, et lavi inter innocéntes manus meas, et fui flagellátus tota die.

Psalmus 115.

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino,*

pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam,* et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Ant. Et dixi: Ergo sine causa justificávi cor meum, et lavi inter innocéntes manus meas, et fui flagellátus tota die.

Ant. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. Psalmus 127.

Beati omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo: * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Ant. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum.

Psalmus 147.

Lauda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut la-

nam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni: * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum.

Capitulum. Isaiæ 12.

Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gaudio de fóntibus Salvatóris.

Hymnus.

Auctor beáte sæculi,
Christe Redémptor ómnium,
Lumen Patris de lúmine,
Deúsque verus de Deo.

Amor coégit te tuus
Mortále corpus súmere,
Ut novus Adam rédderes,
Quod vetus ille abstúlerat.

Ille Amor almus ártifex
Terræ, marísque, et síderum,
Erráta patrum míserans
Et nostra rumpens víncula.

Non Corde discédat tuo
Vis illa amóris ínclyti:
Hoc fonte gentes háuriant
Remissiónis grátiam.

Percússum ad hoc est láncea,
Passúmque ad hoc est vúlnera;
Ut nos laváret sórdibus,
Unda fluénte, et sánguine.

Decus Paréntí, et Fílio,
Sanctóque sit Spirítui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est sæculum. Amen.

℣. Ignem veni míttere in terram. ℟. Et quid volo, nisi ut accendátur?

Ad Magníficat, Antiph. Impropérium expectávit Cor meum, et misériam: et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in sanctíssimo dilécti Fílii tui Corde gloriántes præcípua in nos charitátis ejus benefícia recólimus: eórum páriter et actu delectémur, et fructu. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Matutinum. Invitat. Christum pro nobis passum: * Veníte, adorémus.

Psalmus. Veníte.

Hymnus.

En, ut supérba críminum,
Et sæva nostrórum cóhors
Cor sauciávit ínnocens
Meréntis haud tale Dei!

Vibrántis hastam mílitis
Peccáta nostra dírigunt;
Ferrúmque diræ cúspidis
Mortále crimen acuit.

Ex Corde scisso Ecclésia
Christo jugáta náscitur;
Hoc óstium arcæ in látere est
Genti ad salútem pósitum.

Ex hoc perénnis grátia,
Ceu septifórmis flúvius;
Stolas ut illic sórdidas
Lavémus Agni in sánguine.

Turpe est redíre ad crímina,
Quæ Cor beátum lácerent:
Sed æmulémur córdibus
Flammas amóris índices.

Hoc, Christe, nobis, hoc, Pater,
Hoc, Sancte dona Spíritus,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est sæculum. Amen.

In primo Nocturno. Ant. Quid est homo, quia magníficas eum, aut quid appónis erga eum cor tuum?

Psalmus 8.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves, et boves univérsas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Quid est homo, quia magníficas eum, aut quid appónis erga eum cor tuum?

Ant. Meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Psalmus 18.

Cœli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum,* et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quórum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cœlo egréssio ejus:

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum, et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel, et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Ant. Elevámini, portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus. * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictió-

nem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ?

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Elevámini, portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ.

℣. Dómine, dabis pacem nobis. ℟. Omnia enim ópera nostra operátus es nobis. Pater noster. Absol. Exáudi, Dómine. Bened. Benedictióne perpétua.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 12.

Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: convérsus est furor tuus, et consolátus es me. Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. Et dicétis in die illa: Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus: notas fácite in pópulis adinventiónes ejus; mementóte quóniam excélsum est nomen ejus. Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta, et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

℟. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt: *Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic.

Lectio ii. Cap. 26.

In die illa cantábitur cánticum istud in terra Juda. Urbs fortitúdinis nostræ Sion, Salvátor ponétur in ea murus, et antemurále. Aperíte portas, et ingrediátur gens justa, custódiens veritátem. Vetus error abiit, servábis pacem; pacem, quia in te sperávimus. Sperástis in Dómino in sæculis ætérnis, in Dómino Deo forti in

perpétuum. Quia incurvábit habitántes in excélso, civitátem sublímem humiliábit: humiliábit eam usque ad terram.

℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem: aspéctus ejus in eo non est: hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet: ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, * Cujus livóre sanáti sumus. ℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Cujus.

Lectio iii.

Sémita justi recta est, rectus callis justi ad ambulándum: et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te. Nomen tuum, et memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte, sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te. Cum féceris judícia tua in terra, justítiam díscent habitatóres orbis.

℟. Benedíctus Dóminus Deus Israel, qui facit mirabília magna solus: * Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum. ℣. Replébitur majestáte ejus omnis terra, fiat, fiat. Et. Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno. Ant. Afferéntur in lætitia, et exultatióne, adducéntur in templum Regis.

Psalmus 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua, et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex qui-

bus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia, et exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne, et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * et in sæculum sæculi.

Ant. Afferéntur in lætítia, et exultatióne; adducéntur in templum Regis.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Psalmus 45.

Deus noster refúgium, et virtus; * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte, quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Sicut lætántium omnium habitátio est in te.

Psalmus 86.

Fundaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum, * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Sicut lætántium ómnium habitátio est in te.

℣. Convérsus est furor tuus.
℟. Et consolátus es me. Pater noster. Absolut. Ipsíus píetas. Bened. Deus pater omnípotens.

De Sermóne sancti Bernárdi abbátis.

Serm. 3. de Pass.

Lectio iv.

Quia semel vénimus ad cor dulcíssimum Jesu, et bonum est nos hic esse: ne sinámus nos fácile avélli ab eo, de quo scriptum est: Recedéntes a te in terra scribéntur. Quid autem accedéntes? Tu ipse doces nos. Tu dixísti accedéntibus ad te: Gaudéte, quia nómina vestra scripta sunt in cœlo. Accedámus ergo ad te, et exultábimus, et lætábimur in te, mémores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucúndum habitáre in Corde hoc! Quin pótius dabo ómnia, omnes cogitatiónes, et afféctus mentis commutábo, jactans omnem cogitátum meum in Cor Dómini Jesu, et sine fallácia illud me enútriet.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est alia nátio tam grandis, quæ hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio v.

Ad hoc templum, ad hæc Sancta sanctórum, ad hanc arcam Testaménti adorábo, et laudábo nomen Dómini, dicens cum David: Invéni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invéni Cor regis, fratris, et amíci benígni Jesu. Et numquid non adorábo? Hoc ígitur Corde tuo, et meo, dulcíssime Jesu, invénto, orábo te Deum meum: admítte tantum in sacrárium exauditiónis tuæ preces meas; imo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me; ut purificátus per te puríssimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre, et ut vidére simul, et fácere tuam váleam voluntátem.

℟. Sicut ovis ad occisiónem ductus est, et dum male tractarétur, non apéruit os suum: tráditus est ad mortem, * Ut vivificáret pópulum suum. ℣. Trádidit in mortem ánimam suam, et inter sceleráatos reputátus est. Ut.

Lectio vi.

Ad hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis patéscat intróitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo, et in te, ab exterióribus perturbatiónibus absolúti, habitáre possímus. Nihilóminus et proptérea vulnerátum est, ut per vulnus visíbile, vulnus amóris invisíbile videámus. Quómodo hic ardor mélius osténdi potest, nisi quod non solum corpus, verum étiam ipsum Cor láncea vulnerári permísit? Carnále ergo vulnus, vulnus spirituále osténdit. Quis illud Cor tam vulnerátum non díligat? Quis tam amans non rédamet? Quis tam castum non amplectátur? Nos ígitur adhuc in córpore manéntes, quantum póssumus, amémus, redamémus, amplectámur vulnerátum nostrum, cujus ímpii agrícolæ fodérunt manus, et pedes, latus, et Cor: stemúsque, ut cor nostrum durum adhuc, et impœnitens, amóris sui vínculo constríngere, et jáculo vulneráre dignétur. Quam charitátem Christi patiéntis, et pro géneris humáni redemptióne moriéntis, atque in suæ mortis commemoratió-

nem instituéntis sacraméntum córporis et sánguinis sui, ut fidéles sub sanctíssimi Cordis symbolo devótius ac fervéntius récolant, ejusdémque fructus ubérius percípiant, Clemens decimustértius Póntifex máximus ejúsdem sanctíssimi Cordis festum quibúsdam peténtibus Ecclésiis celebráre permísit.

℟. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * Et sapiéntiæ ejus non est númerus. ℣. Magnus Dóminus, et magna virtus ejus, et sapiéntiæ ejus non est finis. Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno, Ant. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Psalmus 95.

Cantate Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam, et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Ant. Adoráte eum, omnes

Angeli ejus; audívit, et lætáta est Sion.

Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus: * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera, fluxérunt a fácie Dómini, * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Adoráte eum, omnes Angeli ejus; audívit, et lætáta est Sion.

Ant. Vidérunt omnes término terræ salutáre Dei nostri.

Psalmus 97.

Cantate Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ domui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, et voce psalmi: * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini: * moveátur mare, et plenitúdo ejus; orbis

terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster maniféste véniet.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo témpore: Júdæi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati) rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Et réliqua.

Homilía sancti Augustini epíscopi.

Tract. 120. in Joann.

Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua. Vigilánti verbo evangelísta usus est, ut non díceret, latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid aliud: sed apéruit, ut illud quodámmodo vitæ óstium panderétur, unde sacraménta manavérunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intrátur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum, hæc et lavácrum præstat, et potum. Hoc prænuntiábat quod Noe in látere Arcæ óstium fácere jussus est, quo intrárent animália, quæ non erant dilúvio peritúra, quibus figurabátur Ecclésia.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus. Et qui.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia 84. in Joann.

Lectio VIII.

Vides quanti sit véritas? Per ea, quæ Judæi fáciunt, prophetía implétur: ália enim ex hoc manifestáta est. Venérunt ergo mílites, et aliórum fregérunt crura, non Christi: sed ad Judæórum grátiam conciliándam, latus ejus láncea aperuérunt, et mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem, ac scelestíssimam! Noli tamen pertur-

bári, o dilectíssime; quæ enim malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant. Prophetía hinc impléta est, ínquiens: Vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non creditúris fuit fídei arguméntum, ut Thomæ, et qui cum eo erant. Ad hæc et arcánum mystérium confirmátum est; exívit enim sanguis, et aqua. Non casu, et simplíciter hi fontes scatuniérunt, sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constitúta est.

℟. Recéssit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus tránsitum sol obscurátus est: * Portas mortis, et seras páriter Salvátor noster disrúpit. ℣. Destrúxit quidem cláustra inférni; et subvértit poténtias diáboli. Portas. Glória Patri. Portas.

De Homilía sancti Bonaventúræ epíscopi.

Lib de lign. Vitæ.

Lectio IX.

Porro, ut de látere Christi dormiéntis formarétur Ecclésia, divína est ordinatióne indúltum, ut unus mílitum láncea latus sacrum illud aperiéndo perfóderet, quátenus, sánguine cum aqua manánte, prétium effunderétur nostræ salútis, quod a fonte scílicet Cordis arcáno profúsum, vim daret sacraméntis Ecclésiæ ad vitam grátiæ conferéndam; essétque jam in Christo vivéntibus póculum fontis vivi, saliéntis in vitam ætérnam. Surge ígitur, ánima amíca Christi, vigiláre non cesses, ibi os appóne, ut háurias aquas de fóntibus Salvatóris.

Te Deum.

## AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis de Domínica.

Ant. Sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et Cor meum ibi cunctis diébus.

Ant. Et dixi: Ergo sine causa justificávi Cor meum, et lavi inter innocéntes manus meas, et fui flagellátus tota die.

Ant. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Ant. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut

signáculum super bráchium tuum.

Capitulum. Isaiæ 12.

Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gaudio de fóntibus Salvatóris.

Hymnus.

Cor, arca legem contínens
Non servitútis véteris
Sed grátiæ, sed véniæ,
Sed et misericórdiæ.

Cor, Sanctuárium novi
Intemerátum fœderis,
Templum vetústo sanctius,
Velúmque scisso utílius:

Te vulnerátum cháritas
Ictu paténti vóluit;
Amóris invisíbilis
Ut venerémur vúlnera.

Hoc sub amóris symbolo
Passus cruénta, et mystica,
Utrúmque sacrifícium
Christus sacérdos óbtulit.

Quis non amántem rédamet?
Quis non redémptus díligat,
Et corde in isto séligat
Ætérna tabernácula?

Decus Paréntí, et Fílio,
Sanctóque sit Spirítui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est sæculum. Amen.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit. ℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

Ad Benedictus, Antiph. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras; attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui in sanctíssimo dilécti Fílii tui Corde gloriántes præcípua in nos charitátis ejus benefícia recólimus: eórum páriter et actu delectémur, et fructu. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Primam, in ℟. brevi ℣. Qui passus es pro nobis, * Miserére nobis.

Ad Tertiam, Antiphona. Sanctificávi locum.

Capit. Ecce Deus Salvátor. ut supra.

℟. br. Vere * Languóres nostros ipse tulit. Vere. ℣. Et dolóres nostros ipse portávit. Languóres. Glória Patri. Vere. ℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Ad Sextam, Antiphona. Et dixi.

Capitulum. Isaiæ 12.

Dicétis in illa die: Confitémini Dómino; et invocáte nomen ejus; et me-

mentóte, quóniam excélsum est nomen ejus.

℟. br. Posuit * Fines tuos pacem. Posuit. ℣. Et ádipe fruménti sátiat te. Fines. Glória Patri. Posuit. ℣. Dirupísti, Dómine, víncula mea. ℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Ad Nonam. Antiphona. Pone me ut signáculum.

Capitulum. Isaiæ 12.

Cantate Dómino, quóniam mirífice fecit; annunciáte hoc in univérsa terra. Exúlta, et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

℟. br. Dirupísti, Dómine, * Víncula mea. Dirupísti. ℣. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. Víncula mea. Glória Patri. Dirupísti. ℣. Erit Dóminus nominátus in signum ætérnum. ℟. Quod non auferétur.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, præter: ℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

Ad Magnificat, Antiph. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum mórtuum, non fregérunt ejus crura; sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua.

Oratio ut supra in Laud.

## FESTA JUNII.

### DIE III.

### In festo S. Adalberti Episc. comens., et Confess.

Duplex.

Oratio Da, quæsumus.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Noct., Lect. Beáti Patris. de Communi Conf. Pontif. 2. loco.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Homo péregre. de eodem Communi 1. loco.

### DIE V. JUNII.

### In festo S. Eutychii Episc. comens., et Confess.

Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit commem. S. Francisci Caracciolo, Antiphona. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui beátum Francíscum novi órdinis in-

stitutórem, orándi stúdio, et pœniténtiæ amóre decorásti; da fámulis tuis in ejus imitatióne ita profícere, ut semper orántes, et corpus in servitútem redigéntes ad cœléstem glóriam perveníre mereántur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente:

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Eutychius epíscopus coménsis, octávus a sancto Felíce, a paréntibus sancte, et pie educátus, in morum integritáte, et doctrínæ laude ádeo profécit, ut Eusébio, et ipso epíscopo coménsi, vitæ múnere sanctíssime perfúncto, summo omnium consénsu in episcopátu sit suffféctus. Quæ dígnitas illi majóris in omnium virtútum itínere progressiónis faciéndæ fuit occásio: síquidem ad præcláras illas virtútes, quibus ánimum suum, dum privátam vitam ágeret, exornárat, eas étiam laudes, et ornaménta, quæ in Christi Ecclésiæ pastóribus requirúntur, aggregáre studiosíssime conténdit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

Cum autem Eutychius ad episcopátum máxime pertinére cognósceret, pro grege sibi commísso Deum indesinénter interpelláre; ut id libérius fáceret, árduam ejus montis, cui étiam nunc impósita ab ejus nómine crux ingens cérnitur, ex urbe solitúdinem petébat: ubi specu quodam, sive húmili cella inclúsus, quasi in spécula pro pátria, ovibúsque sibi créditis excúbias agens, solus cum Deo versabátur, jejúniis, oratiónibus, et lácrymis summo omnium pastóri placére sátagens: nec inde discedébat, nisi cum necessáriam, vel opportúnam Ecclésiæ præséntiam suam esse norat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

His ígitur sanctíssimis vitæ institútis cum Eutychius coménsem Ecclésiam complúres annos rexísset,

multis in rebus ejus sanctitáte divínitus declaráta, in præclára illa sua solitúdine obdormívit in Dómino. Ejus corpus, cum de eo lis, et conténtio inter cives orta esset, et a multis peterétur, plácuit pláustro impóni, et juvéncos indómitos alligári, ut quo traherétur ab ipsis, ibi tamquam in divínitus sibi designáto loco conquiésceret; qui præcípiti cursu in templum sancti Geórgii devenérunt: ubi post altáre majus in marmóreo sepúlchro cónditum, religióse a Christifidélibus cólitur: in quo sepúlchro inscúlptum est pláustri, et juvencórum corpus vehéntium præclárum testimónium.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi Conf. Pontif. 2 loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE VI. JUNII.

### In festo S. Eustorgii II. Episc., et Confess.

Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit comm. S. Eutychii, Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Eutychii Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In primo Nocturno. Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Eustórgius secúndus, magno vir ingénio, rerum divinárum stúdiis totus déditus, Lauréntio in archiepiscopátu mediolanénsi succédens, ad Ecclésiam sibi commíssam óptime regéndam eas áttulit virtútes, quæ cum religiónis offícijs con-

júnctæ salutáres fructus peperérunt. Fuit enim pietátis, æquitátis, et virtútum pastorálium cultor egrégius.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Florianum, e patre ímpio natum, ab última Pannónia Mediolánum proféctum, domi excépit, fide instrúxit, baptizávit, lítteris erudívit, diáconum fecit: qui deínceps Ecclésiæ hispalénsis epíscopus sanctitátis laude flóruit. Patrimónium vero Ecclésiæ deféndit, et auxit: baptistérium mirífico ópere ædificávit. Alia multa egit, in quibus spectáta ejus sanctitáte, in númerum confessórum relátus est. Quiévit in Dómino octávo idus június. Sepúltus est in basílica sancti Lauréntii.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi epíscopi.

Lectio vi.

Ad sancti, ac beatíssimi patris nostri Eustórgii, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi 1. loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, commem. præcedentis.

## DIE VII. JUNII.

In festo
S. Norberti Episc., et Conf.

(Ex hesterna die hodie assignato). Duplex.

Omnia ut in Breviario.

## DIE XVII. JUNII.

In festo S. Agrippini Episc. Comensis, et Confess.
Duplex.

Oratio Da, quæsumus.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lectiones de Communi Conf. Pontif. 1. loco.

## DIE XXI. JUNII.

In festo
S. Aloysii Gonzagæ, Conf.
Duplex.

Oratio.

Cœlestium donórum distribútor Deus, qui in angélico júvene Aloysio miram vitæ innocéntiam pari cum pœniténtia sociásti: ejus méritis, et précibus concéde; ut innocéntem non secúti, pœniténtem imitémur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Aloysius, Ferdinándi Gonzágæ Castelliónis Stiverórum Marchiónis fílius, festináto propter vitæ perículum baptísmo, prius cœlo, quam terris nasci visus, primam illam grátiam tam constánter retínuit, ut in ea confirmátus crederétur. A primo ratiónis usu, quo se Deo statim óbtulit, vitam duxit quotídie sanctiórem. Novénnis Floréntiæ ante aram beátæ Vírginis, quam paréntis loco semper hábuit, perpétuam virginitátem vovit, eámque insígni Dei benefício, nulla mentis, aut córporis pugna tentátam servávit. Réliquas ánimi perturbatiónes cœpit ætáte illa tam fórtiter comprímere, ut ne primo quidem eárum motu deínde incitarétur. Sensus étiam, óculos præcípue, ita cohíbuit, ut non modo illos nunquam in fáciem inténderit Maríæ austríacæ, quam plures annos inter honorários Hispaniárum príncipis ephébos fere quotídie salutávit; sed a matris étiam vultu continéret; homo proptérea sine carne, aut ángelus in carne mérito appellátus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Adjécit sénsuum custódiæ córporis cruciátum. Tria síngulis hebdómadis jejúnia, éaque plerúmque módico pane, et aqua tolerábat: quamquam perpétuum fuísse per id tempus ipsíus jejúnium vidéri pótest, cum ejus prándia ferme vix únciam æquárent. Sæpe étiam ter in die se fúnibus, aut caténis cruentábat; flagélla quandóque canum loris, cilícia equórum calcáribus supplévit. Mollem léctulum clam injéctis ásserum fragméntis asperábat, eo étiam, ut cítius ad orándum excitarétur. Magnam quippe noctis partem, summa étiam hyeme, solo tectus indúsio, pósitis humi génibus, vel præ languóre jácens, ac pronus in cœléstium contemplatióne traducébat. Intérdiu quóque tres, quatuor, quinque horas in ea perstábat immótus; donec unam saltem ánimo nusquam distrácto percurrísset. Cujus constántiæ præmium fuit stabílitas mentis inter orándum álio non vagántis, imo perpétua velut éxtasi in Deo defíxæ. Ei demum ut única adhæréret, victo post triennále acérrimum certámen patre, et avíti principátus jure in fratrem transláto, Societáti Jesu, ad quam cœlésti voce Matríti fúerat accítus, Romæ se adjúnxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio vi

In tyrocínio ipso virtútum omnium magíster habéri cœpit. Exactíssima in eo erat legum étiam minimárum custódia, mundi contémptus singuláris, implacábile ódium sui; Dei vero amor tam ardens, ut corpus étiam sensim absúmeret. Jussus proptérea mentem a divínis rebus tantísper avértere, occurréntem sibi ubíque Deum irríto conátu fugiébat. Mira étiam próximos charitáte ampléxus, in públicis, quibus alácriter ministrábat, nosocómiis con-

tagiósam luem traxit. Qua lente consúmptus, die, quam predíxerat, undécimo kaléndas július, ætátis anno quarto et vigésimo jam inchoáto, cum antea flagéllis cædi, atque humi stratus mori postulásset, migrávit in cœlum. Ibi eum sancta María Magdaléna de Pazzis tanta frui glória, Deo monstránte, vidit, quantam vix esse in cœlo credidísset; ipsúmque sanctimónia insígnem, et charitáte mártyrem incógnitum fuísse prædicávit. Multis étiam, magnísque cláruit miráculis. Quibus rite probátis, Benedíctus decimustértius sanctórum fastis angélicum júvenem adscrípsit, atque innocéntiæ, et castitátis exémplar simul, et patrónum studiósæ præsértim juventúti dedit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii — Cap. 22.

In illo témpore: Respóndens Jesus, ait Sadducæis: Errátis nesciéntes Scriptúras, neque virtútem Dei; in resurrectióne enim neque nubent, neque nubéntur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lib. de Virg.

Virgínitas est bona: id ego quóque fáteor. Atque núptiis étiam mélior; et istud tibi asséntior: ac si libet, illud adjúngam, tanto núptiis eam præstáre, quanto cœlum terræ, quanto homínibus Angeli antecéllunt; ac, si quid prætérea addéndum est, étiam Angelis. Nam si neque nubunt Angeli, neque uxórem ducunt, non étiam carne, et sánguine coagmentáti sunt: in terris prætérea non commoréntur; non cupiditátum, aut libídinum perturbatiónibus sunt obnóxii: non cibi índigent, aut potus: non sunt ejúsmodi, ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut præclára spécies possit allí-

cere; nulla dénique ejus géneris illécebra capiúntur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

At humánum genus, cum natúra beátis illis méntibus inférius sit, omni vi, studióque conténdit, ut quoad ejus fíeri pótest, illas assequátur. Quómodo? non nubunt Angeli; at neque étiam virgo. Assisténtes illi semper ad Deum, eídem insérviunt; et istud ipsum virgo. Quod si vírgines, quámdiu córporis ónere deprimúntur, quemádmodum Angeli in cœlum néqueunt ascéndere; illud eo vel máximo solátio compénsant, quod, modo spíritu, et córpore sancti sint, cœli Regem recípiunt. Vidésne virginitátis præstántiam; quómodo terrárum íncolas sic affíciat, ut qui córpore vestíti sunt, eos incorpóreis méntibus exæquet?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Qua enim, quæso, re differébant ab ángelis Elías, Eliséus, Joánnes, veri hi virginitátis amatóres? nulla, nisi quod mortáli natúra constábant. Nam cætera si quis diligénter inquírat, hi nihilóminus affécti reperiéntur, quam beátæ illæ mentes: et idípsum, quo inferióre conditióne vidéntur esse, in magna est eórum laude ponéndum. Ut enim terrárum íncolæ, et ii qui essent mortáli natúra, possent ad illam virtútem vi, et contentióne perveníre; vide quanta eos fortitúdine, quanta vitæ ratióne prædítos fuísse opórteat. Te Deum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE XXII. JUNII.

In festo S. Exuperantii Episc. comens., et Confess.

Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit commem. S. Aloysii, Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Cœlestium donórum distribútor Deus, qui in angélico júvene Aloysio miram vitæ innocéntiam pari cum pœniténtia sociásti: ejus méritis, et précibus concéde; ut innocéntem non secúti, pœniténtem imitémur.

Deinde S. Paulini Episc., et Confess., Ant. Euge, serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Paulíni Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lect. de Communi Conf. Pontif. 2. loco.

Pro S. Paulino Episcopo, et Confess. Lectio IX.

Paulínus Nolæ epíscopus, erudítus stúdiis humanitátis, doctus étiam divínis lítteris, multa elegánter, et ornáte scripsit vérsibus, et solúta oratióne. Hujus viri cháritas præcípue celebrátur, quod vastáta a Gothis Campánia, omnem facultátem, ne relíctis quidem sibi rebus ad vitam necessáriis, in aléndos páuperes, et captívos rediméndos contúlerit. Quo témpore, ut scribit sanctus Augustínus, ex opulentíssimo dívite voluntáte paupérrimus, et copiosíssime sanctus, captus a bárbaris sic Deum precabátur: Dómine, ne excrúcier propter aurum, et argéntum: ubi enim sint ómnia mea, tu scis. Póstea vero Vándalis eásdem regiónes infestántibus, cum ab eo pósceret vídua ut fílium sibi redímeret, con-

súmptis rebus ómnibus in offício pietátis, seípsum pro illo in servitútem trádidit. ¶ Igitur in Africam profé-ctus, dómini sui, qui regis erat gener, hortum coléndum suscépit. Verum cum prophetíæ dono regis mortem ipsi dómino prædixísset, et rex in somnis Paulínum sedéntem médium inter duos júdices, sibíque de mánibus eripiéntem flagéllum vidísset; tantus vir cógnitus honorificentíssime dimíssus est, condonátis ei ómnibus suis cívibus, qui captívi fúerant. Nolam revérsus ad episcopále offícium, cum verbo, et exémplo omnes ad pietátem christiánam inflammáret, láterum dolóre corréptus est; mox cubículum, in quo jacébat, terræmótu contrémuit, ac paulo post ánimam Deo réddidit. Te Deum.

In Laudibus fit commem. S. Paulini. Ant. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio. Da, quæsumus. ut supra.

## DIE XXIX. JUNII.

### IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI, ET PAULI.

Extra Helvetiam fit Commemoratio omnium Ss. Apostolorum.

In primis Vesperis. Ant. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ante reges, et præsides ducémini propter me in testimónium illis, et Géntibus.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis; eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Ad Laudes. Antiphona. Vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio ut supra.

In secundis Vesperis. Ant. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo ser-

pénte: et accipiétis regnum ætérnum.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio ut supra.

FESTA JULII.

DIE VII.

In festo S. Consulis Episc. comens., et Confess.

Duplex.

Oratio Da, quæsumus.

Et fit comm. diei Octavæ Ss. Apostolorum Petri, et Pauli. Ant. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram.

℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit: et coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde; ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lectiones de Communi Conf. Pontif. 1. loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE VIII. JULII.

In festo S. Ampellii Episc., et Conf.

Duplex.

In Hymno Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio. Exáudi.

Et fit comm. S. Consulis, Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Cónsulis Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Ampéllius, præter singuláres eximiásque virtú-

tes, cláruit étiam magnis crebrísque miráculis, tum in vita, tum postquam in cœlum migrávit. Ideo ad sepúlchrum ejus assídui fiébant concúrsus ob vim salutíferam, quæ inde manábat. In basílica sancti Simpliciáni illíus corpus asservátur; quod una cum áliis sanctórum corpóribus ibídem quiescéntibus a sancto Cárolo cardináli archiepíscopo, frequénti episcopórum, abbátum cassinénsium, populorúmque concúrsu per urbem circumlátum est, atque honorificentíssime in eádem basílica tumulátum.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Sermo
sancti Máximi epíscopi.

Lectio V.

BEATI patris Ampéllii mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

QUANTIS hic cæcis a via veritátis erràntibus, et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum, et illum, quo Christus viderétur, reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cœléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrínsecus vulnerátos, angélici oris arte, et oratiónum ab infirmitáte curávit?

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est,

et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

In Vesperis commem. sequentis.

## DIE IX. JULII.

IN FESTO S. ELISABETH REGINÆ PORTUGALLIÆ, VIDUÆ.

(Ex hesterna die hodie assignato). Semiduplex.

Omnia ut in Breviario.

## DIE XI. JULII.

IN FESTO S. HERMAGORÆ EPISC. ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Hermágoræ Mártyris tui, atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Septem Fratrum, etc. Martyr., Ant. Gáudent in cœlis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Deinde S. Pii Papæ, et Martyr., Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Pii Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lectiones de Communi unius Martyris 1. loco.

Pro S. Pio Papa, et Martyr.
Lectio IX.

PIUS aquilejénsis, imperatóre Antoníno Pio, Póntifex creátus pœnam státuit in sacerdótem, cujus negligéntia de sánguine Dómini áliquid stilláverit. Pœniténtiam enim, inquit, agant quadragínta diébus, si in terram áliquid decíderit: si super altáre, tribus diébus: si super línteum supérius, quátuor: si in inférius deflúxerit, novem diébus: si usque ad quartum, vigínti diébus: ubicúmque cecíderit, si récipi potest, lambátur: sin áliter, aut lavétur, aut radátur: quidquid lotum, aut rasum est, comburátur, et cinis in sacrárium reponátur. Multis prætérea utíliter decrétis martyrio coronátur, et sepelítur in Vaticáno, quinto idus júlii: cum sedísset annos novem, menses quinque, dies vigínti septem, et presbyteros decem et octo, diáconos vigínti unum, epíscopos per divérsa loca duódecim, mense decémbri quinque ordinatiónibus creásset.

Te Deum.

In Laudibus fit commem. S. Pii, Antiph. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio. Infirmitátem. ut supra.

## DIE XVIII. JULII.

### IN FESTO S. MATERNI EPISC., ET CONFESS.
Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Alexii Confess., Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Aléxii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur.

Deinde Ss. Symphorosæ, et Filiorum ejus Martyrum, Ant. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi,

et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Symphorósæ, et Filiórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Matérnus, Medioláni epíscopus, Maximiáno imperatóre, pro fide Christi, proque Ecclésia sibi commíssa aliquándo caténis vinctus, intérdum in cárcerem detrúsus, sæpe verbéribus acerbíssime cæsus, firmo ánimi róbore cœlestíque constántia in perferéndis cruciátibus communítus: tum in pópuli sibi concréditi perturbatióne ab ímpiis tyránnis excitáta, magnis labórum contentiónibus ad eum confirmándum perfúnctus est, magna cum significatióne divínæ pietátis suæ.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

Qua pietáte incénsus, beátos Mártyres Carpóphorum, et Fidélem ad urbem Novocómum misit, ubi pro glória Christi dimicárent. Sanctum prætérea Victórem, qui Medioláni strénue martyrium obíerat, mánibus suis sepelívit. Meliodórum Dertónæ epíscopum consecrávit. Dénique ipse præcláris, ac multis fídei confessiónibus nobilitátus, Ecclésia mediolanénsi duódecim annis sancte administráta, quiévit in Dómino. Cujus corpus pie recónditum est in basílica sanctórum Náboris, et Felícis.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo
sancti Máximi epíscopi.

Lectio VI.

Ad sancti, ac beatíssimi patris nostri Matérni, cujus hódie festa celebrámus, lau-

des addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi 1. loco.

Pro Ss. Symphorosa, et Filiis ejus Martyribus.

Lectio ix.

SYMPHORÓSA Tiburtína, Getúlii mártyris uxor, ex eo septem fílios péperit, Crescéntium, Juliánum, Nemésium, Primitívum, Justínum, Stácteum, et Eugénium: qui omnes propter christiánæ fídei professiónem una cum matre, Adriáno imperatóre, comprehénsi sunt. Quorum píetas multis variísque tentáta supplíciis, cum stábilis permanéret; mater, quæ fíliis fídei magístra fúerat, dux eísdem ad martyrium éxtitit. Nam saxo ad collum alligáto, in profluéntem dejícitur: cujus corpus conquisítum a fratre ejus Eugénio sepelítur. Postrídie ejus diéi, qui fuit decimoquínto kaléndas augústi, septem fratres singuli ad palum alligáti, várie sunt interfécti. Crescéntio guttur ferro transfígitur: Juliáno pectus confóditur: Nemésio cor transverberátur: Primitívo trajícitur umbilícus: Justínus membrátim secátur: Stácteus telis confígitur: Eugénius a péctore in duas partes divíditur. Ita octo hóstiæ Deo gratíssimæ sunt immolátæ. Córpora in altíssimam fóveam projécta sunt via Tiburtína, nono ab Urbe lápide: quæ póstea Romam transláta, cóndita sunt in ecclésia sancti Angeli in Piscína. Te Deum.

In Laudib. fit commem. Ss. Symphorosæ, et Filiorum ejus Mart., Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére; multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Deus, qui nos concédis. ut supra.

## DIE XXI. JULII.

In festo
S. Camilli de Lellis Confess.

(Ex die 18 hujus mensis hodie assignato). Duplex.

Omnia ut in Breviario. p. —— cum Lectione ix. S. Praxedis Virg., et ejusdem commem. in primis Vesperis, et Laudibus.

## DIE XXIV. JULII.

In festo
S. Margaritæ Virg., et Mart.

(Ex 20. die hujus mensis, sub qua habetur in Breviario ritu simplici, hodie assignato). Duplex.

Oratio.

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Margaríta Virgo, et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxtitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Apollinaris Episc., et Mart., Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, qui hunc diem beáti Apollináris sacerdótis tui martyrio consecrásti: tríbue nobis, quæsumus, fámulis tuis; ut, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur.

Deinde S. Christinæ Virg., et Martyr., Ant. Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quæerénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Christínæ Vírginis, et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, Le-

ctiones de Communi Virginum 1. loco.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 13. f

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii papæ.

Homil. 11. in Evang.

Cœlórum regnum, fratres charíssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro comparátur: quem qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et veniénte.

Lectio VIII.

Qua in re hoc quóque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur: quia stúdium cœléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desíderat qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit: Vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est: sed ut per hoc quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto: ut et de bono ópere próximis præbeámus exémplum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærimus, semper optémus secrétum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.
℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Pro Vigilia
S. Jacobi Apostoli.
Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Lectio ix. Cap. 15. b

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía
sancti Gregórii Papæ.
Homilia 27. in Evangelia.

Cum cuncta sacra elóquia domínicis plena sint præcéptis, quid est quod de dilectióne, quasi de singulári mandáto, Dóminus dicit: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem; nisi quia omne mandátum de sola dilectióne est: et omnia unum præcéptum sunt? quia quidquid præcípitur, in sola charitáte solidátur. Ut enim multi árboris rami ex una radíce pródeunt: sic multæ virtútes ex una charitáte generántur. Nec habet áliquid viriditátis ramus boni óperis, si non manet in radíce charitátis.
Te Deum.

In Laudibus fit commem. ejusdem Vigiliæ S. Jacobi, pro qua Antiphona, et ℣. sumuntur de Psalterio.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem.

Deinde S. Christinæ, Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.
℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.
Oratio, Deus, qui inter cétera. ut supra.

## DIE XXVIII. JULII.

In festo B. Antonii
ab Ecclesia
de S. Germano, Conf.
Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui beatum Antónium Confessórem tuum divíno amóre inflammásti: accénde, quæsumus, eo intercedénte, in córdibus no-

stris ignem tuæ charitátis, ut te diligéntes in terris, gáudiis ætérnis perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno

Lectio iv.

Antónius nóbili génere natus in óppido prope Vercéllas, quod a sancto Germáno nomen duxit, in Insúbriæ fínibus, totum ab ineúnte ætáte oratióni ac litterárum stúdio se dédidit. Hinc ardentíssimo desidério flágrans prædicatórum órdini sese addicéndi, reluctántis patris oppositiónibus bona cum venia superátis, illum tandem Vercéllis ampléxus est. Eo suscépto institúto, exultávit ut gigas ad curréndam perfectiónis viam, tantóque ánimi fervóre humilitáti suíque ipsíus abnegatióni, tum étiam oratióni ac divinárum rerum stúdio sese devóvit, ut brevi et sanctitátis exémplum, et sacrárum sciéntiárum doctíssimus eváserit. Paupertátem, obediéntiam ac regulárem disciplínam severíssime cóluit; castitátem vero tum solertíssima sénsuum custódia, tum assídua carnis maceratióne semper illibátam servávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Sacris ordínibus initiátus promovéndæ Dei glóriæ, hominúmque salúti, prædicatióne, consíliis ac Sacraméntis omnem navávit óperam: in quo quidem usque ad últimum vitæ éxitum tanta prudéntia, lenitáte ac solicitúdine se exércuit, ut nemo tam pervícax esset, qui non mélior factus, aut tristis ab eo discéderet; ipsámque Novocómi civitátem, in qua tunc corrúpti mores irrépserant, ad bonam frugem revocávit. Quamvis autem honóres, ac præfectúras summópere aversarétur, tamen præsidum jussu eas gérere coáctus est Novocómi, Savónæ, Sarníæ, Floréntiæ atque Bonóniæ; et ubíque regulárem observántiam verbo et exémplo restítuit. Savóna proféctus a pirátis captus fuit, ac mirífice liberátus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio vi.

Dono prophetíæ, sanitátum, ac discretiónis spirítuum divínitus ditátus est. Floréntiæ muto a nativitáte loquélam impetrásse, pluresque undequáque ægrotántes a difficíllimis morbis sua tantum benedictióne sanásse fertur. Olim visus est sénsibus alienátus dúlcia cum Deípara habére collóquia, refulgénte divíno quodam splendóre cubículo. Novocómum revocátus impendéntem suum óbitum prænuntiávit, morbóque corréptus inter adstántium lácrymas placidíssime quiévit in Dómino, anno reparatiónis millésimo quadringentésimo quinquagésimo nono, annos natus quinque et sexagínta. Ejus funus ingénti pópuli accúrsu, et complúribus signis illustrátum fuit; sacræ autem ejus exúviæ recónditæ in ecclésia sancti Joánnis prope Novocómum: unde die vigésima octáva quintílis anni millésimi octingentésimi décimi ad parochiálem sancti Germáni ecclésiam solémni ritu translátæ fuérunt. Beáti cultum ab illíus óbitu incœptum Pius Séptimus Póntifex Máximus rite approbávit, indulsítque, ut in utráque diœcési, novocoménsi scílicet, ac vercellénsi, nec non ab univérso prædicatórum órdine beáti Antónii memória cum officio, et missa quinto kaléndas augústi, illíus translatiónis die, quotánnis recolátur.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno Hom. in Evang. Sint lumbi vestri, de Communi Confess. non Pontif. 1. loco.

## DIE XXX. JULII.

### In festo Ss. Nazarii, Celsi, et Victoris Martyrum, ac Innocentii Papæ, et Conf.

(Ex die 28. hujus mensis hodie assignato). Semidupl.

Omnia ut in Breviario, cum Lectione nona Ss. Abdon, et Sennen Martyr., et eorumdem commemorat. in primis Vesperis, et Laudibus; pro qua Antiph., et ℣℣. variantur.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XXXI. JULII.

### In festo S. Calimerii Episc., et Mart.

Duplex.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Calimérii Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Nazarii, Celsi, etc., Antiph. Gáudent in cœlis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

Sanctórum tuórum nos, Dómine, Nazárii, Celsi, Victóris, ac Innocéntii conféssio beáta commúniat: et fragilitáti nostræ subsídium dignánter exóret. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Calimérius, nóbili génere in Græcia natus, Romæ educátus, inde Mediolánum venit: ubi a beáto Castritiáno benígne excéptus, cognitáque illíus morum sanctitáte, et doctrína, in basílicæ faustiniánæ clero adscríbitur. In cujus cleri collégio dum fuit, cæteris pietáte prælúxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Itaque post beáti Castritiáni óbitum, præclára virtútum laude florens, dignus hábitus est, qui in illíus locum epíscopus suffféctus, ecclésiam mediolanénsem gubernáret. Quod sane munus usque ádeo recusáre conténdit, ut caténis vinctus ad illud accésserit. Post vero, etiámsi episcopálem

curam, et dignitátem coáctus suscéperit, non solum Ecclésiam sibi commissam religióne, et doctrína illustrávit: sed Ligúriam ómnem prædicatióne, sanctéque factórum exémplis Christo Dómino adjúnxit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi.

Quamóbrem in Antoníni, et Commódi persecutióne comprehénsus, a fídei hóstibus primum várie cruciátus, demum vulnéribus confóssus, cervicibúsque gládio transverberátis, præceps in púteum dejéctus, ad martyrii palmam ábiit in cœlum, prídie kaléndas augústi. Ejus corpus sepúltum est in basílica nómini suo extrúcta: in qua altáre áureum ob Mártyris memóriam Thomas archiepíscopus faciéndum curávit. Séptimo póstea provinciáli concílio, magno episcopórum número populorúmque concúrsu, sancti Calimérii corpus a Federíco cardináli archiepíscopo translátum, et in prístina sede honestíssime collocátum fuit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Hom. in Evang. **Si quis venit.** de Communi unius Martyris I. loco.

## FESTA AUGUSTI.

### DIE III.

In festo Inventionis S. Stephani Protomartyris. Duplex.

Omnia ut in Breviario.

### DIE VII. AUGUSTI.

In festo Ss. Carpophori et Sociorum ejus, Martyr. Duplex.

Oratio.

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, supplicántem propítius réspice: ut quæ, te inspiránte, depóscit, bea-

tórum Mártyrum tuórum Carpóphori, et Sociórum ejus patrocínio consequátur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Donati Episc. et Martyr. Antiph. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Deus, tuórum glória sacerdótum: præsta, quæsumus; ut sancti Mártyris tui, et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Carpóphorus, et Exánthus Maximiáni imperatóris familiáres, audiéntes admiránda virtútis christiánæ ópera, quæ sancti Christi mártyres Cássius, Sevérus, Secúndus, Licínius, et Alexánder Medioláni agébant in cárcere, ubi pro Christi confessióne inclúsi tenebántur, ad eos, deliníto Sylláno cárceris custóde, pervenire studuérunt. Igitur, pace sibi ínvicem in ósculo sancto data, atque in Dómino confortáti, rediérunt ad régiam líbere Deum confiténtes, et deórum simulácra detestántes.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida: et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

Quod cum cognovísset sanctus Matérnus mediolanénsis epíscopus, eos Christi fide roborávit, et ad liberándos e cárcere sanctos animáre non déstitit. Assúmpto ítaque in hujus rei societátem sancto Fidéle, mártyres Dei edúcunt e vínculis, Mediolanóque nocte discedéntes, Comum iter dirrexérunt: et cum non longe ab urbe constitíssent, virum quemdam, qui efferebátur mórtuus ad sepultúram, oratiónibus suis ad vitam revocavérunt; qui statim clamáre cœpit, unum Deum, et verum esse, quem sancti illi cólerent, et idóla nihil

áliud esse, quam dæmonum domicilia.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio vi.

Profecti inde locum, qui Sylvula dícitur, mille passus ab urbe, ibi aliquámdiu latuérunt oratiónibus vacántes; sed, digrésso ab eis Fidéle, Maximiánus cum factum rescivísset, ab áliquot satellítibus, qui eos ínsequi, et, ni Deos veneraréntur, divérsis supplíciis afféctos interfícere jussi erant, in eódem loco comprehendúntur. Sed cum nullis tormentórum minis de pia senténtia dimovéri possent, virgis concidúntur, tum únguibus férreis dilaniántur. Demum in sancto propósito perseverántes, cápite obtruncáto, martyrii cursum præcláre confecérunt. Sepúlti sunt in eódem loco: et divo Carpóphoro póstea célebre templum a Luitprándo Langobardórum rege constrúctum est, quod étiam aliquándo septem órdinum appellátum fuit, ubi nunc requiéscit cum Sóciis.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum, et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 5.

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem. Et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni epíscopi.

Lib. 1. de Serm. Domini in monte sub initium.

Si quæritur, quid signíficet mons, bene intellígitur significáre majóra præcépta justítiæ, quia minóra erant quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophétas, et fámulos suos, secúndum ordinatíssimam distributiónem témporum, dedit minóra præcépta pópulo, quem adhuc

timóre alligáre oportébat: et per Fílium suum majóra pópulo, quem charitáte jam liberári convénerat. Cum autem minóra minóribus, majóra majóribus dantur, ab eo dantur, qui solus novit congruéntem suis tempóribus géneri humáno exhibére medicínam.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fídes. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia.

Lectio VIII.

Nec mirum est, quod dantur præcépta majóra propter regnum cœlórum, et minóra data sunt propter regnum terrénum, ab eódem uno Deo, qui fecit cœlum, et terram. De hac ergo justítia, quæ major est, per Prophétam dícitur: Justítia tua sicut montes Dei. Et hoc bene signíficat, quod ab uno magístro, solo docéndis tantis rebus idóneo, docétur in monte. Sedens autem docet, quod pértinet ad dignitátem magistérii. Et accédunt ad eum discípuli ejus, ut audiéndis illíus verbis hi essent étiam córpore vicinióres, qui præcéptis adimpléndis étiam ánimo propinquábant. Et apériens os suum docébat eos, dicens. Ista circumlocútio, qua scríbitur: Et apériens os suum, fortássis ipsa mora comméndat aliquánto longiórem futúrum esse sermónem. Nisi forte non vacet, quod nunc eum dictum est aperuísse os suum, quod ipse in lege véteri aperíre soléret ora Prophetárum.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Pro S. Donato Episcopo, et Martyre. Lectio IX.

Donatus, paréntibus propter Jesu Christi fidem interféctis, Arrétium in Etrúria cum Hilaríno mónacho ex fuga se cóntulit: cujus étiam urbis epíscopus creátus est. Ubi cum a Quadratiáno præfécto in Juliáni persecutióne utérque idóla venerári juberétur, negántibus illis se tam nefárium scelus commissúros, Hilarínus in óculis Quadratiáni

támdiu fústibus cæsus est, dum effláret ánimam: Dónátus veheménter et ipse cruciátus, gládio percússus est. Quorum córpora a Christiánis prope eam urbem honorífice sepúlta sunt.

Te Deum.

Si contingat transferri, legatur sequens.

Lectio IX.

QUID ergo dicit? Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Légimus scriptum de appetitióne rerum temporálium: Omnia vánitas, et præsúmptio spíritus. Præsúmptio autem spíritus, audáciam, et supérbiam signíficat. Vulgo étiam magnos spíritus supérbi habére dicúntur: et recte, quandóquidem spíritus étiam ventus vocátur. Unde scriptum est: Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum. Quis vero nésciat, supérbos inflátos dici, tamquam vento disténtos? Unde est étiam illud Apóstoli: Sciéntia inflat, cháritas vero ædíficat. Quaprópter recte hic intelligúntur páuperes spíritu, húmiles, et timéntes Deum, idest, non habéntes inflántem spíritum.

Te Deum.

In Laudibus fit commem. S. Donati, Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, tuórum, ut supra.

## DIE IX. AUGUSTI.

### IN FESTO S. IGNATII CONFESS.

(Ex die 31. Julii hodie assignato). Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Reliqua ut in Breviario, cum Lectione nona Homiliæ Vigiliæ S. Laurentii Martyris, et commem. ejusdem Vigiliæ in Laudibus, ac S. Romani Martyr. in primis Vesperis, et Laudib.

## DIE XI. AUGUSTI.

### IN FESTO S. CAJETANI CONFESS.

(Ex die 7. hujus mensis hodie assignato). Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Reliqua ut in Breviario, cum Lectione nona Ss. Ti-

burtii, et Susannæ Martyr., et commem. Octavæ S. Laurentii in utrisque Vesperis, et Laudibus, ac eorumdem Ss. Martyrum in primis Vesperis, et Laudibus.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE XII. AUGUSTI.

### IN FESTO S. EUSEBII EPISC., ET CONFESS.

Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit commem. S. Cajetani Confess., Ant. Quærite primum regnum Dei, et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti: da nobis ejus intercessióne, et exémplo in te semper confídere, et sola cœléstia desideráre.

Deinde Octavæ S. Laurentii Martyr., Antiph. Beátus Lauréntius dum in cratícula superpósitus urerétur, ad impiíssimum tyránnum dixit: Assátum est jam, versa, et mandúca: nam facultátes Ecclésiæ, quas requíris, in cœléstes thesáuros manus páuperum deportavérunt.

℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est.

℟. Qui per signum crucis cæcos illuminávit.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas extínguere: qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum.

In primo Nocturno. Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Eusébius, ab ineúnte ætáte stúdiis pietátis imbútus, sanctæ Religiónis offícia in omni vita miríficè coluit. Diáconus cum esset, cálicem præcláro ópere e crystállo conféctum, in solémni sacri diei celebritáte cum ad altáre ferret de mánibus casu delápsum comminuit. Fragménta ígitur mœrens collégit, in altaríque collocávit: ubi ardénti íntima prece, et sancti Lauréntii mártyris patrocínio, quod lacrymárum vi imploráre conabátur, cálicem só-

lidum, et intégrum divínitus accépit. Cujus benefícii recordatióne, et pietátis religióne ductus, sanctum mártyrem Lauréntium præcípua veneratióne patrónum delégit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Factus archiepíscopus, ecclésias, bárbara impietáte vastátas, ac pollútas, ipse resarciéndas impénse curávit, et statis précibus rite consecrávit: eámque ob cáusam consacratiónis celebritátem mense octóbri, domínico die tértio, solémniter agi instítuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Libros porro divinórum officiórum, belli incéndio inflammátos, restítuit; cleri disciplínam ad religiósos mores revocávit. Synodum provínciæ hábuit: in qua, præter céteros epíscopos, tres interfuérunt et doctrínæ, et sanctitátis nómine illústres, Máximus taurinénsis, Críspinus papiénsis, et Abúndius coménsis. Demum, Ecclésia mediolanénsi pie administráta, sacrísque rítibus exornáta, rerum divíne gestárum, vitæque sanctíssime actæ glória nóbilis obdormívit in Dómino, et in basílica laurentiána cónditus est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi Confess. Pontif. 2. loco.

In Laudibus fit commem. Octavæ S. Laurentii. Ant. In cratícula te Deum non negávi; et ad ignem applicátus, te Christum conféssus sum: probásti cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

℣. Dispérsit, dedit pau-

péribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas extínguere: qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, commem. præcedentis, etc.

## DIE XIII. AUGUSTI.

### In festo S. Claræ Virg.

(Ex hesterna die hodie assignato). Duplex.

Omnia ut in Breviario, cum Lectione ix. Ss. Hippolyti, et Cassiani Martyr.; et commem. Octavæ S. Laurentii in utrisque Vesperis, et Laudibus, ac eorumdem Ss. Martyrum in primis Vesperis, et Laudibus.

## DIE XVI. AUGUSTI.

### In festo S. Rochi Confess.

Duplex.

Ad Magnificat, Antiph. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Pópulum tuum, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi; et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ, et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Rochus in monte Pessuláno natus, quanta in próximum charitáte flagráret, tum máxime osténdit, cum sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, patria relícta, itálicam peregrinatiónem suscépit; urbésque, et óppida péragrans, seípsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium, quam gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum fuit. Complúres enim pestiléntia inféctos e mortis perículo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus, et méritis dives sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio Fidélium: quæ in constantiénsi deínde con-

cílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum ad propulsándam ingruéntem luem, Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem, epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirífice propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus Octávus Póntifex Máximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent ecclésiæ sancti Rochi nómine Deo dicátæ, offício ecclesiástico celebrarétur, indúlsit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Ex tractátu sancti Augustíni epíscopi in epístolam primam Joánnis.

Tractatu 5. in cap. 3.

Lectio v.

Perfécta ista cháritas est, ut parátus sit mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhíbuit mórtuus pro ómnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebátur, et dicens: Pater, ignósce illis, quia nésciunt, quid fáciunt; sed si solus hoc fecit, non erat magíster, si discípulos non habébat. Si quis tantam habúerit charitátem, ut parátus sit pro frátribus étiam mori, perfécta est in illo cháritas. Sed numquid mox, ut náscitur, jam prorsus perfécta est? Ut perficiátur, náscitur; cum fúerit nata, nutrítur; cum fúerit nutríta, corroborátur; cum fúerit roboráta, perfícitur; cum ad perfectiónem vénerit, quid dicit? Mihi vívere Christus est, et mori lucrum: Optábam dissólvi, et esse cum Christo. Multo enim magis óptimum, manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vívere, pro quibus parátus erat mori.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio vi.

Hæc est perféctio charitátis, et major omníno non potest inveníri; sed quia non in ómnibus perfécta

est, et desperáre non debet, in quo perfécta non est, si jam nata est, quæ perficiátur, et útique si nata est, nutriénda est, et quibúsdam suis nutriméntis ad perfectiónem própriam perducénda. Quæsívimus inchoatiónem charitátis unde incípiat, et ibi contínuo invénimus: Si quis habet facultátes hujus mundi, et víderit fratrem suum egéntem, et cláuserit víscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hic íncipit ista cháritas, fratres, ut de suis supérfluis tríbuat egénti in angústiis alíquibus constitúto: ex eo quod sibi abúndat, secúndum tempus a tribulatióne temporáli líberet fratrem: hinc exórdium est charitátis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei, et spe futúræ vitæ nutríeris, pervénies ad illam perfectiónem, ut parátus sis ánimam tuam pónere pro frátribus tuis.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Nolíte timére. de Communi Confess. non Pontif. 2. loco.

In Laudibus fit commem. Octavæ Assumptionis B. M. V., Ant. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℣. Exaltáta est sancta Dei génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cœléstia regna.

Oratio.

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce: ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur.

Deinde Octavæ S. Laurentii, Antiph. In craticula te Deum non negávi; et ad ignem applicátus, te Christum conféssus sum: probásti cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, vitió-

rum nostrórum flammas extínguere: qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum.

## DIE XVIII. AUGUSTI.

### In festo S. Simpliciani Episc., et Conf.

(Ex die 16. hujus mensis hodie assignato). Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. diei Octavæ S Laurentii, Antiph. Beátus Lauréntius, dum in cratícula superpósitus urerétur, ad impiíssimum tyránnum dixit: Assátum est jam, versa, et mandúca: nam facultátes Ecclésiæ, quas requíris, in cœléstes thesáuros manus páuperum deportavérunt.

℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est.

℟. Qui per signum crucis cæcos illuminávit.

Oratio.

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, cui beátus Lauréntius Levíta servívit: ut eódem nos repléti, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit.

Deinde Octavæ Assumptionis, Antiph. Hódie María Virgo cœlos ascéndit: gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℣. Exaltáta est sancta Dei génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cœléstia regna.

Oratio.

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce: ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur.

Postea S. Agapiti Martyr., Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis: atque ejus précibus gloriósis et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SIMPLICIANUS, ab ineúnte ætáte stúdiis déditus, Deo ita sancte vixit, ut pietátis étiam cáusa deínceps multas peragráverit partes. Romam proféctus, vitæ exémplo, et doctrínis, piáque solértia Victorínum rhétorem, apud Romános auctoritáte floréntem, ab impúra superstitióne ad Christi fidem convértit. Inde Mediolánum revérsus, relíquias Apostolórum áttulit. Tanta autem virtúte prælúxit, ut ei multum tribúerint sancti viri Augustínus, et Ambrósius. Hic cum gráviter ægrótans non longe ab óbitu abésset, voce ter emíssa eum dignum putávit, qui sibi succéderet.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

ARCHIEPÍSCOPUS ígitur factus, Ecclésiam sibi commíssam divinórum officiórum rítibus, pietatísque ornaméntis auxit. Sanctum Gaudéntium primum Nováriæ epíscopum consecrávit. Doctrínæ autem, ac sanctitátis nómine usque ádeo illústris fuit, ut de re dúbia eum synodi carthaginiénsis patres consulúerint. Demum multis labóribus pro glória Dei perfúnctus, méritis cumulátus migrávit ad Dóminum.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi epíscopi.

Lectio vi.

AD sancti, ac beatíssimi patris nostri Simpliciáni, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus

repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi 1. loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis, et Octavæ Assumptionis.

## DIE XIX. AUGUSTI.

In festo S. Hyacinthi Conf.

(Ex die 16. hujus mensis hodie assignato). Duplex.

Omnia ut in Breviario, cum commem. Octavæ Assumptionis in Laudibus, et Vesperis.

## DIE XXXI. AUGUSTI.

In festo S. Abundii Episc. comens., et Confess., Patroni principalis sanctæ Novocomensis Eccl.

Duplex 1. Classis cum Octava.

In Hymno. Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Ad Magnificat in utrisque Vesp., et ad Benedictus, Ant. Sancte Abundi Præsul, coménsem Ecclésiam prótege, quo te protegénte fiat cuncta redúndans copia, quam pastoráli quondam rexísti doctrína.

℣. Ora pro nobis, sancte Abundi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Interveniénte, quæsumus, Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice; nos divína grátia prævéniat, et sequátur, atque ab univérsis offénsis tueátur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. Fidélis sermo. de Communi Confess. Pontif. 1. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Abundius, qui penes áliquos et Abundántius, patria thessalonicénsis, in locum Amántii coménsis epíscopi creátus, tanto doctrínæ, et sanctitátis splendóre fulgébat tunc témporis, cum Eutychii, et Nestórii falsum dogma fervéret, ut a Leóne primo Pontífice máximo, cum Astério epíscopo, et Basilío, et Senatóre presbyteris ad Theodósium Augústum pro rebus Ecclésiæ sit destinátus, ut ex Leónis epístolis constat. Quantæ autem eruditiónis, et indústriæ

fúerit, et in hærésibus confutándis diligéntiæ, Theodoréti cyrénsis epíscopi, auctóris gravíssimi, qui chalcedonénsi concílio intérfuit, epístola præclaríssimum simul, et gravíssimum testimónium éxhibet. Revérsus in Occidéntem Abúndius, ab eódem Leóne cum Senatóre ad Eusébium epíscopum mediolanénsem cum Apostólicis mandátis páriter est diréctus. Ibi coácto concílio quamplúrium episcopórum, Leónis ad Flaviánum epíscopum constantinopolitánum epístola, quæ hæreses ipsas damnábat, miro ómnium consénsu laudáta est, et approbáta; dictúmque anáthema iis, qui ímpie de Incarnatiónis domínicæ sacraménto sentiébant: extátque subscríptio episcopórum illíus concílii, in quibus Abúndius pro se, et pro Asimóne epíscopo curiénsi primo Rhetiárum subscrípsit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Post partam de hæréticis victóriam, et implétum legatiónis offícium, Abúndius Comum revérsus est, ubi divíno óperi inténtus, omnes tandem Coménses, quicúmque prisca adhuc superstitióne tenebántur, ad christiánam religiónem convértit. Quod hoc máxime miráculo est consecútus. Cóntigit enim per id tempus, virum quemdam illústrem, ac prædívitem, coménsis agri régulum, única prole orbári: qui nondum christiánus, domesticórum hortátu, Abúndio sanctitátis fama celebérrimo, tunc apud templum Apostolórum Petri, et Pauli degénti, exánime corpúsculum óbtulit, atque ejus génibus obvolútus, ut defúnctus puer prístinæ luci redderétur, eníxius obsecrábat, christiáni nóminis professiónem proínde ab univérso pópulo repromíttens. Tunc Abúndius, semótis ómnibus árbitris, præter púeri nutrícem, Apostolórum ædem, ubi defúnctus jacébat, ingréssus est, et ad supérnum convérsus auxílium, ejus resurrectiónem oráre cœpit, quando nihil æque rei chri-

stiánæ profutúrum videré- tur; ad fidéles scílicet confirmándos, et incrédulos converténdos.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Peracta oratióne, defúnctus resurréxit, quem paréntibus deferéndum vir sanctíssimus nutríci trádidit, præcípiens, ne cui hoc palam fáceret: sed continére vocem illa non pótuit, quin tantum miráculum statim evulgáret. Exínde Abúndius, omni pópulo coménsi baptizáto, quæcúmque supérerant deórum templa demolítus est, et ecclésias ædificávit, ac omnem gentilitátis ritum pénitus sústulit. Hac de causa créditur patrónus a Comensibus hábitus; summa namque veneratióne cólitur usque in hodiérnum diem, et a síngulis artíficum collégiis ejus solémni die seríceo panno quotánnis decorabátur. Sanctíssimus demum epíscopus magnis labóribus curísque pro Ecclésia Dei perfúnctus, die Paschæ, peráctis de more sacrifíciis, adstánti pópulo suprémum diem sibi adésse annuntiávit: habitáque brevi oratióne, univérsos ad virtútem, et ad retinéndam religiónem summópere cohortátus, spíritum Dómino trádidit. Sepúltus est in eádem Apostolórum basílica, quæ modo extra urbem ejus nómini dicáta est, ubi summa veneratióne cólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 14. in Evangelia.

Audístis, fratres charíssimi, ex lectióne evangélica eruditiónem vestram:

audístis et perículum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidénti dono, sed essentiáliter bonus est, dicit: Ego sum Pastor bonus. Atque ejúsdem bonitátis formam, quam nos imitémur, adjúngit, dicens: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit, osténdit quod jussit. Bonus pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit, ut in sacraménto nostro corpus suum, et sánguinem vérteret, et oves, quas redémerat, carnis suæ aliménto satiáret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio VIII.

Osténsa nobis est de contémptu mortis via, quam sequámur: appósita est forma, cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere: postrémum vero, si necésse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus. Sed cum incomparabíliter longe sit mélior ánima, qua vívimus, quam terréna substántia, quam extérius possidémus, qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et vos.

Lectio IX.

Et sunt nonnúlli, qui dum plus terrénam substántiam, quam oves díligunt, mérito nomen pastóris pérdunt; de quibus prótinus súbditur: Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenárius vocátur, qui non pro amóre íntimo oves domínicas, sed ad temporáles mercédes pascit. Mercenárius quippe est, qui locum quidem pastóris tenet, sed lucra animárum non quærit: terrénis cómmodis ínhiat, honóre prælatiónis gáudet,

temporálibus lucris páscitur, impénsa sibi ab homínibus reveréntia lætátur.

Te Deum.

In secundis Vesp. comm. sequentis.

## FESTA SEPTEMBRIS.

### DIE I.

In festo
S. Joannis I. Episcopi comens., et Conf.
Duplex.

Ad Magnificat. Antiph. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Joánnis Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In Hymno. Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lectiones de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Pro S. Ægidio Abbate.
Lectio IX.

Ægídius atheniénsis, régiæ stirpis, a prima ætáte divínis lítteris, et charitátis offíciis ita déditus fuit, ut nihil prætérea curáre viderétur. Itaque paréntibus mórtuis, totum patrimónium in páuperes erogávit: quin étiam túnicam éxuit, ut ægrótum egéntem tégeret; qua ille indútus statim convállit. Sed multis deínceps clárior miráculis, timens sui nóminis celebritátem, Arelátem ad beátum Cæsárium conténdit: a quo post biénnium discédens, secéssit in erémum: ubi diútius herbárum radícibus, et cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniébat, admirábili sanctitáte vixit. Quæ cerva, insequéntibus quodam die cánibus régiis, cum in antrum Ægídii refugísset, Gálliæ regem ímpulit, ut ab eo summis précibus péteret, ut in loco spelúncæ monastérium éxtrui paterétur. Cujus administratiónem, flagitánte rege, invítus suscépit, eóque múnere áliquot

annis prudénter piéque gesto, migrávit in cœlum.

Te Deum.

In Laudibus fit commem. Octavæ S. Abundii, Antiph. Sancte Abúndi Præsul, coménsem Ecclésiam prótege, quo te protegénte fiat cuncta redúndans cópia, quam pastoráli quondam rexísti doctrína.

℣. Ora pro nobis, sancte Abúndi.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Interveniénte, quæsumus, Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice: nos divína grátia prævéniat, et sequátur, atque ab univérsis offénsis tueátur. Per Dóminum.

Deinde S. Ægidii Abbatis, Ant. Euge, serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídii Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Postea Ss. Duodecim Fratrum Martyrum. Antiph. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére, multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

## DIE III. SEPTEMBRIS.

In festo
S. Martiniani Episcopi
comens., et Conf.
Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Stephani Regis, et Confess., Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Concéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus, ut beátum Stéphanum

Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cœlis.

Deinde Oct. S. Abundii, Ant. Sancte Abúndi Præsul. ℣. Ora pro nobis. Oratio. Interveniénte. ut supra.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Noct., Lect. Beáti Patris. de Communi Conf. Pont. 2. loco.

In tertio Nocturno, Homil. in Evang. Homo péregre. de eodem Communi 1. loco.

In Laudibus fit commem. Octavæ sancti Abundii, ut supra.

# OFFICIUM
## DE SANCTISSIMO
# CORPORE CHRISTI.

Ex indulto Clementis Papæ undecimi, dato Romæ 27 augusti 1715, recitandum in omnibus Regnis, Dominiis, et Statibus hæreditariis augustæ Domus austriacæ sub ritu semiduplici, omnibus feriis quintis, non impeditis. Festo novem Lectionum, etiam translato, exceptis Adventu, Quadrages., Vigil., ac etiam Feria illa, in qua secundum Rubricas Offic. Dominicæ aliquando erit apponendum, etc. juxta Decr. 20 martii 1706.

Si in Feria IV. vel VI. occurrerit aliquod Festum IX. Lectionum, Vesperæ ordinandæ erunt juxta Rubricas de Concurrentia Officii.

Ad Vesperas, omnia dicuntur prout in die Festo

Si occurrat aliquod Festum simplex, fit de eo commemoratio.

Deinde fiunt Commemorationes communes, seu Suffragia, ut in Psalterio, si faciendæ sint.

Ad Completorium, et per Horas in fine Hymnorum dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Et dicuntur Preces Dominicales, ut in Psalterio, si dicendæ sint.

Ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, et ℣℣. trium Nocturnorum, sumuntur ex die Festo.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente, cum Responsoriis ex primo Nocturno diei Festi. Lectiones vero secundi, et tertii Nocturni cum suis Responsoriis, sumuntur ex Octava ejusdem, ut inferius juxta ordinem mensium disponuntur. Laudes dicuntur, ut in eodem die Festo.

Si occurrat aliquod Festum simplex, fit de eo commemoratio.

Deinde fiunt Commemorationes communes, seu Suffragia, etc.

Ad Horas, omnia ut in die Festo.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, præter Antiphonam ad Magnificat.

Si occurrat aliquod Festum simplex, fit de eo commemoratio.

Deinde fiunt Commemorationes communes, seu Suffragia.

**MENSIBUS MAJO, ET JUNIO.**

Lectiones secundi, et tertii Nocturni sumuntur ex Feria secunda post Dominicam infra Octavam Festi ejusdem.

**MENSIBUS JULIO, ET AUGUSTO.**

Lectiones secundi, et tertii Nocturni sumuntur ex Feria tertia post Dominicam infra Octavam Festi ejusdem.

**MENSE SEPTEMBRI.**

Lectiones secundi, et tertii Nocturni sumuntur ex Feria quarta post Dominicam infra Octavam Festi ejusdem.

---

## COMMEMORATIO
### SANCTI ABUNDII EPISCOPI.
Patroni principalis sanctæ novocomensis Ecclesiæ, facienda inter Suffragia Sanctorum.

Ad Vesperas, et ad Laud. Ant. Sancte Abúndi Præsul, coménsem Ecclésiam prótege, quo te protegénte fiat cuncta redúndans copia, quam pastoráli quondam rexísti doctrína.

℣. Ora pro nobis, sancte Abúndi.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

INTERVENIÉNTE, quæsumus, Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice; nos divína grátia præveniat, et sequátur, atque ab univérsis offénsis tueátur. Per Dóminum.

---

REIMPRIMATUR
Comi 25 Feb. 1848.
✠ CAROLUS EPISCOPUS

5/2



# INDULTA

## DIVINUM OFFICIUM SPECTANTIA

## PRO SANCTA NOVOCOMENSI ECCLESIA.

EX ARCHETYPIS IN ARCHIVIO CAPITULARI COMENSI EXTANTIBUS.

S. R. C. ad preces Capituli Ecclesiæ Cathedralis comensis, et Promotoris generalis disciplinæ ecclesiasticæ, benigne extendit ad utrumque clerum Civitatis, et Diœcesis comensis, Officia cum Missis Ss. Episcoporum mediolanensium, quæ recitantur in metropolitana mediolanensi: nec non Officia cum Missis Ss. Episcoporum comensium, quæ recitantur in ecclesiis ejusdem Civitatis, in quibus eorum corpora condita sunt. Die 26 januarii 1793.

PIUS VII. Pontifex Maximus, precibus annuens Reverendissimi Episcopi, et Cleri comensis, benigne extendit ad universum Civitatis, ac Diœc. comensis Clerum, kalendario diœcesano utentem, Officia cum Missis jam concessa, et approbata Mysteriorum, et Instrumentorum Dominicæ Passionis, recitanda, ac respective celebranda sub ritu duplici majori in feriis sextis mensis martii, infrascripto ordine, videlicet:

In I. ex feriis VI. mensis martii: Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C.

In II. ex feriis VI. ejusdem mensis: Sacratissimæ Spineæ Coronæ D. N. J. C.

In III. ex feriis VI. prædictis: Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Ac tandem in IV. ex VI. feriis prædictis: Lanceæ, et Clavorum D. N. J. C.

Servatis in omnibus Rubricis. Die 21 augusti 1821.

LEO XII. Pontifex Maximus ad preces Reverendissimi Episcopi comensis, a ritu semiduplici ad duplicem majorem elevavit pro universa Diœcesi comensi Officia Ss. Martyrum Proti, et Hyacinthi, Vincentii, et Anastasii, nec non Ss. Virginum Liberatæ, et Faustinæ, quæ antea in ecclesia tantum cathedrali ritu duplici majori peragebantur. Die 3 maji 1825.

LEO XII. Pontifex Maximus benigne annuendo precibus Reverendissimi Episcopi comensis, indulsit universo Clero Civitatis, et Diœcesis elevationem a ritu semiduplici ad duplicem infrascriptorum Officiorum; quæ jam ritu duplici in cathedrali peragebantur, nimirum: S. Petri Martyris, S. Margaritæ Virginis, et Martyr., atque Inventionis S. Stephani Protomartyris. Concessit insuper facultatem agendi Octavam ecclesiæ cathedralis Clero omnium ecclesiarum Civitatis, et Diœcesis, quæ, cum consecratæ non fuerint, nullum per anni tempora Dedicationis propriæ ecclesiæ peculiare festum celebrant. Die 16 augusti 1825.

Tertio decimo kalendas augusti anni 1832 GREGORIUS XVI. Pontifex Maximus, postulante Reverendissimo Vicario Capitulari comensi, Officium cum Missa S. Julianæ Virginis, et Martyris nicomediensis, quod in ecclesia tantum S. Fidelis Novic. recitabatur, ad Clerum totius Civitatis extendit. Deinde ad iteratas preces ejusdem Reverendissimi Vicarii Capitularis, concessit, ut idem

Officium S. Julianæ ab universo Diœcesis comensis Clero recitaretur. Die 28 septembris 1832.

GREGORIUS XVI. Pontifex Maximus ad preces Reverendissimi Episcopi comensis indulsit, ut a Clero tam seculari, quam regulari comensis Diœcesis, diœcesano kalendario utente, Festum in honorem S. Polycarpi Episcopi, et Martyris ritu duplici minori peragi valeat. Die 8 martii 1836.

GREGORIUS XVI. Pontifex Maximus, a ritu semiduplici ad duplicem minorem elevavit Festum S. Antonini Florentinorum Episcopi, et Confessoris, pro Italiæ, et adjacentium Insularum Clero tum seculari, tum regulari, et cujuscumque ordinis sanctimonialibus ad Horas Canonicas persolvendas adstrictis. Die 20 augusti 1844.

GREGORIUS XVI. Pontifex Maximus, precibus annuens Reverendissimi Episcopi comensis, permisit ut a Clero seculari, et regulari, illius Diœcesis kalendario utente, Officium cum Missa S. Rochi Confessoris sub ritu duplici minori decimo septimo kalendas septembris persolveretur, ad instar concessionis jam factæ Clero Urbis, et plurimarum Diœcesium: translato ad primam diem liberam tamquam in sedem fixam Officio S. Hyacinthi Confessoris. Die 27 septembris 1844.

# KALENDARIUM.

## MAJUS.



## JUNIUS.



## JULIUS.

6

# PROPRIUM SANCTORUM

## PRO SANCTA NOVOCOMENSI ECCLESIA

### PARS AUTUMNALIS.

NOVI COMI
EX TYPIS HAEREDUM C. PETRI OSTINELLI
MDCCCXLVII

# PROPRIUM SANCTORUM
## PRO SANCTA
## NOVOCOMENSI ECCLESIA.

### DIE XXXI. AUGUSTI.

In festo S. Abundii Episc. comens., et Confess., Patroni principalis sanctæ Novocomensis Eccl.

Duplex 1. Classis cum Octava.

In Hymno. Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Ad Magnificat in utrisque Vesp., et ad Benedictus Ant. Sancte Abundi Præsul, coménsem Ecclésiam prótege, quo te protegénte fiat cuncta redúndans copia, quam pastoráli quondam rexísti doctrína.

℣. Ora pro nobis, sancte Abundi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Interveniénte, quæsumus, Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice; nos divína grátia prævéniat, et sequátur, atque ab univérsis offénsis tueátur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. Fidélis sermo. de Communi Confess. Pontif. 1. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Abundius, qui penes áliquos et Abundántius, patria tessalonicénsis, in locum Amántii coménsis epíscopi creátus, tanto doctrínæ, et sanctitátis splendóre fulgébat tunc témporis, cum Eutychii, et Nestórii falsum dogma fervéret, ut a Leóne primo Pontífice Máximo, cum Astério epíscopo, et Basilío, et Senatóre presbyteris ad Theodósium Augústum pro rebus Ecclésiæ sit destinátus, ut ex Leónis epístolis constat. Quantæ autem eruditiónis, et indústriæ fúerit, et in hærésibus confutándis diligéntiæ, Theodoréti cyrénsis epíscopi, auctóris gravíssimi, qui chalcedonénsi concílio intérfuit, epístola præclaríssimum simul, et gravíssimum testimónium éxhibet. Revér-

sus in occidéntem Abúndius, ab eódem Leóne cum Senatóre ad Eusébium epíscopum mediolanénsem cum Apostólicis mandátis páriter est diréctus. Ibi coácto concílio quamplúrium episcopórum, Leónis ad Flaviánum epíscopum constantinopolitánum epístola, quæ hæreses ipsas damnábat, miro ómnium consénsu laudáta est, et approbáta; dictúmque anáthema iis, qui ímpie de Incarnatiónis Domínicæ sacraménto sentiébant: extátque subscríptio episcopórum illíus concílii, in quibus Abúndius pro se, et pro Asimóne epíscopo curiénsi primo Rhætiárum subscrípsit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Post partam de hæréticis victóriam, et implétum legatiónis offícium, Abúndius Comum revérsus est, ubi divíno óperi inténtus, omnes tandem Coménses, quicúmque prisca adhuc superstitióne tenebántur, ad christiánam religiónem convértit. Quod hoc máxime miráculo est consecútus. Cóntigit enim per id tempus, virum quemdam illústrem, ac prædívitem coménsis agri régulum única prole orbári: qui nondum christiánus, domesticórum hortátu, Abúndio sanctitátis fama celebérrimo, tunc apud templum Apostolórum Petri, et Pauli degénti, exánime corpúsculum óbtulit, atque ejus génibus obvolútus, ut defúnctus puer prístinæ luci redderétur, eníxius obsecrábat, christiáni nóminis professiónem proínde ab univérso pópulo repromíttens. Tunc Abúndius, semótis ómnibus árbitris, præter púeri nutrícem, Apostolórum ædem, ubi defúnctus jacébat, ingréssus est, et ad supérnum convérsus auxílium, ejus resurrectiónem oráre cœpit, quando nihil æque rei christiánæ profutúrum viderétur; ad fidéles scílicet confirmándos, et incrédulos converténdos.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David ser-

vum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Peracta oratióne, defúnctus resurréxit, quem paréntibus deferéndum vir sanctíssimus nutríci trádidit, præcípiens, ne cui hoc palam fáceret: sed continére vocem illa non pótuit, quin tantum miráculum statim evulgáret. Exínde Abúndius, omni pópulo coménsi baptizáto, quæcúmque supérerant deórum templa demolítus est, et ecclésias ædificávit, ac omnem gentilitátis ritum pénitus sústulit. Hac de causa créditur patrónus a Coménsibus hábitus; summa namque veneratióne cólitur usque in hodiérnum diem, et a síngulis artíficum collégiis ejus solémni die seríceo panno quotánnis decorabátur. Sanctíssimus demum epíscopus magnis labóribus curísque pro Ecclésia Dei perfúnctus, die Paschæ, peráctis de more sacrifíciis, adstánti pópulo suprémum diem sibi adésse annuntiávit: habitáque brevi oratióne, univérsos ad virtútem, et ad retinéndam Religiónem summópere cohortátus, spíritum Dómino trádidit. Sepúltus est in eádem Apostolórum basílica, quæ modo extra urbem ejus nómini dicáta est, ubi summa veneratióne cólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 14. in Evangelia.

Audístis, fratres charíssimi, ex lectióne evangélica eruditiónem vestram: audístis et perículum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidénti dono, sed essentiáliter bonus est, dicit: Ego sum Pastor bonus. Atque ejúsdem bonitátis formam, quam nos imitémur, adjúngit, dicens: Bonus pastor

ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit, osténdit quod jussit. Bonus pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit, ut in sacraménto nostro corpus suum, et sánguinem vérteret, et oves, quas redémerat, carnis suæ aliménto satiáret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio VIII.

OSTÉNSA nobis est de contémptu mortis via, quam sequámur: appósita est forma, cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere: postrémum vero, si necésse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus. Sed cum incomparabíliter longe sit mélior ánima, qua vívimus, quam terréna substántia, quam extérius possidémus, qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio IX.

ET sunt nonnúlli, qui dum plus terrénam substántiam, quam oves díligunt, mérito nomen pastóris pérdunt; de quibus prótinus súbditur: Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenárius vocátur, qui non pro amóre íntimo oves domínicas, sed ad temporáles mercédes pascit. Mercenárius quippe est, qui locum quidem pastóris tenet, sed lucra animárum non quærit: terrénis cómmodis inhiat, honóre prælatiónis gáudet, temporálibus lucris páscitur, impénsa sibi ab homínibus reveréntia lætátur.

Te Deum.

In secundis Vesp. comm. sequentis.

## FESTA SEPTEMBRIS.

### DIE I.

In festo
S. Joannis I. Episcopi
comens., et Conf.
Duplex.

Ad Magnificat, Antiph. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Joánnis Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In Hymno. Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

In primo Noct., Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lectiones de Comm. Conf. Pont. 2. loco. Lectio IX. S. Ægidii Abbatis.

In Laudibus fit commem. Octavæ S. Abundii, et ejusdem S. Ægidii, ac Ss. Duodecim Fratrum Martyrum.

### DIE III. SEPTEMBRIS.

In festo
S. Martiniani Episcopi
comens., et Conf.
Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit comm. præcedentis. Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Concéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus, ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cœlis.

Deinde Oct. S. Abundii, Ant. Sancte Abúndi Præsul, coménsem Ecclésiam prótege, quo te protegénte fiat cuncta redúndans cópia, quam pastorái quondam rexísti doctrína.

℣. Ora pro nobis, sancte Abúndi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Interveniénte, quæsumus, Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice: nos divína grátia

prævéniat, et sequátur, atque ab univérsis offénsis tueátur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Noct., Lect. Beáti Patris. de Communi Conf. Pont. 2. loco.

In tertio Nocturno, Homil. in Evang. Homo péregre. de eodem Comm. 1. loco.

In Laudibus fit commem. Octavæ S. Abundii.

In secundis Vesp. comm. sequentis, et Octavæ sancti Abundii, ut infra.

## DIE IV. SEPTEMBRIS.

### In festo S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ.

Semiduplex.

Ad Magnificat, Antiph. Veni, spónsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua.

℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Rosáliæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affécta, et ejus intercessióne ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Deinde pro Octava S. Abundii, Ant. Sancte Abúndi Præsul. ℣. Ora pro nobis. ℟. Ut digni. Oratio. Interveniénte. ut supra.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Rosalia Virgo, orta Panormi ex nóbili génere, suam oríginem tráhens a Cárolo Magno, in Quísquinæ montem quadragínta círciter mille pássibus distántem sola secédens, patérnæ domus opes, delícias, ac spem majóris amplitúdinis ob propinquitátem, et benevoléntiam regum Sicíliæ contémnens, cum tétricæ rupis horróre, et asperitáte commutávit: inque antrum, cui tunc únicus, et quidem angústus áditus e superióri loco patébat, intrépide descéndit ea mente, quam charactéribus saxo inscúlptis adhuc paténtibus expréssit: Ego Rosália, Sinibáldi Quísquinæ, et Rosárum dómini fília, amóre Dómini mei Jesu Christi in hoc antro habitáre decrévi. Qua inscriptióne óculis obversánte,

suscéptæ vitæ propósitum áltius cordi infígere, ac divínæ benevoléntiæ signa ad castíssimæ mentis blandiménta vicíssim provocáre consuévit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v.

In hac specu subterránea sibi, et mundo emórtua, consepúltaque Jesu Christo, ut soli Deo víveret, diu noctúque látuit; cavens præcípue in móntibus patérni principátus, ne forte ágnita, in domum urbémque pátriam abducerétur invíta. Cállidas dæmonum insídias, quæ ásperæ vitæ tædium, et solitúdinis horrórem ánimo ingerébant, ácriter sæviéndo in se férrea caténa, vigíliis et humi cubatióne, forti ánimo superásse antíquæ ícones signíficant. Cumque humánis destitúta præsídiis, nihil solátii aliúnde hauríret, quam e cœlo: Dóminus, qui consolátur, et corónat sanctos suos, angélicis delíciis illam sæpius recreábat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Cœlésti deínde consílio ex antro quisquinénsi in horridiórem spelúncam Peregríni montis tribus fere mille pássibus procul Panórmo Rosália se tránstulit: ut, quo difficiliórem pugnam secum ipsa commítteret e conspéctu domus patérnæ, eo laudabílius de contémptis mundi illécebris triumpháret. Latébat ibi ad partem lævam angústus cóncavus, quem éadem post repértas ejus relíquias illuc venánti, cui se vidéndam præbuit, dixit esse suam cellam peregrínam, ubi multum ætátis exegísset. Hic tamquam colúmba in foramínibus petræ gemens, in cœléstium rerum contemplatióne defíxa, ad perfectíssimam divíni amóris normam in solitúdine vitam tradúxit, et sanctíssime perénnibus charitátis rosis, et virginitátis líliis coronáta depósuit prídie nonas septémbris. Cujus corpus, Urbáno octávo Pontífice Máximo, divínitus anno Jubilæi

totíus Sicíliæ plausu repértum, illam a peste liberávit.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia, et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. ut in Comm. Virginum 1. loco.

In Laudibus fit commemoratio Octavæ S. Abundii.

Vesperæ de sequenti.

## DIE V. SEPTEMBRIS.

### In festo S. Victorini Episc. Comens., et Confess.

Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit comm. S. Rosaliæ. Antiph. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Rosáliæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu, et ejus intercessióne ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur.

Deinde pro Octava S. Abundii, Ant. Sancte Abúndi Præsul, Comensem Ecclésiam prótege, quo te protegénte fiat cuncta redúndans copia, quam pastorali quondam rexísti doctrína.

℣. Ora pro nobis, sancte Abundi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Interveniénte, quæsumus, Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice: nos divína grátia prævéniat, et sequátur, atque ab univérsis offénsis tueátur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lect. de Communi Confess. Pontif. 1. loco.

In Laudib. fit commem. Octavæ S. Abundii.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, commem. præced., et Octavæ S. Abundii.

## DIE VI. SEPTEMBRIS.

### In festo S. Raymundi Nonnati Confess.

(Ex die 31. Augusti hodie assignato). Duplex.

In Hymno. Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Reliqua ut in Breviario cum comm. Octavæ S. Abundii in Laudibus, et Vesp.

Vesperæ a Capitulo de die Octava S. Abundii.

## DIE VII. SEPTEMBRIS.

### Octava S. Abundii Episc., et Confess. Patroni principalis sanctæ Novocomensis Ecclesiæ. Duplex.

Ad Magnificat, Ant. Sancte Abúndi. ℣. Ora pro nobis. Oratio. Interveniénte. ut supra.

Et fit comm. S. Raymundi. Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte, beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti; ejus nobis intercessióne concéde, ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exequámur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Gregórii Papæ.

2. par. pastor. c. 1.

Lectio iv.

Tantum debet actiónem pópuli actio transcéndere Præsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque, ut métiri se sollícite stúdeat, quanta tenéndæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo, necésse est, cogitatióne mundus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitatem sócius, contra delinquéntium vitia per zelum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in interiórum sollicitúdine non relínquens.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v. 1. par. c. 9. 10.

CONSIDERANDUM quoque est, quia cum curam pópuli eléctus Præsul súscipit, quasi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiónes vivunt, qua præsumptióne percússum medéri próperat qui in fácie vulnus portat? Ille ígitur modis ómnibus debet ad exémplum bene vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens, jam spirituáliter vivit, qui próspera mundi postpónit, qui nulla advérsa pertiméscit, qui sola intérna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valde per contumáciam repúgnat spíritus. Qui ad aliéna cupiénda non dúcitur, sed própria lárgitur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi. ibid. c. 8.

UNDE ipsum quoque Episcopátus offícium boni óperis expressióne definítur, cum dícitur: Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopátum non áppetit, qui non per hunc boni óperis ministérium, sed honóris glóriam quærit. Sacrum quippe offícium non solum díligit omníno, sed négligit, qui ad culmen regíminis anhélans in occúlta meditatióne cogitatiónis ceterórum subjectióne páscitur, laude própria lætátur, ad honórem cor élevat, rerum affluéntium abundántia exúltat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honóris spécie, quo mundi déstrui lucra debúerant.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

## In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía
sancti Petri Chrysólogi.
Ex serm. 40. de bono past.

Est plane vis certa, vera ratio, causa lucens, utílitas tanti Sánguinis perapérta; namque Pastóris una ex morte virtus emícuit singuláris. Pastor pro óvibus morti, quæ óvibus imminébat, occúrrit, ut auctórem mórtis diábolum novo órdine cáptus cáperet, victus vínceret, puníret occísus, et óvibus moriéndo viam vincéndæ mortis aperíret. Nam et diábolus, dum in hóminem tendit, prosíluit in Deum; dum in reum sævit, incúrrit in júdicem; ínvenit supplícium, dum íngerit pœnam; ipse áccipit, dum dat senténtiam, et vivens mortálium pastu mors móritur, dum dévorat vitam; absórbens reos mors absorbétur, innocéntiæ dum deglútit auctórem; et perit mors ipsa, quæ perdébat omnes, dum ómnium perímere vult salútem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii.

Ergo tali forma præcéssit oves pastor. Pastor ab óvibus non recéssit, nec illas dedit lupis, sed trádidit lupos illis, quibus donávit suos elídere sic prædónes, ut occísæ víverent, laniátæ resúrgerent, sánguine suo tinctæ fulgérent, regáli púrpura, níveo véllere perlucérent. Sic bonus pastor pro óvibus cum pósuit ánimam, non amísit; oves táliter ténuit, non relíquit; nec destítuit oves táliter, sed invitávit: quas per mortáles campos, per iter mortis vitália vocávit, et perdúxit ad páscua. Sed dicit áliquis: Quando hæc erunt? Ecce ínterim oves, idest apóstoli, prophétæ, mártyres, et confessóres, jacent sepúlti, discérpti toto spargúntur in orbe, involúti sánguine tetris claudúntur sepúlchris.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio IX.

Et quis dúbitat, quod resúrgant, vivant, regnent occísi mártyres, quando Christus illis resurréxit, vivit et regnat occísus? Audi vocem Pastóris hujus. Oves meæ vocem meam áudiunt, et sequántur me necésse est, ut quæ sunt ad mortem secútæ, sequántur ad vitam, quæ ad contuméliam comitátæ sunt, comiténtur ad honórem, et sint partícipes glóriæ, quæ passiónis partícipes extitérunt. Ubi sum, inquit, ego, ibi erit et miníster meus. Ubi? útique super cœlos, ubi Christus est ad déxteram Dei sedens. Homo, non te turbet fides: spes te lóngior non fatíget: quia certa tibi res est, quæ in ipso tibi rerum servátur auctóre. Mórtui, inquit, estis, et vita vestra abscóndita est cum Christo in Deo: cum autem apparúerit Christus vita vestra, tunc et vos cum illo apparébitis in glória. Labórans messor, quod in sémine non videt, vidébit in messe; et quod in sulco deflet, gaudébit in fructu.

Te Deum.

## DIE IX. SEPTEMBRIS.

### In festo S. Auxani Episcopi, et Confess.

Duplex.

In Hymno. Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Ad Magnificat, Antiph. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Auxáni Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Deinde fit comm. S. Gorgonii Martyr. Antiph. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Sanctus tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne lætíficet: et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Auxanus, civis mediolanénsis, egrégia vir pietáte, et innocéntia, ob virtútum mérita, Vitále archiepíscopo mórtuo, in ejus locum creátus est. Propagándæ autem evangélicæ disciplínæ stúdio flagrans, cum in omni re episcopális offícii partes diligénter egit, tum assídue atque egrégie est prædicatiónis múnere perfúnctus. Duos autem annos Ecclésiam sibi commíssam cum sanctíssime administrásset, ejus sanctimónia spectáta, et multis étiam miráculis divínitus testificáta, relátus est in númerum Sanctórum.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Ejus corpus, religióse in Ecclésia majóri sancti Stéphani Medioláni recónditum, pia veneratióne cólitur. Séptimo póstea provinciáli Concílio corpus beáti Auxáni cum nonnullórum aliórum sanctórum corpóribus in eádem basílica quiescéntibus, magno Episcopórum número, populorúmque concúrsu, a Federíco cardináli Archiepíscopo translátum, atque in ara majóri ejúsdem basílicæ honorífice cónditum fuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Ex Homilia 59.

quæ est 2. de S. Eusebio.

Lectio vi.

Beati Patris Auxáni mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes

adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

Pro S. Gorgonio Martyre.

Lectio IX.

Gorgónius Nicomedíæ natus Diocletiáni imperatóris, cubiculárius, Dorótheo colléga suo adjutóre, réliquos omnes cubículi minístros ad Christi fidem perdúxit. Utérque autem cum vidísset quodam die mártyrem coram Diocletiáno acerbíssime cruciári, ejus exémplo martyrii amóre incénsus est. Itaque ambórum hæc vox erúpit: Quid est, Imperátor, quod hujus, condemnáta senténtia, quæ nobis cum eo commúnis est, unum illum punis? Istíus nostra étiam est fides, idem propósitum. Eos ígitur vinctos Imperátor flagéllis concídi jubet, ita ut toto córpore cutis dirumperétur, et in plagas acétum infúndi sale permíxtum: mox revínctis in cratícula súbjici ímperat vim candéntium carbónum. Dénique várie torti, suspéndio necáti sunt. Ac sancti Gorgónii corpus aliquándo Romam portátum, inter duas lauros via Latína sepúltum, póstea a Gregório Quarto summo Pontífice in basílicam príncipis Apostolórum translátum est. Te Deum.

In Laudibus fit commem. Octavæ Nativitatis B. M. Ant. Nativitátem hodiérnam perpétuæ Vírginis genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit.

℣. Natívitas est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus, Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum.

Deinde pro S. Gorgonio Mart. Antiph Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Sanctus tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne lætíficet: et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

## DIE XI. SEPTEMBRIS.

### In festo Ss. Proti, et Hyacinthi Martyrum.

Duplex majus.

Oratio.

Beatórum Mártyrum tuórum Proti, et Hyacínthi nos fóveat, Dómine, pretiósa conféssio, et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Nicolai Tolentinatis, Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Nicolái Confessóris tui solemnitáte deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur.

Deinde pro Octava Nativitatis, Antiph. Natívitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Natívitas est hódie. Oratio. Fámulis. ut supra.

In primo Noct., Lectiones Fratres debitóres sumus. de Communi plurimorum Martyrum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Protus, et Hyacínthus, Eugéniæ vírginis, Philíppi Románi nobilíssimi viri Ægypti præfécti fíliæ, eunúchi, fidíssimi ejus cómites, eíque ob eórum in philosophía, et disciplínis perítiam veheménter chari fuérunt. Hi a sancto Héleno epíscopo una cum ipsa Eugénia baptizáti, ac stúdiis divinárum litterárum déditi, aliquámdiu in mo-

nastério mira humilitáte, et vitæ sanctitáte vixérunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

Agnita autem póstmodum Eugénia est, et paréntibus réddita; et cum eos ad Christi Dómini fidem convertísset, patre étiam in epíscopum alexandrínum ordináto, ipsa cum Proto, et Hyacíntho Romam redit, Galliéno imperatóre: ubi dóminæ suæ jussu Protus, et Hyacínthus in servíli hábitu Babíllam, primæ nobilitátis féminam, Eugéniæ charíssimam, ádeunt, illíque assístunt, ut pro dómina ei essent epístola animáta: quorum prædicatióne est efféctum, ut Babílla baptísmum suscíperet.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

Lectio vi.

Sed orta eo témpore in christiános sæva persecutióne, omnes comprehénsi, Nicétio præfécto puniéndi tradúntur. Ac primum Eugénia, et Babílla cápite punítis, Protus, et Hyacínthus deos venerári jussi, cum id fácinus commíttere præcíse constantérque negárent, verbéribus acerbíssime cæsi, aliísque cruciátibus affécti, secúri feriúntur, tértio idus septémbris. Eórum córpora, quæ Luitprándus Langobardórum rex Comum deláta in æde sancti Carpóphori collocávit, fervénti mox inter cives bello, Guido, episcópus coménsis inde tránstulit in urbem ad ecclésiam cathedrálem, et in crypta subterránea ejúsdem templi cóndidit. Póstea Leo Lamberténgus coménsis epíscopus anno Dómini millésimo tercentésimo décimo séptimo, convocáto clero, et frequentíssimo pópulo, in superiórem locum, tota ducénte civitáte, in arca marmórea ad altáre máximum honorificentíssime repósuit, ubi maximo a Coménsibus honóre colúntur.

℟. Tamquam áurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: *Quóniam donum, et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem, et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno Hom. in Evang. Descéndens Jesus de monte. ut in Communi plurimor. Martyr. 2. loco cum ℟. VIII. Hæc est vera fratérnitas. ut ibi.

In Laudibus fit commem. Octavæ Nativitatis B. M. Ant. Nativitátem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit.

℣. Natívitas est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus, Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per.

In secundis Vesp. comm. S. Laurentii Justiniani, Ant. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Lauréntii Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem.

Deinde pro commemor. Octavæ Nativitatis B. Mariæ, Ant. Natívitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Natívitas est hódie. Oratio. Fámulis tuis. ut supra.

## DIE XII. SEPTEMBRIS.

### In festo S. Laurentii Justiniani Episcopi, et Confess.

(Ex die 5. hujus mensis hodie assignato). Semidupl.

Omnia ut in Breviario, cum commem. Octavæ Nativitatis in Laudibus, et Vesperis.

## DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

In festo S. Eustorgii I. Episcopi, et Confess. Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit comm. præced. Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Signásti, Dómine, servum tuum Franciscum.

℟. Signis redemptiónis nostræ.

Oratio.

DÓMINE Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francísci Passiónis tuæ sacra Stígmata renovásti; concéde propítius, ut ejus méritis, et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus pœniténtiæ faciámus. Qui vivis.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quatuor Temporibus. Fidélis sermo. de Communi 1. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

EUSTORGIUS, nóbili família in Græcia natus, præcláræ étiam pietátis nómine illústris, epíscopus summa ómnium voluntáte creátur. Præter ália multa religiónis moniménta, quibus Ecclésiam sibi commíssam ornávit, illud étiam est sempitérna memória dignum, quod sacra Magórum córpora jam inde usque ab urbe Constantinópoli, quo jamprídem e Párthia deláta erant, Mediolánum admirabíliter tránstulit, eorúmque nómine basílicam extrúxit, quæ póstea eustorgiána appelláta est. Hæc, atque ália cum sancte egísset, demum clara virtúte epíscopus, et testimónio sancti Ambrósii laudátus, ac sanctitátis in primis, quam miraculórum magnitúdine Deus sæpe testátam fecit, laude clarus, quiévit in Dómino décimo quarto kaléndas octóbris, et in própria basílica cónditus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Sermo
sancti Máximi Epíscopi.
Lectio v.

AD sancti, ac beatíssimi Patris nostri Eustórgii, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

QUIDQUID ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis, et grátiæ, de hoc, quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat præditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum: quia pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successores.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Nocturno, Homil. in Evang. Homo péregre. de Communi 1. loco.

In Quatuor Temporibus Lectio ix. de Homilia Feriæ; et commem. ejusdem Feriæ in Laudibus.

Vesp. de sequenti, commemor. præcedentis.

## DIE XIX. SEPTEMBRIS.

### IN FESTO SS. JANUARII EPISC., ET SOCIORUM MARTYRUM.

Duplex majus.

In primo Noct., Lectiones Fratres debitóres. de Comm. plurimorum Martyrum. Reliqua ut in Breviario.

In secundis Vesp. commemor. sequentis.

## DIE XX. SEPTEMBRIS.

In festo
S. Clicerii Episc., et Confess.
Duplex.

Ad Magnificat, Antiph. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Clicérii Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quatuor Temporibus. Fidélis sermo. de Communi 1. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Clicérius, civis mediolanénsis, vir imprímis pie, juste, ac temperánter vitam degens, beáto Martiniáno ob virtútum mérita succéssit. Et vero, ut ille juvándæ Ecclésiæ stúdio, ac vitæ vere pastorális exémplo, episcopalísque offícii laude prælúxit: ita hic in illíus locum próxime suffectus, exímia fuit imitatióne clarus disciplínæ, cujus exémplis, atque institútis alter ecclésiam mediolanénsem illustrárat.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Beatus ígitur Clicérius admiránda erga Deum pietáte, cœlestísque vitæ stúdiis, quæ cum verbi prædicatióne conjúnxerat, cum enitéret, fuit étiam instar vírginis verecúndus, vultúque virgíneo imáginem præ se ferébat divinárum mentis suæ cogitatiónum. Religióse autem cum Ecclésiam administrásset, magna ac præclára sanctitátis suæ testificatióne quiévit in Dómino, duodécimo kaléndas octóbris.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Lectio vi.

Beati Patris Clicérii mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

Lectio ix. de Homilia Vigiliæ S. Matthæi, et comm. ejusdem Vigiliæ in Laudib.

In Quatuor Temporibus Lectio ix. legitur de Homilia Feriæ; de qua fit etiam commem. in Laudibus. De Vigilia vero nihil fit nisi in Missa.

## DIE XXII. SEPTEMBRIS.

In festo S. Josephi a Cupertino Conf.

( Ex die 18 hujus mensis hodie assignato ). Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Lectio ix., et commemor. Ss. Mauritii, et Sociorum Mart. in primis Vesperis, et Laudibus. Reliqua ut in Breviario.

## DIE XXV. SEPTEMBRIS.

In festo S. Anatalonis Episcopi, et Confess.

Duplex.

Ad Magnificat, Antiph. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Anatalónis Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda

solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Anatalo, græcus, beáti Bárnabæ apóstoli, a quo primum Christi sacris cívitas mediolanénsis imbúta est, discípulus, in ejus locum epíscopus succéssit. Cum autem et Evangélii prædicatióne, et præclára sanctitátis laude, et divinárum virtútum splendóre, non modo eórum, qui a christiána religióne avérsi erant, ingéntem multitúdinem, quo témpore ecclésiæ mediolanénsi præfuit, ad Christum Dóminum perduxísset: sed hæsitántes Christiános confirmásset, atque ádeo in ómnium ánimis charitátis divínæ stúdium excitásset ardéntius; demum fídei propagándæ studiósus Bríxiam venit, ubi étiam id curávit, ut, idolórum superstitióne abjécta, tota cívitas Dei religiónem suscíperet. Itaque pro fide multis perfúnctus labóribus Bríxiæ sancte quiévit in Dómino.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v., vi. Ad sancti. de Communi 1. loco cum ℟℟. v., et vi.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi 1º loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

### In festo B. Mariæ de Socos Virg.

Duplex.

In primis Vesperis. Ad Magnificat, Ant. Flagéllis, et caténa María corpus domábat: siléntio, et abstinéntia ánimam custodiébat: orationibus incessánter instábat, docens Christi sponsas vas corruptíbile in sanctificatióne, et honóre possidére.

Oratio.

Deus, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsístere; concéde propítius, ut intercedénte beáta María fámula tua de præséntis vitæ flúctibus edúcti ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Anatalonis. Antiph. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Anatalónis Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem.

Deinde Ss. Cypriani, et Justinæ Martyr. Ant. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

BEATÓRUM mártyrum Cypriáni, et Justínæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsídia: quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

MARÍA nóbili família de Cervellióne, Barcínone in Hispánia nata, et a paréntibus in Dei timóre primis ab annis enutríta, virginitátem suam, cum decem et octo esset annórum, illi devóvit. Ejus vivéndi rátio erat, in públicum rárius prodíre, ægrotántibus domésticis sédulo adésse, et in nosocómio ter in hebdómada paupéribus ministráre. Annum trigésimum agens, defúncto patre, hábitum órdinis sanctæ Maríæ de Mercéde prima ex féminis suscípiens, sanctimoniálibus ejúsdem órdinis ducem, et magístram, et exémplar se præbuit: ac distribúto património in redemptiónem captivórum, professiónem in eódem órdine, una cum voto de laborándo pro rediméndis captívis, emísit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet te.

## Lectio v.

Matre e vivis subláta, cum áliquot honéstis féminis ejúsdem institúti piam sanctámque vitam perégit: sólita quotídie mulíerum a suis frátribus redemptárum, ac Barcínonem adveniéntium pedes in hospitáli domo laváre; quínquies in hebdómada sacra Eucharístia réfici, terque jejunáre, solo pane, et aqua conténta; quotidiánis flagéllis ínsuper, et férrea caténa corpus suum afflígens. Siléntium, quod mira observántia colébat, inánibus verbis numquam infrégit: ac párcius indúlgens somno, expetébat ab hujúsmodi necessitáte liberári, ut illo fruerétur incessánter, quo jucundántur cœli, et Angeli lætántur. Quod diúrni témporis supérerat ab oratióne, et pietátis exercítiis, in páuperes juvándos impendébat, nullum offícii genus prætermíttens, quo afflíctos consolarétur, oppréssos liberáret, et vinctos edúceret de carcéribus.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

## Lectio vi.

Futuras maris tempestátes prænuntiábat, illásque sæpe suis oratiónibus sedávit: visa aliquóties super undas incédere, quo fratres captivórum redemptóres, aliósque in mari periclitántes serváret incolúmes; unde ei Maríæ de Subsídio, vulgo de Socos, nomen est índitum. Dénique post multa virtútum insígnia, Barcínone migrávit ad Dóminum, décimo tértio kaléndas octóbris, anno salútis millésimo ducentésimo nonagésimo. Ejus corpus, ex quo suavíssimus odor manábat, sepúltum est in ecclésia fratrum órdinis sui: quod nonagésimo post anno, epíscopo barcinonénsi, Petro Aragóniæ rege, ceterísque áulæ, et civitátis primátibus adstántibus, solémni pompa elevátum, incorrúptum repértum fuit; ac decentióri loco, ubi religióse cólitur, asservátum.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia, et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Communi Virg. 1. loco.

Pro Ss. Cypriano, et Justina.

Lectio IX.

CYPRIANUS primum magus, póstea martyr, cum Justínam christiánam vírginem, quam júvenis quidam ardénter amábat, cantiónibus, ac venefíciis ad ejus libídinis asséńsum allícere conarétur, dæmonem consúluit, quanam id re cónsequi posset. Cui dæmon respóndit, nullam illi artem processúram advérsus eos, qui vere Christum cólerent. Quo respónso commótus Cypriánus veheménter dolére cœpit vitæ superióris institútum. Itaque relíctis mágicis ártibus, se totum ad Christi Dómini fidem convértit. ¶ Quam ob caússam una cum vírgine Justína comprehénsus est, et ambo cólaphis, flagellísque cæsi sunt: mox in cárcerem conjécti, si forte senténtiam commutárent. Verum inde póstea emíssi, cum in christiána religióne constantíssimi reperiréntur, in sartáginem plenam fervéntis picis, ádipis, et ceræ injécti sunt. Demum Nicomedíæ secúri feriúntur. Quórum projécta córpora cum sex dies inhumáta jacuíssent, noctu quidam nautæ clam ea in navem impósita Romam portavérunt: ac primum in prædio Rufínæ nóbilis féminæ sepúlta sunt; póstea transláta in urbem, in basílica constantiniána cóndita sunt prope baptistérium.

Te Deum.

In Laud., ad Benedictus. Antiph. Adducéntur in lætítia, et exultatióne regi Dómino vírgines post Maríam, ut in sanctitáte, et justítia sérviant illi, et quocúmque íerit, ipsum Agnum sequántur.

Et fit commem. Ss. Cypriani, et Justinæ. Antiph. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére, multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

BEATÓRUM mártyrum Cypriáni, et Justínæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsídia: quia non désinis propítius intúeri, quos táli-

bus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, commem. præcedentis, ut infra.

## DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

### In festo S. Caji Episcopi, et Confess. Duplex.

Oratio. Exáudi.

Deinde pro comm. B. Maríæ de Socos. Antiph. Mare, et venti Maríæ obédiunt angélici candóris virtúte pollénti: aquæ multæ cessérunt ardóri charitátis ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Deus, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsístere; concéde propítius, ut intercedénte beáta María fámula tua de præséntis vitæ flúctibus edúcti ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Cajus, civis románus, sancti Bárnabæ Apóstoli discípulus, Anatalóni in episcopátu mediolanénsi succédens, Anolíni præfécti jussu multa simul cum Clatéo Bríxiæ epíscopo fídei causa perpéssus est. Protásium, et Gervásium, cives mediolanénses, fratres germános, quórum deínceps martyrium nóbile éxtitit, fídei doctrína instrúxit, et baptizávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Sanctórum autem Petri, et Pauli Apostolórum desidério flagrans, iter Romam suscépit: et in via dum esset, divína quadam spíritus præsensióne vidit eos jussu Nerónis martyrium obiísse. Romam autem ubi venit, quod præsénserat, re ipsa factum esse cognóvit. Sed cum beáto Cleménte, et céteris Apostolórum discípulis aliquámdiu fuit, quibúscum Evangélii prædicatiónem communicávit. Mediolánum vero revérsus, in illo persecutiónis neroniánæ ímpetu, pro fide, proque Ecclésia

sibi commíssa cum multa fórtiter divinéque egísset, demum sanctitátis laude clarus quiévit in Dómino.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Lectio VI.

Beati Patris Caji mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi unius cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

In secundis Vesp., comm. sequentis. Antiph. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Deus qui beátum Wenceslάum per martyrii palmam a terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti: ejus précibus nos ab omni adversitáte custódi, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

## DIE XXIX. SEPTEMBRIS.

### In festo Apparitionis B. M. V. Tirani.

Duplex majus.

Pro Valle Tellina cum Burmio, et Clavenna, nec non pagis Pesclavii, et Brusii.

In primis Vesperis.

Ant. Vade, et cóngrega se-

nióres, et dices ad eos, ut ædíficent mihi domum.

Psalmus. Dixit Dóminus. cum reliquis ut in Officio Parvo B. M. V.

Ant. Erunt óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

Ant. Dabo pacem in fínibus vestris, et non erit qui extérreat.

Ant. Persequímini inimícos vestros, et córruent coram vobis.

Ant. Laudábile nomen Dómini Dei vestri, qui fecit per me mirabília vobíscum.

Capitulum. Apoc. 21.

Et venit unus de septem Angelis, et loquútus est mecum dicens: Veni, et osténdam tibi sponsam uxórem Agni; et sústulit me in spíritu.

Hymnus.

Eja longínquæ properáte gentes
Huc, ubi summi plácuit beátæ
Núminis Matri, perhibénte fama,
Sístere gressus.

Hic pio nempe Mário locuta,
Erigi sacram sibi jussit ædem;
Esset ut nobis cólumen salútis,
Hospitibúsque.

Ejus hinc læti célebrant egéni
Dona, et elíngues, oculísque capti,
Sáucii, cláudi, rigidíque tenti
Cárceris antro.

Cóncinunt sævis pélagi procéllis
Eruti, et flammis spatiántis ignis;
Cóncinunt mortis, satanæque vinclis
Sæpe solúti.

Virgo, quæ mira pietáte præstas,
Exteros audi pópulos precántes;
Ac tua e nostris mala cuncta pellat
Déxtera terris.

Sit decus Patri Genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Veníte, et vidéte ópera Dómini. ℟. Quæ pósuit prodígia super terram.

Ad Magníficat, Antiph. Noli timére, terra: exulta, et lætáre, quia tua est super omnem glóriam protéctio ejus.

Oratio.

Deus, qui per beátam Vírginem Maríam singulá-

ria humáno géneri múnera contulísti; tríbue, quæsumus, ut qui ejus hódie salutíferæ Apparitiónis memóriam recólimus, ejúsdem étiam protectióne muniámur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Wenceslai Ducis Martyr. Antiph. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Deus, qui beátum Wencesláum per martyrii palmam a terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti, ejus précibus nos ab omni adversitáte custódi, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum nostrum.

In fine Hymnor. dicitur: Jesu, tibi sit glória etc.

Ad Matutinum, Invitator. Christi Mater appáruit nobis: * Veníte adorémus Dóminum.

Hymnus. Quem terra, pontus, sídera, Antiph., et Psalmi ut in Officio Parvo B. M. V.

In primo Nocturno.

℣. Glória Líbani ad te véniet. ℟. Et locum pedum meórum glorificábo.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio i. c. 21.

Vidi civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cœlo a Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo. Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus. Et abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelíssima sunt, et vera.

℟. Sint óculi tui apérti super domum hanc: * Ut exáudias quicúmque oráverint in loco isto. ℣. Si cláusum fúerit cœlum, et non plúerit, si fames obórta fúerit, vel pestiléntia, et afflíxerit eum inimícus ejus. Ut.

Lectio ii.

Et dixit mihi: Factum est. Ego sum Alpha, et Omé-

ga, inítium, et finis; ego sitiénti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vícerit, possidébit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi fílius. Tímidis autem, et incrédulis, et execrátis, et homicídis, et fornicatóribus, et venéficis, et idolátris, et ómnibus mendácibus, pars illórum erit in stagno ardénti igne, et súlphure: quod est mors secúnda. Et venit unus de septem Angelis, et loquútus est mecum dicens: Veni, et osténdam tibi sponsam, uxórem Agni: et sústulit me in spíritu.

℟. Cum vénerit alienígena de terra longínqua propter nomen tuum, et oráverit in loco isto, * Tu exáudies de cœlo in firmaménto habitáculi tui. ℣. Ut univérsi pópuli terrárum probent, quia nomen tuum invocátum est super domum hanc. Tu exáudies.

Lectio III

Et ambulábunt gentes in lúmine ejus: et reges terræ áfferent glóriam suam, et honórem in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens, et mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. Et osténdit mihi flúvium aquæ vitæ, spléndidum tamquam crystállum, procedéntem de sede Dei, et Agni. In médio platéæ ejus, et ex utráque parte flúminis lignum vitæ, áfferens fructus duódecim, per menses síngulos reddens fructum suum, et fólia ligni ad sanitátem géntium. Et omne maledíctum non erit ámplius: sed sedes Dei, et Agni in illa erunt, et servi ejus sérvient illi.

℟. Propitiáberis pópulo tuo, et dabis misericórdiam. * Pópulus enim tuus est, et hæréditas tua. ℣. Si peccáverint tibi, et tradíderis eos inimícis, et revérsi fúerint ad te, exáudies de cœlo in firmaménto sólii tui. Pópulus. Glória. Pópulus.

In secundo Nocturno.

℣. Progréditur quasi auróra consúrgens.
℟. Terríbilis, ut castrórum ácies ordináta.

Sermo
S. Bernardíni senénsis.
Serm. 3. de Glorioso Nom. V. M. Lectio IV.

Omnes ígitur angélici spíritus sunt glóriæ Vírginis minístri, atque servi. Quómodo enim non essent servi illíus, per quam eórum

quantum ad númeri integritátem reparátio facta est, per cujus Fílium eorúmdem facta est purgátio, illuminátio, et consummátio, idest, glóriæ consummátæ perféctio? Vere ígitur Dómina dici potest, atque mérito habent de illa omnes cœléstes spíritus confíteri, et dícere: Servi tui sumus, quæque jússeris faciémus. Mérito ergo cómpetit ei nóminis etymología, quia Dómina dícitur, eo quod dómui præsit: ipsa quippe præest dómui Dei, idest empyreo cœlo, Ecclesiástico teste, qui de ipsa ait: Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaménto domus suæ.

℟. Ædificábit mihi domum; * Et ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fílium. ℣. Si iníque áliquid gésserit, árguam eum in virga virórum, et in plagis filiórum hóminum, misericórdiam autem meam non áuferam ab eo. Et.

Lectio v.

Ipsa enim inimíco humáni géneris dominátur, et minas infert. Proptérea Sálomon subdit: Terríbilis, ut castrórum ácies ordináta. Nóverunt illi, quórum usus est in rebus béllicis exercéri, armátas ácies, et in prælium ordinátas quanti sit decóris páriter, et timóris aspícere, quantum apparátus deléctet, et extérreat armatúra. Quis hæc sine delectatióne prævídeat, sine terróre pertránseat? Sic et Virgo María gratiárum nómine plena, variísque virtútibus metuénda, domésticos fídei mulcet spe pietátis, et hostes jure potestátis extérret. Prima enim vítiis bellum indíxit, prima contra carnis insúltus virtútum ácies ordinávit, dum et virginitátem elégit, et eam humilitátis custódia communívit, per quod et diábolo terrórem incússit, et sanctis sponsa facta est, et suávis. Indéque cœpit hostes expavéscere, unde fidélibus datum est exultáre. Et sic una simul, et éadem pro divérsis efféctibus appáruit terríbilis, et decóra, quando et illis fortem in prælio, et nobis ducem pacíficum parturívit. Intelléximus ígitur domínii Vírginis proprietátem, magnitúdinem, et multitúdinem.

℟. Vidi afflictiónem pópuli mei, * Descéndi, ut líberem eum. ℣. Ego ero illi in matrem, et ipse erit mihi

in fílium. Descéndi, ut líberem eum.

Lectio vi

Orémus ígitur, dilectíssimi fratres, Dóminam nostram, Vírginem benedíctam, ut quæ mater esse méruit júdicis sæculórum, pro reátibus nostris Fílio satisfáciat advocáta. Quid enim in causa potest esse perículi, ubi causas hóminum illa perórat? Peculiári autem ratióne vulturénæ províncíæ cáusas peroráre, amor ardens, quo ab antíquis usque tempóribus illam díligit, haud obscúre suádet. Félix enim solum ipsíus anno millésimo quingentésimo quarto pio, ac Deum timénti Mário Homodéo mirabíliter in agro tiranénsi appárens, illústre réddidit: ejúsque, qua late patet, se esse patrónam asséruit; illiúsque jussu erécto templo, perpétua miraculórum cópia Vulturénos præcípue advérsus cujúsvis géneris calamitátes tuéri non désinit. Quare sacra ejus Imágo a summo pontífice Alexándro Octávo áurea coróna insigníta fuit; ac pretiósis regum, et príncipum ditáta munéribus; véterum tandem monumentórum perácto exámine, Pius Sextus póntifex máximus ad recoléndam præfátæ Apparitiónis memóriam offícium próprium die vigésima nona septémbris quotánnis recitándum concéssit.

℟. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus virtútis: * Quóniam liberávit me ab inimíco meo potentíssimo. ℣. Benedícam Matrem Dómini mei omni témpore; semper laus ejus in ore meo. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

℣. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam. ℟. In médio templi tui.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii Cap. 1.

In illo témpore: Exúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Júda, et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii epíscopi.

Ex Lib. 2. Comm. in Luc.

Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Non quasi ignórans dicit. Scit enim esse Spíritus sancti grátiam, et operatiónem, ut mater Prophétæ a matre Dómini ad proféctum

sui pígnoris salutétur; sed quasi non humáni hoc mériti, sed divínæ grátiæ munus esse cognóscat, ita dicit: Unde hoc mihi? Hoc est, quantum bonum mihi accédit, ut mater Dómini mei véniat ad me, non cognósco meum. Unde hoc mihi? qua justítia? quibus factis? pro quibus méritis? Miráculum séntio, cognósco mystérium. Venit ad inferiórem supérior, ut inférior adjuvétur. Cito advéntus Maríæ, et præséntiæ divínæ benefícia declaréntur.

℟. Ponam locum pópulo meo, et plantábo eum, et habitábit sub eo, * Et non turbábitur ámplius. ℣. Non áddent fílii iniquitátis, ut afflígant eum sicut prius. Et.

Lectio VIII.

Beata, inquit, quæ credidísti; sed et vos beáti, qui audítis, et créditis; quæcúmque enim credíderit ánima, et cóncipit, et génerat Dei Verbum, et ópera ejus agnóscit. Sit in síngulis Maríæ ánima, ut magníficet Dóminum; sit in síngulis spíritus Maríæ, ut exúltet in Deo; si secúndum carnem una Mater est Christi, secúndum fidem tamen ómnium factus est Christus.

℟. Introíbimus in tabernáculum ejus: * Adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus. ℣. Quóniam elégit habitatiónem sibi. Adorábimus. Glória. Adorábimus.

Lectio IX.

Omnis ánima áccipit Dei Verbum; sit tamen immaculáta, et immúnis a vítiis; intemeráto castimóniam pudóre custódiat. Quæcúmque ígitur talis esse póterit ánima, magníficat Dóminum, sicut ánima Maríæ magnificávit Dóminum, et exultávit spíritus ejus in Deo salutári suo. Magnificátur enim Dóminus, sicut et álibi legístis: Magnificáte Dóminum mecum: non quod Dómino áliquid humána voce possit adjúngi, sed quia magnificátur in nobis. Imágo enim Dei Christus est, et ídeo si quid justum, religiosúmque fécerit ánima, illa imáginem Dei, ad cujus est similitúdinem creáta, magníficat; et ídeo dum magníficat eum, magnitúdinis ejus quadam participatióne sublímior fit, ut illam imáginem spléndido bonórum colóre factórum, et quadam æmulatióne virtútis in se videátur exprímere.

Te Deum.

## AD LAUDES,

et per Horas. Antiph.

VIDI afflictiónem pópuli mei: veni, ut líberem eum.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis de Dominica.

Antiph. Ego ero tecum, et habébis signum, quod míserim te, in cunctis mirabílibus meis.

Ant. Consúrgite, et ædificáte sanctuárium Dómino Deo, ut introducátur Arca fœderis Dómini in domum, quæ ædificátur nómini Dómini.

Ant. Ad hoc tantum facta est domus ista; ut recípias oratiónem servi tui, et obsecratiónem ejus.

Ant. Aperiántur, quæso, óculi tui, et áures tuæ inténtæ sint ad oratiónem, quæ fit in loco isto.

Capitulum. Apoc. c. 21.

ET venit unus de septem Angelis, et locútus est mecum dicens: Veni, et osténdam tibi sponsam, uxórem Agni; et sústulit me in spíritu.

Hymnus.

Huc, illibátæ vírgines,
Et innocéntes párvuli,
Huc, o devóti pópuli,
Venit Regína cœlitum.

De cœlo Mater ómnium
Supérno illústrans lúmine,
Venit depéllens ténebras,
Venit addúcens grátias.

O ter beáta, et ámplius,
Tellus pusílla, et húmilis,
Quæ tam benígnæ Vírginis
Es consecráta pédibus!

Sed oh! longe beátior
Eris tu, gens, per témpora,
Si a te servétur cháritas,
Fides, devótio, púritas.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Visitásti terram, et inebriásti eam. ℟. Multiplicásti locupletáre eam.

Ad Benedictus, Antiph. Eúntes renuntiáte quæ audístis, et vidístis: cæci vident, cláudi ámbulant, infírmi sanántur, mórtui resúrgunt.

Oratio.

DEUS, qui per beátam Vírginem Maríam singulária humáno géneri múnera contulísti; tríbue, quæsumus, ut qui ejus hódie salutíferæ Apparitiónis memóriam recólimus, ejúsdem étiam protectióne muniámur. Per Dóminum.

Ad Primam, in ℟. brevi ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam, Antiphona. Ego ero tecum.

Capitulum. Et venit unus. ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona. Consúrgite.

Capitulum. Eccli. 24.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea: et radicávi in pópulo honorificáto.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vulto suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Aperiántur.

Capitulum. Eccli. 24.

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi; quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit eam. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, præter: Ad Magnificat. Antiphona. Non vocáberis ultra derelícta. Et terra tua non vocábitur ámplius desoláta; sed vocáberis volúntas mea in ea, quia locum pedum meórum glorificábo.

Et fit commem. sequentis. Antiph. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Hierónyme, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stólam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es; præsta, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, quod ore simul, et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum nostrum.

## FESTA OCTOBRIS.

### DIE III.

In festo S. Joannis II. Episc. comens., et Confess. Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Ad Magnificat. Antiph. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum. Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Joánnis Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lect. de Communi Conf. Pontif. 1. loco.

### DIE V. OCTOBRIS.

In festo Ss. Eustachii, et Sociorum Martyr.

(Ex die 20 septembris hodie assignato). Duplex.

Omnia ut in Breviario, cum Lectio ix. Ss. Placidi, et Sociorum Martyr.; et eorundem Ss. Martyr. comm. in primis Vesperis, et Laudibus; pro qua Antiph.. et ℣. variantur, et dicitur Oratio. Deus, qui nos ánnua. de Communi.

### DIE VII. OCTOBRIS.

In festo S. Thomæ de Villanova Episc., et Confess.

(Ex die 22 septembris hodie assignato). Duplex.

Lectio ix. pro S. Marco Papa, et Confess. Commem. ejusdem S. Marci, deinde Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli, et Apuleji Martyr., in primis Vesperis, et Laudibus.

In commem. S. Marci in primis Vesp. dicitur ℣. Elégit eum Dóminus; in Laud. ℣. Amávit eum Dóminus.

Reliqua ut in Breviario, die 22 septembris.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

### DIE VIII. OCTOBRIS.

In festo S. Felicis Episc. comens., et Confess. Duplex.

Oratio.

Deus, qui pópulum tuum beáti Felícis Confessóris

tui atque Pontíficis prædicatióne docuísti; concéde, quæsumus, ut ejus continuáta intercessióne a cunctis hóstium nostrórum liberémur insídiis, et gáudiis perfruámur ætérnis. Per Dóminum nostrum.

Et fit commem. S. Thomæ de Villanova. Antiph. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui beátum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti; quæsumus, ut ejus intercessióne in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno. Lect. Fidélis sermo. de Communi 1. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv

Felix primus órdine episcopórum coménsium, quorum memória ad nos perveníre pótuit, cláruit circa témpora Damási papæ, et Theodósii Senióris imperatóris. Hic sancto Ambrósio ob insígnem doctrínam, et egrégias ejus virtútes charus ádmodum fuit, et ei familiaritáte conjúnctus, ut ex Ambrósii ipsíus epístola vidére licet, qua sic ad Felícem scripsit: Etsi córporis hábitu minus valébam, tamen ubi sermónem unánimis mihi péctoris legi, non mediócrem sumpsi ad convalescéndum grátiam. Extat et áltera Ambrósii ad eúmdem epístola, qua signíficat magno se tenéri desidério ipsíus Felícis viséndi, nec posse pati illíus abséntiam.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Conquéritur de Felíce Ambrósius, quod se nequáquam revíserit, cum ait: Certe in illo órdine Coménsium jam plérique cœpérunt crédere magistério tuo, et doctrína tua verbum Dei recepérunt: sed qui dedit credéntes, et adjutóres dabit, quo et tibi excusándi auferátur necéssitas, quod sérius nos invíseris, et mihi crébrior tuæ præséntiæ

refundátur grátia. Ex hac Ambrósii de Felíce tam honoríﬁca testiﬁcatióne sunt qui ásserant, eum in epíscopum ab ípsomet Ambrósio consecrátum, ad idque potíssimum ab ipso deléctum, ut pópulum comménsem in Christi ﬁde erudíret, et salutári doctrína pásceret.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Non déstitit Felix, episcopátu suscépto, et prædicatiónis verbo, et vitæ exémplo pópulum sibi tráditum régere: quo haud difﬁcúlter est efféctum, ut multi a ﬁde cathólica aberrántes ad veritátis viam sint perdúcti, nonnúlli étiam a religióne christiána aliéni ad veri Dei cultum sint convérsi. Quo in múnere diu, sancte, religioséque perfúnctus Felix, cum appropinquáre sibi mortis tempus intellígeret, Províno sibi successóre deléclo, ad meritórum præmia ábiit in cœlum, octávo idus octóbris, atque sepúltus est in crypta basílicæ sancti Carpóphori in monuménto, quod adhuc osténditur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

In secundis Vesp. commem. Ss. Dionysii, Rustici, et Eleutherii Martyr. Ant. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die beátum Dionysium Mártyrem tuum, atque Pontíﬁcem virtúte costántiæ in passióne roborásti: quique illi, ad prædicándum Géntibus glóriam tuam, Rústicum, et Eleuthérium sociáre

dignátus es: tríbue nobis, quæsumus, eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

## DIE X. OCTOBRIS.

In festo
S. Francisci Borgiæ Confess.
Duplex 2. Classis.

In primo Noct., Lectiones Beátus vir. de Communi Confess. non Pontif. 2. loco. Reliqua ut in Breviario.

In secundis Vesperis commemoratio sequentis.

## EODEM DIE.

In Valle Tellina, etc.
Festum
S. Michaelis Archangeli.
(Ex die 29 septembris hodie assignatum). Duplex 2. Class.
Omnia ut in Breviario.

In 2. Vesp. comm. sequentis.

## DIE XI. OCTOBRIS.

In festo S. Eupilii
Episc. comens., et Confess.
Duplex.

Ad Magnificat, Antiph. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus. ℟. Stolam glóriæ.

Oratio

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Eupílii Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Noct. Lectiones de Comm. 2. loco.

Vesp. a Capit. de sequenti.

## DIE XII. OCTOBRIS.

In festo
S. Monæ Episc., et Confess.
Duplex.

In Hymno. Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Eupilii. Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℣. Justum dedúxit. ℟. Et osténdit.

Oratio. Exáudi. ut supra.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Monas, civis mediolanénsis, beatíssimo mártyri, et epíscopo Calimério in ecclésia mediolanénsi succéssit. Vir fuit et sanctitátis

láude, et philosophíæ sciéntia præstantíssimus. Cœlésti lúmine, cum de epíscopo eligéndo agebátur, circumfúsus, illíus signi tamquam admónitu, epíscopus admirabíliter creátus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Quam gubernatiónem ubi suscépit, pátrias opes, quas satis amplas habébat, Ecclésiæ donávit. Mediolánum parœciis distínxit, easque certis términis definívit: quarum unicuíque sacerdótes adscrípsit. Diútius, quam quísquam álius, quinquagínta scílicet novem annos, Ecclésiam mediolanénsem gubernávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Quo tam longo témporis spátio, et in summa persecutiónum tempestáte, multa fórtiter, sancte, atque ad præscríptum Evangélii cum egísset, in Dómino óbiit. Ejus corpus primo ab Eribérto archiepíscopo ad ecclésiam sancti Vitális translátum est, quarto idus octóbris, quo die illíus celébritas ágitur: deínde a sancto Cárolo, cardináli sanctæ Praxédis, archiepíscopo, in basílica metropolitána, solémni translatiónis celebritáte, pie honorificéque recónditum est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homília in Evangel. Homo péregre. de Communi 1. loco.

## DIE XVI. OCTOBRIS.

In festo S. Birgittæ Viduæ.

(Ex die 8 hujus mensis hodie assignato). Duplex. Omnia ut in Breviario.

## DIE XX. OCTOBRIS.

In festo S. Joannis III. Episc. comens., et Confess. Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Petri de Alcantara. Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum deduxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábilis pœniténtiæ, et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignátus es; da nobis, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, facílius cœléstia capiámus. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno Lectiones de Communi Conf. Pontif. 1. loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE XXI. OCTOBRIS.

### In festo S. Ludovici Bertrandi Conf.

(Ex die 10 hujus mensis hodie assignato). Duplex.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum per córporis mortificatiónem, et fídei præcónium sanctórum glóriæ coæquásti; præsta, ut quod fide profitémur, pietátis opéribus júgiter impleámus. Per Dóminum.

Et fit commem. præcedentis. Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Joánnis Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem.

Deinde S. Hilarionis Abb. Antiph. Euge, serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium Dómini tui.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio.

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Postea Ss. Ursulæ, et Sociarum Virg., et Martyrum.

Ant. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum, et Mártyrum tuárum, Ursulæ, et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Ludovícus Bertrándus, Valéntiæ, in Hispánia tarraconénsi, honéstis piísque paréntibus natus, ab ipsa pene infántia sanctitátis, ac pœniténtiæ tyrocínium inchoávit. Exácta pueritia, intérdum nuda cubábat humo, noctes sæpe ducébat insómnes, ac in pietátis, et charitátis offícia sédulus incumbébat. Mundi contémptu, ac religiósæ vitæ ardóre succénsus, paréntum artes, quibus eum a sancto propósito dimovére conabántur, mira constántia superávit. Sui tandem voti compos effèctus, prædicatórum órdini nomen dedit, ubi brevi tantum profécit, ut vel provectióribus ipsis, quamvis tyro, fúerit exémplo. Emíssa professióne, mirum, quot et quantis virtútum increméntis priórem vitæ ratiónem cumulárit. Jejúniis, flagéllis, cilíciis, vigiliísque carnem domans, mentem jugi oratiónis pábulo nutriébat: ex quo tantum intérnæ ánimi modéstiæ, ac puritátis hauriébat, ut vel in ejus óculis, ac vultu apparéret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio V.

Adhuc júvenis novitiórum præféctus institútus, eos ad omnem verbo, et exémplo sanctimóniam efformábat. Ad occidentáles Indos evangélicus prædicátor missus, quamvis uno tantum hispánico uterétur idióma-

te, eum tamen divérsæ, atque inter se díssitæ natiónes, sua véluti loquéntem lingua, síngulæ audiébant; ex quibus innúmeros ad christiánam fídem addúxit; ibíque venénum, non semel sibi a bárbaris propinátum, innóxie hausit. Públicam vitiórum objurgatiónem, tamquam in se unum diréctam, nóbilis quidam ultúrus, mortem Ludovíco inténtat; cum strictus in eum sclopus in crucifíxi formam repénte convértitur. Quo miráculo nefárius aggréssor permótus, ad sancti viri pedes provolútus, tanti facínoris véniam eníxe deprecátur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio VI.

Humilitate, ac patiéntia insígnis illud idéntidem usurpábat: Dómine, hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in ætérnum parcas. Prophético afflátus spíritu, multa prædíxit. Ignem signo crucis extínxit, tempestátes sedávit, ferárum ímpetus cohíbuit, mórtuis vitam, cæcis visum, cláudis gressum, surdis réddidit audítum. Tandem durióris pœniténtiæ labóribus fractus, in morbum íncidit, sacrísque mystériis rite expiátus, migrávit in cœlum séptimo idus octóbris, anno millésimo quingentésimo octogésimo primo, ætátis vero suæ quinquagésimo quinto. Quem multis étiam post óbitum miráculis clarum Paulus Quintus beatórum, Clemens vero Décimus sanctórum número adscrípsit. Ejus demum festum Alexánder Octávus, instánte rege cathólico, ab univérso ditiónis ipsíus clero sæculári sub ritu dúplici celebrándum decrévit, sanctúmque confessórem novi regni granaténsis patrónum apostólica auctoritáte declarávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia.

In tertio Noct., Homilia in Evangel. Sint lumbi. ut

In Communi Confess. non Pontif. 1. loco.

Pro S. Hilarione Abbate.

Lectio ix.

Hilarion ortus Tabáthæ in Palæstína ex paréntibus infidélibus, Alexandríam missus studiórum causa, ibi morum, et ingénii laude flóruit, ac Jesu Christi suscépta religióne, in fide, et charitáte mirabíliter profécit. Fréquens enim erat in ecclésia, assíduus in jejúnio, et oratióne: omnes voluptátum illécebras, et terrenárum rerum cupiditátes contemnébat. Cum autem Antónii nomen in Ægypto celebérrimum esset, ejus vidéndi stúdio in solitúdinem conténdit: apud quem duóbus ménsibus omnem ejus vitæ ratiónem dídicit. Domum revérsus, mórtuis paréntibus, facultátes suas paupéribus dilargítus est. Necdum quintumdécimum annum egréssus, rédiit in solitúdinem: ubi extrúcta exígua casa, quæ vix ipsum cáperet, humi cubábat. Nec vero saccum, quo semel amíctus est, umquam aut lavit, aut mutávit, cum supervacáneum esse díceret, mundítias in cilício quærere. ¶ In sanctárum litterárum lectióne, et meditatióne multus erat. Paucas ficus, et succum herbárum ad victum adhibébat: nec illis ante solis occásum vescebátur. Continéntia, et humilitáte fuit incredíbili. Quibus, aliísque virtútibus várias horribilésque tentatiónes diáboli superávit, et innumerábiles dæmones in multis orbis terræ pártibus ex hóminum corpóribus ejécit. Qui octogésimum annum agens, multis ædificátis monastériis, et clarus miráculis, in morbum íncidit: cujus vi cum extrémo pene spíritu conflictarétur, dicébat: Egrédere, quid times? egrédere, ánima mea, quid dúbitas? septuagínta prope annis servísti Christo, et mortem times? Quibus in verbis spíritum exhalávit.

Te Deum.

In Laudib. fit commem. S. Hilarionis. Antiph. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet: ut quod

nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Deinde Ss. Ursulæ, et Sociarum. Antiph. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum, et Mártyrum tuárum, Ursulæ, et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, commem. præcedentis.

## DIE XXII. OCTOBRIS.

In festo
S. Joannis Cantii Confess.

(Ex die 20 hujus mensis hodie assignato). Duplex. Omnia ut in Breviario.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE XXIII. OCTOBRIS.

In festo S. Ottariani
Episc. commens., et Confess.
Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit commem. præced. Antiph. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Joánnis Confessóris exémplo in sciéntia sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes; ejus méritis indulgéntiam apud te consequámur. Per Dóm.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Nocturno, Lect. de Communi Conf. Pontif. 2. loco.

Vesperæ de sequenti.

## DIE XXIV. OCTOBRIS.

In festo
S. Raphaelis Archangeli.
Duplex majus.

In primis Vesperis, Ant. Missus est Angelus Ráphael. cum reliquis de Laudibus.

Psalmus. Dixit Dóminus. cum reliquis de Dominica. et loco ultimi, Psalmus. Laudáte Dóminum.

Capitulum. Tob. 12

Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos: ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hymnus.

Tibi, Christe, splendor Patris,
Vita, virtus córdium,
In conspéctu Angelórum
Votis, voce psállimus:
Alternántes concrepándo
Melos damus vócibus.

Collaudámus venerántes
Omnes cœli príncipes,
Sed præcipue fidélem
Médicum, et cómitem
Raphaélem, in virtúte
Alligántem dæmonem.

Quo custóde, procul pelle,
Rex Christe piíssime,
Omne nefas inimíci;
Mundo corde, et córpore
Paradíso redde tuo
Nos sola cleméntia.

Glóriam Patri melódis
Personémus vócibus,
Glóriam Christo canámus,
Glóriam Paráclito:
Qui trinus, et unus Deus
Extat ante sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnificat, Antiph. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum: vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

Oratio.

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via: concéde nobis fámulis tuis; ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dóminum nostrum.

Et fit commem S. Ottariani. Antiph. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Ottariáni Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitat. Regem Archangelórum Dóminum, * Veníte, adorémus.
Psalmus. Veníte.
Hymnus. Tibi Christe, ut supra.

In primo Nocturno. Ant. Ingréssus Tobías invénit júvenem præcínctum, et quasi parátum ad ambulándum; et ignórans quod Angelus esset, salutávit eum.

Psalmus 8.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, et boves univérsas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Ingréssus Tobías invénit júvenem præcínctum, et quasi parátum ad ambulándum; et ignórans quod Angelus esset, salutávit eum.

Ant. Angelus Ráphael seípsum occúltans, ait: Ego sum Azarías magni Ananíæ fílius.

Psalmus 10.

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem, sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat ju-

stum, et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Ant. Angelus Ráphael seípsum occúltans, ait: Ego sum Azarías magni Ananíæ fílius.

Ant. Sanum ducam fílium tuum in regiónem Medórum, et sanum tibi redúcam, allelúja.

Psalmus 14.

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Sanum ducam fílium tuum in regiónem Medórum, et sanum tibi redúcam, allelúja.

℣. Data sunt Angelo incénsa multa.

℟. Ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

De libro Tobíæ.

Lectio i. Cap. 12.

Vocavit ad se Tobías fílium suum, dixítque ei: Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Et respóndens Tobías, dixit patri suo: Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit, et redúxit sanum, pecúniam a Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, et dæmónium ab ea ipse compéscuit: gáudium paréntibus ejus fecit, me ipsum a devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cœli, et bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi,

ut roges eum, si forte dignábitur medietátem de ómnibus, quæ alláta sunt, sibi assúmere. *

℟. In illo témpore exaudítæ sunt preces ambórum in conspéctu glóriæ summi Dei: * Et missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos ambos, quórum uno témpore sunt oratiónes in conspéctu Dómini recitátæ. ℣. Tobías, et Sara in tribulatióne pósiti, cum lácrymis oráre cœpérunt. Et missus.

Lectio ii.

Et vocántes eum, pater scílicet, et fílius, tulérunt eum in partem; et rogáre cœpérunt, ut dignarétur dimídiam partem ómnium, quæ attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúlte: Benedícite Deum cœli, et coram ómnibus viventibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere bonum est; ópera autem Dei reveláre, et confitéri honoríficum est. Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere: quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est, quæ purgat peccáta, et facit inveníre misericórdiam, et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum, et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos; ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit, ut tentátio probáret te.

℟. Egréssus Tobías invénit júvenem spléndidum stántem præcínctum, et quasi parátum ad ambulándum, et salutávit eum, et dixit: * Unde te habémus, bone júvenis? ℣. Et ignórans quod Dómini Angelus esset, salutávit eum, et dixit. Unde.

Lectio iii.

Et nunc misit me Dóminus, ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum. Cumque hæc audíssent, turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Di-

xítque eis Angelus: Pax vobis, nolíte timére. Etenim cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobíscum manducáre, et bíbere; sed ego cibo invisíbili, et potu, qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo, ut revértar ad eum, qui me misit: vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Et cum hæc dixísset, ab aspéctu eórum ablátus est, et ultra eum vidére non potuérunt. Tunc prostráti per horas tres in fáciem, benedixérunt Deum, et exurgéntes narravérunt ómnia mirabília ejus.

℟. Ingréssus Angelus ad Tobíam salutávit eum, et dixit: Gáudium sit tibi semper: * Forti ánimo esto, in próximo enim est, ut a Deo curéris. ℣. Et respóndens Tobías, ait: Quale gáudium mihi erit, qui in ténebris sédeo, et lumen cœli non vídeo? Forti ánimo. Glória Patri. Forti ánimo.

In secundo Nocturno Ant. Dixit autem Angelus: Apprehénde bránchiam piscis, et trahe eum extra aquas.

Psalmus 18.

Cœli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cœlo egréssio ejus:

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum, et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel, et favum.

Etenim servus tuus custó-

dit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Dixit autem Angelus: Apprehénde bránchiam piscis, et trahe eum extra aquas. Ant. Obsecro te, Azaría frater, ut dicas mihi, quod remédium habébunt ista, quæ de pisce serváre jussísti?

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Obsecro te, Azaría frater, ut dicas mihi, quod remédium habébunt ista, quæ de pisce serváre jussísti?

Ant. Lúmina fel sanat, sed virtus cordis, et jécoris diáboli expéllit potestátem.

Psalmus 33.

Benedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et

exaudívit me: * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini: * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste páuper clamávit, et Dóminus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt, et esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo, qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos, * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum, * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * et non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Ant. Lúmina fel sanat, sed virtus cordis, et jécoris diáboli expéllit potestátem.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Augustíni epíscopi.

Serm. 1. in Dominica 15. de B. Tobia, quæ est 226. de tempore.

Lectio iv.

Beatus Tobías, qui panem suum nóverat frángere esuriénti, mercédem céle-

rem mercenário præparat laboránti. Patiénter lectióne percépta, quæ nuper est recitáta, admirabámur patris filiíque tractátum, quemádmodum Angelus monet, quem æstimábant terrénum sub cœlésti glória mercenárium. Ad hoc enim cæcitátis incúrrit exítium, ut Angelum susciperet médicum, qui divínis fácibus incénsus sic anhelávit: Honésta est orátio cum jejúnio, et eleemósyna. Orátio justi clavis est cœli. Ascéndit præcátio, et descéndit Dei miserátio. Licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hóminis linguam, si mundam habet consciéntiam. Cum sénsibus lóquitur, si sit solus noster gémitus. Súfficit áuribus imber oculórum; fletus cítius audit, quam voces. Orátio ínvidi solet de áuribus propulsári. Erat patris, et fílii ánima una; dum esset proprietas membrórum, erat illis singuláris germánitas animórum. Fili, inquit, dimittámus istum hóminem, adjiciéntes ad mercédem plácitam, quia nobis multa ópere suo cóntulit bona; et rogáre cœpit mercenárium, ut mercédis suæ sumat efféctum. Frater, inquit, áccipe quod tuum est, et tunc vade salvus. Récipe mercédem tuam, quia mihi, et fílio meo bonam præbuísti misericórdiam. Tolle, ut dixi, substántiam, quam cum fílio meo reportásti: nam grátia, quam tibi debémus, non potest ponderári.

℟. Interrogávit Tobías Angelum: De qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui respóndens, ait: * Ego sum Azarías Ananíæ magni fílius. ℣. Genus quæris mercenárii, an ipsum mercenárium, qui cum fílio tuo eat? Sed ne forte solícitus sis. Ego sum.

Lectio v.

Contínuo Angelus gaudet de cogitáta mercéde, qui missus fúerat gratis fácere pietátem. Tobis, inquit, vel Tobías, quid de mea mercéde satis supérflue cogitátis? Habéte quod vobis donávit Pater ille cœléstis. Ego minister sum curatiónis, ille est auctor sanitátis. Nescítis cujus mercenárii ope pérfrui meruístis. Defúnctos captivitátis sepelíre non timuístis. Tobis, ascendérunt ad Dóminum ópera tua, quia relícto prándio, reddidísti mórtuum sepultúræ. Ego Dómino medulláta íntuli sacrifícia pro venerábili

sepultúra. Ego diréctus sum operárius fori cœléstis. Mórtuum sepelístis, et mortis acúleum non timuístis. Ipse sepúltus pro vobis voce tácita proclamávit. Probatiónis fúerat cæcitas oculórum, unde patiéntia tua clárius meruísset de cœléstibus ornaméntum. Ego sum Ráphael, unus ex septem Angelis, qui astámus ante claritátem Dei. Non indígeo fructu humánæ mercédis, dívitem me facit conversátio Majestátis. Dives est ille, qui me misit, gratis jussit impéndi quod gratis ipse concéssit. Nec ipsum honórem gratiárum mihi deputétis, quia nihil meis víribus percepístis. Deum benedícite, et illi confitémini, et ipsum glorificáte, quia vobíscum fecit bona.

℟. Exívit Tobías, ut laváret pedes suos, et ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum: qui expavéscens, clamávit voce magna, dicens: Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehénde bránchiam ejus, et trahe eum ad te: * Exéntera hunc piscem: et cor ejus, et fel, et jecur repóne tibi: sunt enim necessária ad medicaménta utíliter. ℣. Attráxit autem Tobías piscem in siccum, et palpitáre cœpit ante pedes ejus, et ait Angelus ei. Exéntera hunc.

Lectio vi.

Subito patefácto mystérii cœléstis honóre, voce Raphaélis Archángeli attóniti Tobis, et Tobías, collápsi in terram proruérunt, vocem trémulam pénitus occultavérunt, quia vocem insólitam audiérunt. Quid metuístis, pater Tobis, filiúsque Tobías? Mercenárium habére cœléstem, et tamquam operárium locáre terréstrem? Celávit vobis Angelus nomen: Azarías sum, inquit, Ananíæ magni fílius: et non dixit: Ego sum Ráphael Angelus. Celávit in primo nómine dignitátem, ne fáceret locatóri terrórem. Si enim díceret: Ego sum Angelus, non esset Tobíæ mercenárius. Serváta est dígnitas nóminis, ut postrémo magnitúdo claresceret dignitátis. Vidéte, charíssimi, quantum sit eleemósynæ méritum: Angelum méruit habére operárium. Vidétis quantum próficit mórtuos sepelíre, ut oblátio ejus per Angelum Raphaélem ad cœléstem ascénderet Majestá-

tem. Vidétis, quia eleemósyna a morte líberat, et ipsa purgat peccáta, facit purgatiónem oculórum, líberat a ténebris peccatórum. Tobías via sua dedúcitur; Sara tot viris contristáta per Angelum matrimónio copulátur.

℟. Ubi introíeris domum tuam, dixit Angelus Ráphael ad Tobíam, statim adóra Dóminum Deum tuum, et grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, et osculáre eum: * Statímque lini super óculos ejus ex felle isto piscis, quem portas tecum; scias enim quóniam mox aperiéntur óculi ejus, et vidébit pater tuus lumen cœli, et in aspéctu tuo gaudébit. ℣. Tolle tecum ex felle isto piscis; erit enim necessárium. Statímque lini. Glória Patri. Statímque.

In tertio Nocturno. Ant. Est hic Sara, Raguélis fília, quæ tibi conjúgio dábitur, et omnis substántia ejus.

Psalmus 95.

Cantate Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam, et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Est hic Sara Raguélis fília, quæ tibi conjúgio dábitur, et omnis substántia ejus. Ant. Septem viros hábuit, quos dæmónium oppréssit; tímeo, ne mihi símile contíngat.

Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus, * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Septem viros hábuit, quos dæmónium oppréssit: tímeo ne mihi símile contíngat.

Ant. Per tres dies oratióni cum uxóre tua vacábis, ut in sémine Abrahæ benedictiónem in fíliis consequáris.

Psalmus 102.

Bénedic, ánima mea, Dómino: * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino: * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis: * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdia, et miseratiónibus.

Qui replet in bonis de-

sidérium tuum: * renovábitur, ut áquilæ, juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Miserátor, et misericors Dóminus, * longánimis, et multum misericors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis; * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cœli a terra, * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte, * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognóvit fignéntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet: * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus:

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam: * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus: * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus: * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Per tres dies oratióni cum uxóre tua vacábis, ut in sémine Abrahæ benedictiónem in fíliis consequáris.

℣. Apprehéndit Angelus Ráphael dæmónium.

℟. Et relegávit illud in desérto superióris Ægypti.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 5.

In illo témpore: Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni epíscopi.

Tract. 17. in c. 5 Joann.

Mirum non esse debet a Deo factum miráculum; mirum enim esset, si homo fecísset. Magis gaudére, quam mirári debémus, quia Dóminus noster, et Salvátor Jesus Christus homo factus est, quam quod divína inter hómines Deus fecit. Plus est enim ad salútem nostram quod factus est propter hómines, quam quod fecit inter hómines; et plus est quod vítia sanávit animárum, quam quod sanávit languóres córporum moritturórum.

℟. Benedícite Deum cœli, dixit Angelus Ráphael, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei: * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, et cantáte illi, et narráte ómnia mirabília ejus. Quia fecit.

Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

Sed quia ipsa ánima nec eum nóverat, a quo sanánda erat: et óculos habébat in carne, unde facta corporália vidéret; nondum habébat sanos in corde, unde Deum laténtem agnósceret: fecit quod vidéri póterat, ut sanarétur unde vidéri non póterat. Ingréssus est locum, ubi jacébat magna multitúdo languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum.

℟. Tempus est, ut revértar ad eum, qui me misit, dixit Angelus Ráphael: * Vos autem benedícite Dóminum, et narráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Vos. Glória Patri. Vos autem.

Lectio ix.

Et cum esset médicus, et animárum, et córporum, et qui venísset sanáre omnes ánimas crediturórum, de illis languéntibus unum elégit, quem sanáret, ut unitátem significáret. Si medíocri corde, et quasi humáno captu, et ingénio considerémus faciéntem, et quod ad potestátem pértinet, non magnum áliquid perfécit;

et quoad benignitátem, parum fecit. Tot jacébant, et unus curátus est, cum posset uno verbo omnes erígere.

Te Deum.

## AD LAUDES,

et per Horas, Antiph.

Missus est Angelus Ráphael ad Tobíam, et Saram, ut curáret eos.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis de Dominica.

Ant. Ingréssus Angelus ad Tobíam, salutávit eum, et dixit: Gáudium sit tibi semper.

Ant. Forti ánimo esto, Tobía: in próximo enim est, ut a Deo curéris.

Ant. Benedícite Deum, cœli, et coram ómnibus viventibus confitémini illi, quia fecit vobíscum misericórdiam suam.

Ant. Pax vobis, nolíte timére: Deum benedícite, et cantáte illi.

Capitulum. Tob. 12.

Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mortuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos: ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hymnus.

Christe, sanctórum decus
Angelórum,
Rector humáni géneris, et
auctor,
Nobis sacrátum tríbue benígnus
Scándere cœlum.

Angelum nobis médicum salútis
Mitte de cœlis Ráphael, ut omnes
Sanet ægrótos, paritérque nostros
Dírigat actus.

Hinc Dei nostri Génitrix María,
Totus et nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et beáta
Cóncio tota.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Benedictus, Antiph. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum: vos

autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus, allelúja.

Oratio.

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via; concéde nobis fámulis tuis, ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona. Ingréssus Angelus.

Capitulum. Quando orábas. ut supra.

℟. br. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta aram templi. Glória Patri. Stetit Angelus. ℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam, Antiphona. Forti ánimo.

Capitulum. Tob. 12. c

Et nunc misit me Dóminus, ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum.

℟. br. Ascéndit fumus arómatum, * in conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Nonam, Antiphona. Pax vobis.

Capitulum. Tob. 12. d

Tempus est, ut revértar ad eum, qui me misit: vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

℟. br. In conspéctu Angelórum, * Psallam tibi, Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam tibi. Glória Patri. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

In secundis Vesperis, Antiphona. Missus est Angelus. cum reliquis de Laudibus.

Psalmus. Dixit Dóminus. cum reliquis de Dominica, et loco ultimi,

Psalmus 137.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui:

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit: * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Capitulum, Hymnus, et Versus, ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Antiph. Princeps gloriosíssime, Ráphael Archángele, esto memor nostri; hic et ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio ut supra.

Et fit commem. Ss. Gávini Proti, et Januarii Martyr., deinde Ss. Chrysanthi, et Dariæ Martyr., ut infra.

## DIE XXV. OCTOBRIS.

### In festo Ss. Gavini, Proti, et Januarii Martyrum.

Duplex.

Ad Magnificat, Antiphona. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Protum, et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es; concéde nobis fámulis tuis, ut quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Deinde pro Ss. Chrysantho, et Daria Martyr. Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére, multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

Beatórum Mártyrum tuórum, Dómine, Chrysánthi, et Daríæ, quæsumus, adsit nobis orátio: ut quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Protus sacérdos, et Januárius diáconus, Túrribus in Sardínia nati, quo témpore Diocletiánus imperátor insatiábilem crudelitátem in christiános exercébat, Romam profécti, et a Cajo sanctíssimo Pontífice ordináti, atque in Sardíniam revérsi, fidem Christi Túrribus prædicábant; Deíque grátia aspiránte, plures gentíles ad veri Dei cultum perduxérunt, inter quos máxime enítuit Gavínus, románus miles, ex præclára, ut fertur, Sabellórum família. Qua de causa bárbari præsidis jussu comprehénsi, diutúrno cárcere maceráti, in equúleo suspénsi, férreis úngulis dilaniáti, variísque tormentórum genéribus vexáti sunt; sed, Deo protegénte, illæsi ab illis evasérunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

Mox Protus présbyter in Hérculis ínsulam, quæ Linária vulgo dícitur, tunc nóxiis animálibus refértam, jubénte præside, deportátus fuit, ut a feris devorarétur; ubi cibo, atque omni humána ope pénitus destitútus, multis calamitátibus vexátus fuit. Sed divínis láudibus inténdens, ab eo, qui dat escam esuriéntibus, mirabíliter enutrítus, hoc étiam suis précibus impetrásse dícitur, ut omnes nóxiæ feræ in ea ínsula, ac vicína Sardínia, usque in præséntem diem extínctæ omníno fúerint. At vero Januárius júnior, donis, et blandítiis tentátus, ut a fide defíceret, in ejus confessióne immóbilis perseverávit. Quare præses novis eum torméntis

simul cum Proto, quem ab exílio revocáverat, subjécit, et Gavíno míliti utrúmque trádidit custodiéndum. Porro Gavínus ab ipsis ad Christum convérsus, et aqua salutári ablútus, líberos illos dimísit, quod insóntes eos, et sine causa vinctos díceret.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

Lectio vi.

Id cum tyránno innotuísset, suasiónibus, et illécebris ad idolórum cultum Gavínum revocáre conátus est; quem in suscépta religióne constantíssimum repértum, capitáli senténtia puníri mandávit in portu Balagái. Quo loco étiam Protus, et Januárius, qui suburbáno Túrrium loco laténtes, ab ipso Gavíno in visu ad martyrii palmam invitáti fúerant, decolláti sunt die vigésima quinta octóbris. Horum córpora, tyranno imperánte, in mare projécta, mox ab íncolis christiánis juxta littus repérta, et in ecclésia magnificentíssime extrúcta, ac eórum nómine consecráta, collocáta fuérunt, ubi a toto Sardíniæ regno, et præcípue a província turritána, quæ in honórem sancti Gavíni mensem octóbris sanctum Gavínum appéllat, ingénti concúrsu, et pópuli veneratióne colúntur.

℟. Tamquam aurum in fornáce probavit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum, et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Noct., Homilia in Evangelium Cum audiéritis prælia. de Communi plurimorum Martyr. 1. loco.

Pro Ss. Chrysantho, et Daria, Martyribus.

Lectio ix.

Chrysanthus, et Daría cónjuges, nóbili génere nati, fide étiam clarióres, quam Daría, maríti ópera, cum baptísmo suscéperat, Romæ innumerábilem hóminum multitúdinem, hæc mulíerum, ille virórum, ad Christum convertérunt. Quare Celerínus præféctus com-

prehénsos trádidit Cláudio tribúno, qui jussit a milítibus Chrysánthum vinctum cruciátibus torquéri: sed víncula ómnia resolúta sunt: mox cómpedes, in quos conjéctus fúerat, confrácti. ¶ Deínde bovis cório inclúsum in ardentíssimo sole constítuunt: tum pédibus, ac mánibus caténa constríctis, in obscúrum cárcerem detrúdunt: ubi solútis caténis, claríssima lux locum illustrávit. Daría vero in lupánar compúlsa, leónis tutéla, dum in oratióne defíxa est, a contumélia divínitus defénsa est. Dénique in arenáriam, quæ est via salária, utérque ductus, effóssa terra, lapídibus óbruti, parem martyrii corónam adépti sunt.

Te Deum.

In Laudibus fit commem Ss. Chrysanthi, et Dariæ Martyr. Ant. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Beatórum Mártyrum tuórum, Dómine, Chrysánthi, et Daríæ, quæsumus, adsit nobis orátio: ut quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum.

In secundis Vesperis, fit commemoratio Ss. Cosmæ, et Damiani Martyr. Antiph. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui Sanctórum mártyrum tuórum Cosmæ, et Damiáni natalítia cólimus; a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur.

Deinde S Evaristi Papæ, et Mart. Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Evarísti Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

## DIE XXVI. OCTOBRIS.

In festo
Ss. Cosmæ, et Damiani Mart.
(Ex die 27 septembris hodie assignato).
Semiduplex.

Lectio ix. pro S. Evaristo Papa, et Martyre, et ejusdem commem. in Laudib. Reliqua ut in Breviario.

## DIE XXVII. OCTOBRIS.

In Valle Tellina, et locis aliis, ubi agitur
Festum Apparitionis
B. M. V. Tirani.

Festum
S. Francisci Borgiæ, Confess.
(Ex die 10 hujus mensis hodie assignatum).
Duplex 2. Classis.

In primo Noct., Lectiones Beátus vir. de Communi 2. loco.

Lectio ix. de Homilia Vigiliæ Ss. Simonis, et Judæ Apostolorum; et commem. ejusdem Vigiliæ in Laudibus. Reliqua ut in Breviario.

## DIE XXIX. OCTOBRIS.

In festo
S. Fidelis Martyris.
Duplex.

Ad Magnificat, Antiph. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Adjuvet nos, quæsumus, Dómine, sancti Fidélis Mártyris tui apud te pro nobis supplex orátio: quo tua benefícia deposcéntes, ejus précibus capiámus, quod nostris méritis non valémus. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Cum Diocletiánus imperátor ódio, quod habébat in Christum Dóminum, pérdere, et pénitus abolére no-

nem christiánum decrevísset, communicáta impérii administratióne Maximiáno, qui eádem insánia tenebátur, Nicomedíam se cóntulit; ibíque ómnium superiórum príncipum crudelitátem in christianórum persecutióne longe superávit. Quem ánimi furórem æmulátus Maximiánus, ipse Medioláni christiánis se hostem infestíssimum exhíbuit. Hac enim témporum calamitáte Fidélis, Maximiáno ob géneris claritátem, et córporis robur, atque ánimi virtútem inter viros militáres valde charus, a beáto Matérno mediolanénsi epíscopo baptizátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v.

Fidélis ítaque, et sua sponte, et sancti Matérni suasiónibus incitátus, christiános, qui in vínculis erant, fréquens invisébat, sumptum suppeditábat, et ómnia pietátis christiánæ offícia eis exhibébat: nihílque magis exoptábat, quam ut eos in libertátem asséreret. Communicáto ítaque cum sanctis Carpóphoro, et Exántho consílio, sanctos Christi mártyres Cássium, et Sócios, qui in vínculis tenebántur, e carcéribus edúxit. Et ut illíus tyránni persecutiónum tempestátes, quæ in dies vehementius excitabántur, declináret, Comum se cum illis cóntulit: ubi aliquámdiu oratiónibus, et jejúniis vacántes, vitam extra hóminum frequéntiam simul duxérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi.

Audiens póstea Fidélis, Maximiánum, cógnita eórum fuga, vehementius exacerbátum satéllites ad eos insequéndos, et interficiéndos misísse, vale dicens sóciis, conscénsa navícula, Summólacum, vicum in extréma Lárii ad septentriónem ora conténdit. Quo in loco a persecutóribus

comprehénsus tentátur, ut deos venerátus ad imperatórem redíret, propósitis ei honóribus, et grátia, quam inde máximam esset consecutúrus: quod si renúeret fácere, se habére in mandátis, ut eum quovis tormentórum génere discruciátum necárent. Verum Fidélis in fídei constántia roborátus, cum nec promíssis, nec minis, aut terróribus commoverétur, nec ulla ratióne ei persuadéri posset, ut idolórum sacra suscípiens Christum negáret, primo fústibus debilitátur, tum ácriter multis áliis torquétur torméntis; et demum in Christi confessióne persístens, datis libénter cervícibus, secúri percútitur. Ejus sacrum corpus, quod ibi sepúltum in obscúro, et ignóbili loco jacébat, post multa témporum currícula, cuidam sanctæ mulíeri divínitus admónitæ manifestátum, Ubáldus epíscopus coménsis plúrimo inde comitátu Comum détulit ad ecclésiam sanctæ Euphémiæ, ibíque summa lætítiæ significatióne plena civitáte, in marmóreo túmulo máxima celebritáte repósuit ad majus altáre templi, quod ex immutáto honóris sancti causa título, sancti Fidélis nómine nuncupátur.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Si quis vult post me veníre. de Comm. unius Martyris 2. loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE XXX. OCTOBRIS.

### In festo S. Benedicti Episcopi comens., et Confess. Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Fidelis.

Antiph. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Adjuvet nos, quæsumus, Dómine, sancti Fidélis Mártyris tui, apud te pro nobis supplex orátio: quo

tua benefícia deposcéntes, ejus précibus capiámus, quod nostris méritis non valémus. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Noct. Lectiones de Communi 1. loco.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

## DIE XXXI. OCTOBRIS.

### In festo S. Antonini Episc., et Confess. Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit commem. S. Benedicti. Antiph. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Benedícti Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sanctus Antonínus, quem álii Antónium vocárunt, in sancti Joánnis cognoménto Boni locum suffèctus est. Suscépto Ecclésiæ regímine, in id potíssimum incúbuit vigilantíssimus pastor, ut péssima vitiórum exémpla, quæ bárbari jamprídem huic solo incubántes relíquerant, ex pópuli sibi commíssi óculis, atque ánimis pénitus deléret. Quod juvánte Deo, intra brevíssimum pontificátus sui spátium felíciter assecútus est, non tam novis piísque institútis, quam vitæ suæ sanctitáte plane admiránda.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

Humilitatis, patiéntiæ, vigilántiæ, aliarúmque pastorálium virtútum cultor exímius tanto apud omnes in honóre fuit, ut una populórum voce, cum adhuc in vivis esset, præprópere appellátus sit sanctus. Sepúltus est in basílica sancti Simpliciáni.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo
sancti Máximi epíscopi.
Lectio vi

Beati Patris Antoníni mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est. et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣ Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

Lectio ix. de Homilia Vigiliæ omnium Sanctorum: et comm. ejusdem Vigiliæ in Laudibus.

## FESTA NOVEMBRIS.

### DIE V.

In festo
S. Magni Episc., et Confess.
Duplex.

In Hymno Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Oratio. Exáudi.

Et fit commem. S. Caroli Episc., et Confess. Antiph. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui, atque Pontíficis contínua protectióne custódi: ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes.

Deinde Octavæ omnium Sanctorum. Ant. O quam gloriósum est regnum, in

quo cum Christo gaudent omnes Sancti! amícti stolis albis, sequúntur Agnum quocúmque íerit.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári, quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

SANCTUS Magnus, mediolanénsis epíscopus, et civis, ea fuit abstinéntia, resque ádeo miríficas egit, ut et cóleret únice eum ætas illa, et admirarétur. Et quamvis breve spátium pontificátus fúerit; rerum tamen gestárum magnitúdine, et omni pastorali offício longa spátia æquávit. Favit exímie paupéribus: præcipuóque spíritu ad sublevándos eórum calamitátes incúbuit, qui cárcere detineréntur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

PÓPULI mediolanénsis pietátem erga eum testántur sacræ ædes, quæ per diœcésim ejus nómini pósitæ conspiciúntur; extátque memória, cultum fuísse antíquitus anniversário offício, et celebritáte kaléndis novémbris. Sepúltus est juxta sancti Eustórgii corpus in basílica, quæ, ob sitas ibi Magórum relíquias, basílica regum appellabátur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo
sancti Máximi epíscopi.

Lectio VI.

BEATI Patris Magni mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore col-

locávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam pervaníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

In Laudibus fit commem. Octavæ omnium Sanctorum. Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti, et Elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus. ℣. Exultábunt. Orat. Omnípotens. ut supra.

## DIE X. NOVEMBRIS.

IN FESTO S. ANDREÆ AVELLINI CONF. PATRONI MINUS PRINCIPALIS SANCTÆ NOVOCOMENSIS ECCLESIÆ.

Duplex majus.

In primo Nocturno, Lect. Beatus vir. de Communi Confess. Pontif. 2. loco.

Reliqua ut in Breviario.

## DOMINICA III. NOVEMBRIS.

IN FESTO PATROCINII B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Festo B. M. V. de Mercede, die XXIV. septembris, præter conclusionem Antiphonæ ad Magnificat. et ℟. VII. ad Matut., quæ est: tuum sanctum Patrocínium; præter Orationem, quæ dicitur ut infra, et Lectiones primi Nocturni, quæ dicuntur de Sermone S. Joannis Chrysost. Dei Fílius., et habentur quinta die infra Oct. Nativitatis B. M. V. die XII. septembris; Lectio IX. legitur de Homilia Dominicæ occurrentis; et fit commem. ejusdem Dominicæ in utrisque Vesperis, et Laudibus.

Oratio.

CONCÉDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis, et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dómin.

## DIE XX. NOVEMBRIS.

IN FESTO
S. BENIGNI EPISC., ET CONFESS.
Duplex.

Oratio. Da, quæsumus.

Et fit commem. S. Elisabeth Viduæ. Antiph. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

TUÓRUM corda fidélium, Deus miserátor, illústra: et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere, et cœlésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

BENÍGNUS, civis mediolanénsis, géneris splendóre, pietátis doctrinæque nómine illústris, sancto Gerúntio in archiepiscopátu succéssit. Medioláni templa, Odoácri Herulórum regis incéndio inflammáta, omni ope instauránda curávit. In omni autem perturbatióne, qua illis tempóribus Ecclésia veheménter exagitabátur, is de gradu suæ sanctíssimæ mentis numquam dimótus, magna constántia, et religióne munus archiepiscopále gessit. Demum miraculórum, quibus ejus sanctitátem Deus testátam fecit, laude clarus quiévit in Dómino. Ejus corpus sepúltum est in basílica sancti Simpliciáni.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Sermo
sancti Máximi epíscopi.

Lectio V.

AD sancti, ac beatíssimi Patris nostri Benígni cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis, et grátiæ, de hoc, quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim, quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat præditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum: quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi 1. loco.

## DIE XXIV. NOVEMBRIS.

In festo
S. Protasii Episc., et Confess.
Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit comm. S. Clementis Papæ, et Martyr. Antiph. Dedísti, Dómine, habitáculum Mártyri tuo Cleménti in mari, in modum templi marmórei, angélicis mánibus præparátum, iter præbens pópulo terræ, ut enárrent mirabília tua.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beáti Cleméntis Mártyris tui, atque Pontíficis solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur.

*Deinde sancti Chrysogoni Martyris. Antiphona.* Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Chrysógoni Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

PROTASIUS, Medioláni família nóbili natus, difficíllimis tempóribus Archiepíscopus factus, et juvándæ Ecclésiæ stúdio, et vitæ vere pastorális exémplo ita se gessit, ut mérita ejus extíterint non multa solum, sed magna, ac sempitérna. Ad concílium sardicénse venit, in quo nicænæ œcuménicæ synodi doctrínam, atque Athanásii causam mirífice defendit; cujus étiam patrocínium apud Constántem imperatórem suscépit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

ALIA egit, quibus testificáta divínitus ejus sanctitáte, in confessórum númerum relátus est. Beáti Protásii corpus una cum aliórum sanctórum corpóribus, quæ in véteri basílica portiána quiescébant, sanctus Cárolus cardinális archiepíscopus, summa cleri populíque frequéntia tránstulit, atque in nova basílica beáti Victóris honoríﬁce collocávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi epíscopi.

Lectio VI.

BEATI Patris Antoníni mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis, et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est. et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

Pro S. Chrysogono Martyre.

Lectio ix.

Chrysógonus, Diocletiáno imperatóre, Romæ inclúsus in cárcere, ibi biénnium sanctæ Anastasíæ facultátibus vixit: quam étiam afflíctam propter Christum a viro suo Público, proptereáque a suis oratiónibus per lítteras auxílium postulántem, mútuis epístolis est consolátus. Sed cum imperátor Romam scripsísset, ut, réliquis christiánis, qui in vínculis essent, interféctis, Chrysógonus Aquiléjam ad se mitterétur, eo perdúctus est. Cui imperátor: Accersívi, inquit, te, Chrysógone, ut honóribus áugeam, si modo indúxeris ánimum deos cólere. At ille: Ego eum, qui vere est Deus, mente, et oratióne véneror: deos autem, qui nihil sunt, nisi dæmonum simulácra, odi, et éxecror. Quo respónso excandéscens imperátor, ad Aquas Gradátas eum secúri pércuti jubet, octávo kaléndas decémbris: cujus corpus projéctum in mare, paulo post in líttore invéntum, Zóilus présbyter in suis ædibus sepelívit.

Te Deum.

In Laudib. fit commem. S. Chrysogoni. Antiph. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Chrysógoni Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

## DIE XXVI NOVEMBRIS.

In festo S. Flaviani II. Episcopi comens., et Confess. Duplex.

Oratio. Exáudi.

Et fit comm. S. Catharinæ Virg., et Martyr. Antiph. Veni, spónsa Christi, ácci-

pe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

DEUS, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis, et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus, ut ejus méritis, et intercessióne, ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus.

Deinde S. Petri Episc., et Mart. Antiph. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, et tertio Noct. Lectiones de Comm. Confess. Pontificis 2. loco.

Pro S. Petro Episcopo, et Martyre.

Lectio IX.

PETRUS epíscopus Alexandríæ, post Theónam virum sanctíssimum, sanctitátis, et doctrínæ splendóre non solum illustrávit Ægyptum, sed toti luxit Ecclésiæ Dei. Qui in persecutióne Maximiáni Galérii illam témporum acerbitátem ita pértulit, ut multi admirábilem ejus patiéntiam intuéntes, plúrimum in christiána virtúte profícerent. Is primus Aríum diáconum alexandrínum propter schisma meletiánum, cui favébat, a fidélium communióne sejúnxit. Ad eum, cápitis ab eódem Maximiáno damnátum, in cárcere cum Achíllas, et Alexánder presbyteri deprecatóres Aríi veníssent, respóndit, noctu apparuísse sibi Jesum veste discíssa, causámque rei sciscitánti, dixísse: Aríus vestem meam, quæ est Ecclésia, dilacerávit. Quibus étiam prædícens fore, ut sibi in episcopátu succéderent, præcépit, ne um-

quam Aríum in communiónem recíperent, quem Deo mórtuum esse sciret. Et hanc divínam prænotiónem veram fuísse, non diu post rei probávit evéntus. Dénique duodécimo sui episcopátus anno, sexto kaléndas decémbris, abscísso cápite, ad martyrii corónam evolávit. Te Deum.

In Laudibus. fit commem. S. Petri. Antiph. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, commem. præcedentis.

## DIE XXVII. NOVEMBRIS.

IN FESTO
S. FELICIS VALESII CONFESS.

(Ex die 20 hujus mensis hodie assignato). Duplex. Omnia ut in Breviario.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, commem. præcedentis.

## DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

IN FESTO
S. JOANNIS A CRUCE CONFESS.

(Ex die 24 hujus mensis hodie assignato). Duplex. Omnia ut in Breviario.

# FESTA DECEMBRIS.

## DIE I.

IN FESTO S. CASTRITIANI
EPISC., ET CONFESS.
Duplex.

Ad Magnificat. Antiph. Sacérdos, et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Castritiáni Confessóris tui, atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In primo Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

## In secundo Nocturno.

### Lectio iv.

Castritianus, civis mediolanénsis, in Caji, qui ex hac vita migrárat, locum epíscopus elígitur absens. Is, ubi Mediolánum venit, in pastorálem curam, quam etsi invítus suscépit, summa tamen vigilántia incúmbens, quæcúmque, ingravescénte páulo ante Dómitiáni persecutióne, collápsa erant, restitúere cœpit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

### Lectio v.

Philíppi, nóbilis viri, ædes Deo in ecclésiam dicávit. Cum autem ob miraculórum, quæ eo loco divínitus fiébant, magnitúdinem, sæpe complúres a fide christiána alién i se ab impietáte ad verum Dei cultum convérterent; is, aucta fidélium multitúdine, álias duas ædes consecrávit, quas duo Philíppi fílii Ecclésiæ donárunt, et has ex eórum nomínibus portiánam unam, basílicam Faustæ álteram vocávit. Quam quidem portiánam cum Ariáni póstea, Justínæ imperatrícis favóre subníxi, violénter invádere, ac suo pséudo-epíscopo trádere niteréntur, sanctus Ambrósius ex advérso intérritus óbstitit; et in ea cum cathólicis, mori secum parátis, excúbans, primum instítuit, ut hymni, et psalmi secúndum morem orientálium pártium caneréntur, ne pópulus intérea mœróris tædio contabésceret; unde factum est étiam, ut áliæ deínceps occidéntis Ecclésiæ ritum eúmdem suscéperint.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

### Lectio vi.

Beatus porro Castritiánus Calimérium, qui deínceps ei in archiepiscopátu succéssit, græcum hóminem, egrégium pietátis cultórem, benígne domi excépit, diúque áluit. Peregrínos, et páuperes fovit perpétuo. His aliísque multis rebus pie gestis, cum unum, et quadragínta annos Ecclésiam mediolanénsem administrás-

set, miráculis, et sanctitáte clarus, ábiit ad Dóminum kaléndis decémbris. Ejus corpus in ecclésia sancti Joánnis ad Concham pia veneratióne cólitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Homo péregre. de Comm. Confess. Pontif. 1. loco.

# COMMEMORATIO

## sancti Abundii Episcopi,

Patroni principalis sanctæ novocomensis Ecclesiæ, facienda inter Suffragia Sanctorum.

Ad Vesperas, et ad Laud.

Ant. Sancte Abúndi Præsul, coménsem Ecclésiam prótege; quo te protegénte, fiat cuncta redúndans cópia, quam pastorály quondam rexísti doctrína.

℣. Ora pro nobis, sancte Abúndi.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Interveniénte, quæsumus, Dómine, beáto Abúndio Confessóre tuo, atque Pontífice, nos divína grátia prævéniat, et sequátur, atque ab univérsis offénsis tueátur. Per Dóminum.

REIMPRIMATUR.

Comi 21 Junii 1847.

✠ CAROLUS EPISCOPUS.

# KALENDARIUM.

## AUGUSTUS.



## SEPTEMBER.



## OCTOBER.

## NOVEMBER.



## DECEMBER.

IN FESTO

# B. GASPARIS DE BONO.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

In Hymno. Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui Beátum Gásparem Confessórem tuum, insígne tuæ dilectiónis et Sacerdotális ministérii exémplar esse voluísti: da nobis ejus précibus, ut per éadem vestígia gradiéntes, præmia cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GASPAR Valéntiæ Edetanórum in Hispánia humílibus quidem, ac piis paréntibus ortus, ab ipsa jam pueritia Dei amóre prævéntus, egrégia futúræ sanctitátis præbuit arguménta. Annum agens décimum quintum in Ordinem Prædicatórum adscríbi vóluit; sed paréntum inópia, et cognatórum hortatiónibus, coáctus a sancti Domínici Cœnóbio discédere ántequam religióso hábitu induerétur, dívitis primum mercatóris famulátui se addíxit: deínde Cathólici Regis, et Imperatóris Cároli Quinti vexílla in equitátu secútus est, et militátum ábiit in Itáliam.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

DECIMO jam stipéndio fungebátur in castris Cæsaris, magnámque præcláris opéribus cum ánimi non instrénui, tum præsértim pietátis, ac miseratiónis, innocéntiæ, et virtútis cœperat opiniónem, quum fórtiter pugnans, in fóveam præceps delábitur suóque ipso equo comprímitur. Jacéntem, hostes circumvéniunt vehementíque hastæ ictu in cápite letháliter vúlnerant ac pene confíciunt. In tanto vitæ discrímine cœléste auxílium Gaspar expóscit, arctiorísque profiténdæ disciplínæ in Ordine Minimórum sancti Francísci de Paula voto se obstríngit. Nec mora: adest contínuo suórum manípulus, qui e fóvea edúctum ad Castrénse Nosocómium defert. In eo quum opinióne facílius atque celérius convaluísset, terrénæ milítiæ sacraménto solútus, in pátriam rédiit, ibíque ut nuncupátum Deo votum sólveret, ad cœnóbium Minimórum sancti Sebastiáni se cóntulit, in quo admíssus, obediéntia, ánimi demissióne, vigíliis, ac orándi assiduitáte; et junióribus incitaménto fuit, et provectióribus anteívit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

EXACTO tyrocínii anno, ac Sacérdos post solémniter proféssam Institúti observántiam ex obediéntia factus, cháritas Dei, quæ jam erat in ejus corde a prima ætáte diffúsa, miro planéque singulári modo in dies coruscávit. Mundánis enim quibuscúmque affféctibus a se abdi-

cátis ; cilíciis, flagéllis, jejúniis corpus afflíxit ; spíritum vero divinárum rerum meditatióne enutrívit. Sacrárum confessiónum excipiendárum múnere Præfécti jussu suscépto, plures e vitiórum cœno ad pie, christianéque vivéndum addúxit. Aliquíbus primo sui Ordinis cœnóbiis, Valentíno nempe, et Alaquénsi, ac tribus in Majóricæ Insula nuper creátis, Barchinonénsi item, ac Perpinianénsi, mox univérsæ Províncíæ Præpósitus, dici vix potest, quantum prudéntia, justítia, mansuetúdine, atque humilitáte excellúerit. His dótibus Deo charus, homínibus admirábilis, Províncíæ præfectúra se ábdicat, ac vi morbi paullátim consúmptus Ecclesiæque Sacraméntis rite munítus, inter suavíssima Jesu, Maríæ, ac Joséphi nómina, iis evangélicis verbis Christi Dómini e Cruce moriéntis : « Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum » clara voce repetítis, obdormívit in Dómino prídie Idus Július anno millésimo sexcentésimo quarto. Quem plúribus étiam post óbitum illústrem miráculis Pius Sextus Póntifex Máximus solémni ritu Beatórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi, de Comm

DIE XX. JULII.

IN FESTO

# S. ELIÆ, PROPHETÆ.

Duplex.

Ad Vesperas, Añæ.

1. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israel. Ps. Dixit Dóminus.

2. Usquequo claudicátis in duas partes? Si Dóminus est Deus, sequímini eum. Ps. Confitébor tibi, Dómine.

3. Si homo Dei sum, descéndat ignis de cœlo, et dévoret te et quinquagínta tuos. Ps. Beátus vir, qui timet Dóminum.

4. Non ego turbávi Israel, sed tu et domus patris tui qui dereliquístis mandáta Dómini. Ps. Laudáte púeri Dóminum.

5. Occidísti ínsuper et possedísti : Ecce ego indúcam super te malum et démetam posterióra tua. Ps. Lauda Jerúsalem Dóminum.

Capitulum. *Eccl.* 48.

SURREXIT Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

NUNC juvat celsi properáre ad alta
Mente Carméli juga, et ore pleno
Vatis Elíæ méritos reférre
Laudis honóres.

Dum fames terras prémeret, minístro
Utitur corvo : víduæ farínam
Súfficit solers, oleóque manat
Hydria píngui.

Hic, Deo fusis précibus, redúctum
Fínibus mortis púerum parénti
Reddit, orándo valet expetítam
Réddere lucem.

Claudit et nubes, aperítque verbo ;
Imperat post tres properánter annos
Décidat Cœlo, sitiénsque tellus
Háuriat imbres.

Sit Patri summo, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque sancte
Spíritus laus, impérium, potéstas,
Tempus in omne. Amen.

℣. Verbo Dómini contínuit cœlum. ℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

Ad Magnificat, Aña.

Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus et horríbilis, et convértet cor patrum ad fílios et cor filiórum ad patres eórum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus, ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte ad cœléstia sublevémur, et Sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem Prophetárum Dóminum: * Veníte adorémus. Ps. Veníte, exultémus.

Hymnus. Nunc juvat celsi, ut supra ad Vesperas.

In primo Nocturno.

Aña. Factum est autem, ut ægrotáret fílius mulíeris matris famílias, et erat languor fortíssimus. Ps. 1. Beátus vir.

Aña. Dixit múlier ad Elíam : quid mihi et tibi, vir Dei ? Ingréssus es ad me ut rememoraréntur iniquitátes meæ et interfíceres fílium meum ? Ps. 2. Quare fremuérunt gentes.

Aña. Ait Elías ad víduam : da mihi fílium tuum. Et clamávit ad Dóminum et revíxit puer. Ps. 3. Dómine quid multiplicáti sunt.

℣. Verbo Dómini contínuit cœlum ℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

Lectio j. *de Lib. iij. Reg. c.* 17.

DIXIT Elías Thesbítes de habitatóribus Gálaad ad Achab : Vivit Dóminus Deus Israel, in cujus conspéctu sto si erit annis his ros et plúvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Dómini ad eum dicens : Recéde hinc et vade contra Oriéntem, et abscóndere in torrénte Carith qui est contra Jordánem et ibi de torrénte bibes : corvísque præcépi ut pascant te ibi. Abiit ergo et fecit juxta verbum Dómini. Cumque abiísset, sedit in torrénte Carith qui est contra Jordánem. Corvi quoque deferébant ei panem et carnes mane, simíliter panem et carnes vésperi, et bibébat de torrénte. Post dies autem siccátus est torrens, non enim plúerat super terram. Factus est ergo sermo Dómini ad eum, dicens : Surge et vade in Saréphta Sidoniórum et manébis ibi, præcépi enim ibi mulíeri víduæ, ut pascat te.

℟. Recéde hinc et vade contra Oriéntem, dixit Dóminus ad Elíam : * Qui ábiit, et fecit juxta verbum Dómini. ℣. Abscóndere in torrénte Carith, et ibi de torrénte bibes, corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Qui.

Lectio ij.

SURREXIT, et ábiit in Saréphta. Cumque venísset ad portam Civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, et vocávit eam dixítque ei : da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pérgeret ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens : affer mihi, óbsecro et buccéllam panis in manu tua. Quæ respóndit : Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hydria, et páululum ólei in lécytho : en cólligo duo ligna, ut ingrédiar et fáciam illud mihi et fílio, ut comedámus et moriámur. Ad quam Elías ait : Noli timére, sed vade et fac sicut dixísti : verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me : tibi autem et fílio tuo fácies póstea. Hæc autem dicit Dóminus Deus Israel : Hydria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur usque ad diem, in qua Dóminus datúrus est plúviam super fáciem terræ. Quæ ábiit et fecit juxta verbum Elíæ : et cómedit ipse, et illa, et domus ejus : et ex illa die hydria farínæ non deфécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini, quod loquútus fúerat in manu Elíæ.

℟. Abiit múlier, et fecit juxta verbum Prophétæ : * Et cómedit ipse, et illa et domus ejus. ℣. Ex illa die hydria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus juxta verbum Elíæ : Et.

Lectio iij.

FACTUM est autem post hæc, et ægrotávit fílius mulíeris matris famílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam : quid mihi, et tibi vir Dei ? Ingréssus es ad me ut remoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum ? Et ait ad eam Elías : da mihi fílium tuum. Tulítque eum de sinu ejus, et portávit in cœnáculum ubi ipse manébat, posuítque super léctulum suum. Et clamávit ad Dóminum et dixit : Dómine Deus meus ; étiam ne víduam apud quam ego utcúmque susténtor afflixísti, ut interfíceres fílium ejus ? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus et clamávit ad Dóminum et ait : Dómine Deus meus, revertátur óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ : et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit.

℟. Revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit, et trádidit matri suæ, et ait illi : * En vivit fílius tuus. ℣. Tulit Elías púerum, et depósuit eum in inferiórem domum, dicens : En. Glória Patri. En.

In secundo Nocturno.

Aña. Factum est verbum Dómini ad Elíam, dicens : vade et osténde te Achab, ut dem plúviam super fáciem terræ. Ps. 4. Cum invocárem, de Comm. Conf. non Pont.

Aña. Ait Elías ad Achab ; Ascénde, cómede et bibe, quia sonus multæ plúviæ est. Ps. 5. Verba mea.

Aña. Manus Dómini facta est super Elíam, accinctísque lumbis currébat ante Achab, donec veníret in Jézrael Ps. 6. Dómine Dóminus noster.

℣. Tu ungis Reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ex Libro sancti Epiphánii Epíscopi de vitis Prophetárum.

Lectio iv.

ELIAS Prophéta ex Thesbis existébat, e Continénte Arabum, de Tribu Aaron Levítæ. Morabátur autem in Gálaad : quóniam Thesbis erant ædes Sacerdótibus consecrátæ, ac destinátæ. Quem cum eniterétur parens ejus, ejúsmodi Sabæ patri, vísio appáruit. Viri níveum quemdam præseferéntes hábitum, pusiónem salutábant, matrísque ubéribus in ignem alluébant, quin et flammam ignis cibi loco ministrábant. Proféctus est ítaque in Jerúsalem génitor, vísaque ad Sacerdótes rétulit. Respóndit autem illi Chrematísmus, hoc est Oráculum, sive Respónsor : Cave maniféstum fácias ; erit quippe lumen fílii hujus domicílium, sermóque ejus demonstrátio, hac senténtia brevis, et judicábit Israel cum igne, tum rhomphæa. Hic est ille Elías, qui ter ignem e cœlo dedúxit : quique imbrem sua lingua gestábit, mórtuos item suscitávit, et in cœlum dénique nimbo, seu túrbine ignis assúmptus est.

℟. Ait Abdías ad Elíam : cum recéssero a te, Spíritus Dómini asportábit te in locum, quem ego ignóro, et tu dicis : * Dic Dómino tuo : Adest Elías. ℣. Dixit Elías : Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparébo ei. Dic.

Ex Libro sancti Isidóri Epíscopi de vita et morte Sanctórum.

Lectio v.

ELIAS, qui interpretátur Dóminus Deus, Thesbítes, Sacérdos magnus, atque Prophéta, habitátor solitúdinis, fide plenus, devotióne summus, in labóribus fortis, indústria solers ; excellénti ingénio præditus, in exercitatióne disciplínæ rectus, in sancta meditatióne assíduus, metúque mortis intrépidus, verberávit Tyránnos, sacrílegos interfécit, multísque signis virtútum effúlsit. Triénnii siccitáte clausit ímbribus cœlum. Orávit rursum, et cœlum dedit plúvias. Mórtuum mulíeris fílium suscitávit. Cujus virtúte hydria farínæ non defécit, et vas ólei perpétuo fonte manávit. Cujus verbo super sacrifícium ignis de cœlo venit. Duos quinquagenários cum milítibus cœlésti igne combússit. Jordánem tránsiens, tactu melótis abrúpit aquas.

℟. Cum venísset Elías ad portam Civitátis, appáruit ei múlier vídua, cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei : * Da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam. ℣. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus dicens : affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Da.

Lectio vj.

POST hæc ígneo curru in cœlum raptus ascéndit, ventúrus, juxta Malachíam Prophétam, in fine mundi, præcessúrus Christum, nuntiatúrus últimum ejus advéntum cum magnis virtútibus, prodigiísque signórum, ita ut bellum gerat Antichrístus advérsus eum, et Henoch qui cum eo ventúrus est, et occídet eos. Cadávera vero eórum tribus diébus, et sex horis in platéis insepúlta jacébunt. Dehinc suscitáti a Dómino regnum Antichrísti plaga magna percútient. Post hæc véniet Dóminus, et interfíciet Antichrístum gládio oris sui ; et eos, qui adoravérunt eum, et regnábit Dóminus cum ómnibus Sanctis suis in ætérnum.

℟. Expándit se, atque mensus est Elías super púerum tribus

vícibus et clamávit ad Dóminum : * Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ. ℣. Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et. Glória Patri. Et.

## In tertio Nocturno.

Aña. Dixit Elías Prophétis Baal : Elígite vobis bovem unum et invocáte nómina deórum vestrórum : qui clamábant, et non erat qui respondéret. Ps. 14. Dómine, quis habitábit.

Aña. Cum jam tempus esset, ut offerrétur holocáustum, accédens Elías orávit ad Dóminum. Ps. 20. Dómine, in virtúte tua.

Aña. Oránte Elía cécidit ignis Dómini, et vorávit holocáustum, et ligna, et lápides, púlverem quoque, et aquam, quæ erat in aquædúctu lambes. Ps. 23. Dómini est terra.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 7.

In illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Hom.* 57. *in Matth. paulo post princip.*

Cujus autem rei grátia Móysen, et Elíam prodúxit ? Multas quidem dícere quis causas possit. Primum quóniam et turbæ, álii Elíam, álii Jeremíam, álii priscórum Prophetárum unum opinabántur idcírco Móysen, et Elíam cæterórum Prophetárum vértices prodúcit, et quam magnum sit inter servos et Dóminum discrímen potest quis óculis cérnere, utque recte laudátum créderent Petrum, qui fílium Dei eum conféssus est. Deínde quóniam assídue quasi transgressórem legis Judæi accusábant : et blasphemáre putábant, quasi glóriam Patris nihil ad eum pertinéntem vindicárent. Dicébant enim : Hic non est a Deo, quia Sábbatum non servat ; et rursus : de bono ópere non lapidámus te, sed cum sis homo Deum te facis ; ut ipsa re monstrarétur, quia ex invídia hæc criminabántur, quia neutri horum críminum subjicerétur nec legis prevaricátor esset, nec aliénam glóriam sibi acquíreret, æquálem se Patri faciéndo ; eos prodúxit in médium, quorum altéruter in altérutra istárum rerum præfúlsit, Móysi enim legem dedit ; quare non fuísset passus Móyses conculcári legem ut Judæi credébant : nec prævaricatórem ejus et legum latóri hostem lator ipse unquam coluísset, Elías autem pro glória Dei zelávit ; quare non assensísset ei, qui æquálem se Patri dicébat, si non esset, nec paruísset illi, qui sibi quod non habébat, vindicáret.

℟. Ait Elías núntiis Regis Samaríæ : nunquid non est Deus in Israel, ut eátis ad Beélzebub : Quámobrem hæc dicit Dóminus : * De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris. ℣. Revérsi núntii ad Ochozíam dixérunt : Vir occúrrit nobis dicens : Ite et revertímini ad Regem, et dicétis ei. De.

Lectio viij.

Ad hæc ómnia illud étiam póssumus dícere, ut tam mortis, quam vitæ habére potestátem líquido ac vere crederétur, utque supernórum et infernó-

rum Dóminus ostenderétur ; idcírco Móysen jam mórtuum et Elíam qui nondum id passus est, in médium prodúxit. Quartam vero causam Evangelísta quoque ipse tétigit. Quænam ígitur illa est? Ut crucis glóriam osténdat et tam Petrum, quam réliquos qui passiónem formidábant consolarétur et ad sublímius erígeret. Non enim tacébant, inquit, sed loquebántur de glória, quam completúrus erat in Jerúsalem, de cruce vidélicet, ac passióne : sic enim ipsam semper appellábat.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum : * Elisæus clamábat dicens : Pater mihi, pater mihi, currus Israel et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incidéntes sermocinaréntur : ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum. Elisæus. Glória Patri. Elisæus.

Lectio ix.

ACCEDIT ad hæc ómnia virtus quoque virórum singuláris, atque præcípua, quam máxime a discípulis flagitábat. Nam quóniam dixit, si quis vult post me veníre tollat crucem suam et sequátur me ; hac de causa eos qui cénties pro Dei præceptórum custódia et pópuli qui sibi créditus fúerat, mortem suscepíssent; in médium prodúcit, quorum utérque cum ánimam perdíderint, invenérunt eam. Atque sane magna libertáte advérsus tyránnos locúti sunt, alter advérsus Ægyptum, alter advérsus Achab, et quod magnum est pro ingrátis homínibus et inobediéntibus a quibus in atrócia perícula compúlsi sunt : qui etsi priváti, ac absque potestáte fúerant, propósitum tamen habuérunt ab idolórum cultu pópulum erípere : quorum alter tardus lingua et voce ténuis, alter étiam áliquo modo rustícior, et utérque sæculárium divitiárum appríme contemptóres. Nam neque Móyses quidquam possidébat, nec Elías præter melótem áliquid habébat : præsértim cum véteris essent Testaménti, nec tanta grátia signórum pollérent.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis ut in Dominica.

2. Factum est autem, cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías et Elisæus de Gálgalis.

3. Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas et divísæ sunt, et transiérunt ambo per siccum.

4. Cum Elías, et Elisæus pérgerent et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque.

5. Ascéndit Elías per túrbinem in cœlum : Elisæus autem vidébat et clamábat : Pater mi, currus Israel et auríga ejus.

Capitulum. *Eccli.* 48.

SURREXIT Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat, qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

TE magne rerum cónditor
Mens nostra gliscit láudibus,
In hoc Tesbíte máximo,
Quem díligit extóllere.
Hic namque sacri nóminis
Tui zelátor, próvocat
Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.

Illo precánte, víctimas
Absúmit ignis cœlitus :
Hi perstrepéntes ácriter,
Sunt ómnibus ludíbrio.
Tum Jezabélis ímpiæ
Vitans furórem nóxium
Sub junípero dórmiens
Adésse cernit Angelum.
Panem sibi qui próferens
Lymphámque, jussit pérgere
Cibo replétum strénue
Ad montis Horeb vérticem.
Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium :
Hac vi, dapes sunt præditæ,
Quas dextra Dei pórrigit.
Omnis tibi sit glória
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparáta Trínitas,
Quæ condidísti ómnia. Amen.

℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

Ad Benedictus, Aña.

Elías homo erat símilis nobis, passíbilis, et oratióne orávit ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursus orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Oratio.

PRÆSTA quæsumus omnípotens Deus, ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte ad cœléstia sublevémur, et Sanctórum tuórum consórtia gaudeámus. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capit. Surréxit Elías, ut supra.

℟. br. Verbo Dómini : *Contínuit cœlum. Verbo. ℣. Et dejécit de cœlo ignem ter. Contínuit. Glória Patri. Verbo. ℣. Tu ungis Reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ad Sextam.

Capitulum. *Eccli.* 48.

VERBO Dómini contínuit cœlum, et dejécit ignem ter : sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis.

℟. br. Tu ungis Reges * Ad pœniténtiam. Tu. ℣. Et Prophétas facis successóres post te. Ad. Glória Patri. Tu. ℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. In amicítia tua decoráti sunt.

Ad Nonam.

Capitulum. *Eccli.* 48.

TU sustulísti mórtuum de ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini.

℟. br. Beáti sunt * Qui te vidérunt. Beáti. ℣. Et in amicítia tua decoráti sunt. Qui. Glória Patri. Beáti. ℣. Elías in túrbine raptus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

In ij. Vesperis, omnia ut in primis præter sequentia.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Magnificat, Aña.

Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas Jordánis, quæ divísæ sunt in utrámque partem et transiérunt ipse, et Elisæus per siccum : et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXXI.

IN FESTO

# SS. CORDIS D. N. J. C.

Duplex ij. classis.

In j. Vesperis, Aṅæ.

1. De torrénte in via bibet : proptérea exaltábit caput. Ps. Dixit Dóminus, qui est primus Dñicæ ad Vesperas.

2. Miserátor Dóminus redemptiónem misit pópulo suo. Ps. Confitébor, qui est secundus ibid.

3. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio. Ps. De profúndis, qui est tertius Feriæ iv. ad Vesperas.

4. Super misericórdia tua, Dómine, confitébor tibi in toto corde meo. Ps. Confitébor... quóniam audísti, qui est primus Feriæ vj. ad Vesperas.

5. Suávis Dóminus univérsis, et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus. Ps. Exaltábo te, Deus, qui est secundus Sabbati ad Vesperas.

Capitulum de Laudibus.

Hymnus.

Quicumque certum quæritis
Rebus levámen ásperis :
Seu culpa mordet ánxia,
Seu pœna vos premit comes :

Jesu, qui, ut agnus ínnocens,
Sese immolándum trádidit,
Ad cor reclúsum vúlnere,
Ad mite cor accédite.

Audítis ut suavíssimis
Invítet omnes vócibus :
Veníte quos gravat labor,
Premítque pondus críminum.

Quid Corde Jesu mítius ?
Jesum cruci qui affíxerant
Excúsat, et Patrem rogat
Ne perdat ultor ímpios.

O Cor, volúptas Cœlitum,
Cor, fida spes mortálium,
En hisce tracti vócibus,
Ad te venímus súpplices.

Tu nostra terge vúlnera,
Ex te fluénte sánguine :
Tu da novum cor ómnibus,
Qui te geméntes ínvocant. Amen.

℣. Miserátor et miséricors Dóminus. ℟. Longánimis, et multum miséricors.

Ad Magnificat, Aña.

Misericórdia Dómini a progénie in progénies timéntibus eum, allelúia.

Oratio ut ad Laudes. Non fit com. Oct. Corp. Christi.

Ad Matutinum, Invitat. Cor Jesu charitátis víctimam, * Veníte adorémus. Ps. Veníte.

Hymnus. Quicúmque, ut supra.

In primo Nocturno.

Aña. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Psalmus 21.

Deus, Deus meus, réspice in me : quare me dereliquísti ? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies : * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti

sunt : * in te speravérunt, et non sunt confúsi.
Ego autem sum vermis, et non homo : * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.
Omnes vidéntes me derisérunt me : * locúti sunt lábiis et movérunt caput.
Sperávit in Dómino, erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.
Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero.
De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me.
Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.
Circumdedérunt me vítuli multi : * tauri pingues obsedérunt me.
Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.
Sicut aqua effúsus sum : * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.
Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.
Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis : * et in púlverem mortis deduxísti me.
Quóniam circumdedérunt me canes multi : * consílium malignántium obsédit me.
Fodérunt manus meas, et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.
Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.
Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me : * ad defensiónem meam cónspice.
Erue a frámea, Deus, ánimam meam : * et de manu canis únicam meam.
Salva me ex ore leónis : * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.
Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio Ecclésiæ laudábo te.
Qui timétis Dóminum, laudáte eum : * univérsum semen Jacob glorificáte eum.
Tímeat eum omne semen Israel : * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis :
Nec avértit fáciem suam a me : * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.
Apud te laus mea in Ecclésia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.
Edent páuperes et saturabúntur : et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in sæculum sæculi.
Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ.
Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium.
Quóniam Dómini est regnum : * et ipse dominábitur géntium.
Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ : * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.
Et ánima mea illi vivet ; * et semen meum sérviet ipsi.
Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : * et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.
**Aña.** Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.
**Aña.** Sperávit cor meum in Dómino, et adjútus sum : et reflóruit caro mea.

### Psalmus 27.

Ad te, Dómine, clamábo; Deus meus, ne síleas a me : * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis : * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus * déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus : * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus : * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea : * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ : * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hæreditáti tuæ : * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Aña. Sperávit cor meum in Dómino, et adjútus sum : et reflóruit caro mea

Aña. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, et circumdedísti me lætítia.

### Psalmus 29.

Exaltabo te, Dómine, quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus : * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me : * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Aña. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, et circumdedísti me lætítia.

℣. Ego autem in Dómino gaudébo. ℟. Et exultábo in Deo Jesu meo.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. *Cap. 1.*

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo. Sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in charitáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus. Proptérea non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestri fáciens in oratiónibus meis: ut Deus, Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ det vobis spíritum sapiéntiæ et revelatiónis in agnitióne ejus; illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, et quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in Sanctis.

℟. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo; * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum. ℣. Det nobis Dóminus illuminátos óculos cordis nostri, in agnitióne ejus. In.

Lectio ij. *Cap. 2.*

DEUS autem qui dives est in misericórdia, propter nímiam charitátem suam, qua diléxit nos, et cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo (cujus grátia estis salváti), et conresuscitávit, et consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu: ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium paríetem macériæ solvens, inimicítias in carne sua: legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetípso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longe fuístis: et pacem iis qui prope: quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

℟. Propter nímiam charitátem suam, qua diléxit nos Deus, osténdit abundántes divítias grátiæ suæ: * In bonitáte super nos in Christo Jesu. ℣. Ipse enim est pax nostra, per quem habémus accéssum ad Patrem. In.

Lectio iij. *Cap. 3. 14.*

HUJUS rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, ut det vobis, secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in charitáte radicáti et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

℟. Det nobis Dóminus virtúte corroborári per Spíritum ejus, in interiórem hóminem : *Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. ℣. Ut in charitáte radicáti, et fundáti, comprehendámus supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi. Christum. Glória Patri. Christum.

### In secundo Nocturno.

Aña. Gustáte, et vidéte, quóniam suávis est Dóminus : beátus vir, qui sperat in eo.

### Psalmus 33.

Benedicam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum ; * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Gustáte, et vidéte, quóniam suávis est Dóminus : beátus vir, qui sperat in eo.

Aña. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, inténde, próspere procéde et regna.

### Psalmus 44.

Eructavit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua

* inténde próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent : * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus, Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fílii Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui, * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, inténde, próspere procéde, et regna.

Aña. Judicábit pópulum in justítia, et páuperes in judício.

### Psalmus 71.

Deus judícium tuum regi da : * et justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis : * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes : * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum, et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi : * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet et dábitur ei de auro

Arábiæ, et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.
Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus: * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.
Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.
Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus :
Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum :* et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.
Aña. Judicábit pópulum in justítia, et páuperes in judício,
℣. Mihi autem adhærére Deo bonum est. ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam.
De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

### Lectio iv.

*Tract. de Passione Domini, cap. 3.*

Quia semel vénimus ad Cor dulcíssimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinámus nos fácile avélli ab eo, de quo scriptum est : Recedéntes a te in terra scribéntur. Quid autem accedéntes ? Tu ipse doces nos. Tu dixísti accedéntibus ad te : Gaudéte, quia nómina vestra scripta sunt in cœlo. Accedámus ergo ad te, et exultábimus, et lætábimur in te, mémores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucúndum habitáre in Corde hoc ! Quin pótius dabo ómnia, omnes cogitatiónes, et afféctus mentis commutábo, jactans omne cogitátum meum in cor Dómini Jesu, et sine fallácia illud me enútriet.
℟. Introdúxit me Rex in cellária sua : ordinávit in me charitátem. * Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. ℣. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Fulcíte.

### Lectio v.

Ad hoc templum, ad hæc Sancta sanctórum, ad hanc arcam Testaménti adorábo, et laudábo nomen Dómini dicens cum David : Invéni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invéni Cor regis, fratris et amíci benígni Jesu. Et numquid non adorábo ? Hoc ígitur Corde tuo, et meo, dulcíssime Jesu, invénto, orábo te Deum meum : admítte tantum in sacrárium exauditiónis tuæ preces meas ; imo me totum trahe in Cor tuum. O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me, ut purificátus per te, ad te puríssimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre, et ut vidére simul et fácere tuam váleam voluntátem.
℟. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris : et dicétis in illa die : * Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus. ℣. Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo. Confitémini.

### Lectio vj.

Ad hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis patéscat intróitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab exterióribus perturbatiónibus absolúti habitáre possímus. Nihilóminus et proptérea vulnerátum est, ut per vulnus visíbile, vulnus amóris invisíbile videámus. Quómodo hic ardor mélius osténdi potest, nisi quod non solum Corpus, verum étiam ipsum Cor láncea vulnerári permí-

sit? Carnále ergo vulnus, vulnus spirituále osténdit. Quis illud Cor tam vulnerátum non díligat? Quis tam amans non rédamet? Quis tam castum non amplectátur? Nos ígitur adhuc in córpore manéntes, quantum póssumus, amémus, redamémus, amplectámur vulnerátum nostrum, cujus ímpii agrícolæ fodérunt manus et pedes, latus et Cor: stemúsque, ut cor nostrum, durum adhuc et impœnitens, amóris sui vínculo constríngere, et jáculo vulneráre dignétur.

℟. Auferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum: * Et spíritum meum ponam in médio vestri. ℣. Effúndam super vos aquam vivam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris. Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Aña. Misericórdiam, et veritátem díligit Deus : grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Psalmus 83.

QUAM diléctа tabernácula tua, Dómine virtútum ! * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer ínvenit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice, Deus : * et réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Aña. Misericórdiam, et veritátem díligit Deus : grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Aña. Dóminus dabit benignitátem : loquétur pacem in plebem suam.

Psalmus 84.

BENEDIXISTI, Dómine, terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Aña. Dóminus dabit benignitátem : loquétur pacem in plebem suam.

Aña. Suávis et mitis es, Dómine, et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Psalmus 85.

Inclina, Dómine, aurem tuam, et exáudi me, * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis : * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam, * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus, miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo : et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Aña. Suávis et mitis es, Dómine, et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

℣. Misericórdia Dómini ab ætérno.

℟. Et usque in ætérnum super timéntes eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap. 15.*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

*De Verbis Domini in Cœna, Serm. 13.*

De dilectióne Dei quo plus bibo, plus sítio, et ea saturári non possum, nec ego, nec

áliquis díligens Christum. Ipsa quo plus éditur, plus famem exáuget: et quanto plus ipsa bíbitur, plus sitim inácuit : ipsam, quam inhábitat mentem, sic inébriat, ut nihil jam quærat vel díligat, nec dilígere possit, nec váleat, præter eum, qui sic mundum diléxit, ut Fílium suum unigénitum daret, ut omnis, qui credit, et díligit illum, non moriátur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectiónem auctor ipse inæstimábilis charitátis invítat : in ea nos manére precátur, et rogat. Ait enim : Manéte in dilectióne mea ; ac si apérte dicat : Quia ego ea dilectióne, qua me Pater díligit, vos díligo, eádem dilectióne me vos dilígere rogo. Et quóniam diléctio vestra me usque ad mortem perdúxit, sed neque mors crudelíssima ipsa a vestra charitáte me sejúnxit : me dilígite, et in mea dilectióne manéte.

℟. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos : * Manéte in dilectióne mea. ℣. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Manéte.

## Lectio viij.

SED quáliter in ejus dilectióne manére debeámus, séquitur, et dicit : Si præcépta mea servavéritis, manébitis in mea dilectióne, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc ópera, fratres mei, sunt causa dilectiónis Christi : unusquísque vestrum vídeat, si Dóminum Jesum dilígere débeat. Quid pro nobis fácere débuit, et non fecit ? quómodo nos plus amáre pótuit, et non amávit ? Majórem in nobis dilectiónem non pótuit habére, quam hábuit : quia ánimam suam in morte pro nobis pósuit. Ipsa beáta Véritas testis est, quod majórem charitátem nemo habet, quam ut ánimam suam ponat quis pro ámicis suis. Non ergo nobis viléscat, fratres mei, ipsa diléctio Christi, qui diléxit nos, et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo: non vobis viléscat, fratres mei, non vobis amaréscat ipse amor Christi, ipsa cháritas Christi.

℟. Christus pro nobis ánimam suam pósuit : * Et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo. ℣. Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Et. Glória Patri. Et.

## Lectio ix.

AMOR Christi totus dulcis, totus delectábilis : suum possessórem non crúciat, sed delèctat : non enérvat, sed róborat ; cuncta terréna subsánnat ; sola cœléstia captat : Christi mandáta requírit, et ea pro víribus observáre conténdit : et de observatióne præceptórum gressu felíci provéhitur ad perceptiónem gaudiórum, ut cum illo jam perfécte gáudeat, pro cujus desidério in hac valle lacrymárum pósitus, tam amáre frequénter suspirábat. Unde recte séquitur : Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur ; ac si díceret : Ideo præcípio vobis, et móneo vos mea observáre præcépta, et manére in dilectióne mea, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum de me adimpleátur : ut hábeam de vobis per mútuam charitátem, quam mihi impénditis, unde possim gaudére : et illud gáudium, quod in retributióne præmiórum elécti sunt perceptúri percípere, et possidére possítis. Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Díscite a me, * quia mitis sum, et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica.

2. Suávis est Dóminus, * et in ætérnum misericórdia ejus.

3. Sitívit in te * ánima mea ; quia mélior est misericórdia tua super vitas.

4. Sancti, et húmiles corde, benedícite Dómino : laudáte, et superexaltáte eum in sæcula.

5. Beneplácitum est * Dómino in pópulo suo : et exaltábit mansuétos in salútem.

Capitulum. *Cant. 3.*

EGREDÍMINI, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis ejus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

SUMMI Paréntis Fílio,
Patri futúri sæculi,
Pacis beátæ Príncipi,
Promámus ore cánticum.
Qui vulnerátus péctore
Amóris ictum pértulit,
Amóris urens ígnibus
Ipsum qui amántem díligunt.
Jesu, dolóris víctima,
Quis te innocéntem cómpulit,
Dura ut apértum láncea
Latus patéret vúlneri ?
O Fons amóris ínclyte !
O vena aquárum límpida !
O flamma adúrens crímina
O cordis ardens cháritas !
In corde, Jesu, júgiter
Recónde nos, ut úberi
Dono fruámur grátiæ,
Cœlíque tandem præmiis.
Semper Parénti, et Fílio
Sit laus, honor, sit glória,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Misericórdia Dómini ab ætérno. ℟. Et usque in ætérnum super timéntes eum.

Ad Benedictus, Aña.

Per víscera misericórdiæ suæ visitávit nos Deus, et fecit redemptiónem pópuli sui, allelúia.

Oratio.

FAC nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári : ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis.

Ad Primam, in ℟. br. ℣. Per quem salváti, et liberáti sumus.

Ad Tertiam, Aña.

Suávis est Dóminus.

Capitulum. Egredímini, ut supra.

℟. br. Misericórdia tua, Dómine, * Plena est terra. Misericórdia. ℣. Justificatiónes tuas doce me. Plena. Glória Patri. Misericórdia. ℣. Secúndum misericórdiam tuam vivífica me, Dómine. ℟. Et custódiam testimónia oris tui.

Ad Sextam, Aña.

Sitívit in te.

Capitulum. *Cant.* 8.

PONE me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum, super bráchium tuum ; quia fortis est ut mors diléctio.

℟. br. Secúndum misericórdiam tuam, * Vivífica me, Dómine. Secúndum. ℣. Et custódiam testimónia oris tui. Vivífica. Glória Patri. Secúndum. ℣. Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam. ℟. Et justificatiónes tuas doce me.

Ad Nonam, Aña.

Beneplácitum est.

Capitulum. *Psalm.* 68.

IMPROPERIUM expectávit cor meum, et misériam : et sustínui qui simul contristarétur, et

non fuit ; et qui consolarétur, et non invéni.

℟. br. Fac cum servo tuo, *Secúndum misericórdiam tuam. Fac. ℣. Et justificatiónes tuas doce me. Secúndum. Glória Patri. Fac. ℣. Véniat super me misericórdia tua, Dómine. ℟. Salutáre tuum, secúndum elóquium tuum.

In ij. Vesperis, omnia ut in j. præter sequentia.

℣. Misericórdia Dómini a progénie in progénies. ℟. Timéntibus eum.

Ad Magnificat, Aña. Suscépit nos Dóminus in sinum et cor suum, recordátus misericórdiæ suæ, allelúia.

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXIX.

9

## DIE VII. JULII.

IN FESTO

# S. LAURENTII A BRUNDUSIO, CONFESSORIS.

Duplex. m. t. v.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui ad árdua quæque pro nóminis tui glória, et animárum salúte beáto Lauréntio Confessóri tuo spíritum consílii et fortitúdinis contulísti : da nobis in eódem spíritu et agénda cognóscere, et cógnita ejus intercessióne perfícere. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BRUNDUSII, urbe regni Neapolitáni celebérrima, piis et honéstis paréntibus natus est Lauréntius. Jam inde a pueritia certíssima futúræ sanctitátis, et apostólici, quo máxime præstitit, zeli documénta édidit. A puerílibus nugis aliénus, uni Deo vacáre cœpit, et verba fácere ad circumfúsam multitúdinem, cunctis Dei poténtiam, qui linguas infántium facit disértas, admirántibus. Sub idem tempus se totum abstinéntiæ, et córporis afflictatióni dedit. Seráphicum Capuccinórum órdinem ingréssus, et Vénetæ provínciæ adscríptus, multo magis in domo Dei sanctitáte profécit. Humilitáte, obediéntia, oratiónis stúdio, regulári observántia, ómnibus antecélluit. Exácto tyrocínio, sacris lítteris óperam dedit, quo instrúctior ad apostólicum munus eváderet. Quod erat singulári ingénio et memória præditus non modo philosóphicas et theológicas facultátes, sed linguas étiam Græcam, Hebráicam, Chaldáicam, Germánicam, Gállicam, Hispánicam dídicit ; et quidem ita, ut, cum se dabat occásio, his linguis concionári posset. Hebráica vero lingua ad Hebræos ipsos concionátus est tanta ejus linguæ perítia, quantam non habére se ipsi auditóres conféssi sunt. Quæ res prodígio símilis causa fuit, cur opínio inva lúerit, a Deo, quod de Apóstolis tráditur, linguárum ei donum fuísse concéssum. Neque vero hoc solum, sed réliqua étiam charísmata, ut evéntus dócuit, quæ illis, quos ad magna suscipiénda et agénda pro nóminis sui glória elégit, impertíri solet.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

SACERDOS consecrátus, tum vero máxime ejus fervor erúpit, et se totum procurándæ modis ómnibus animárum salúti devóvit. Non curis, non sudóribus, non vigíliis, non vitæ ipsi, quam sæpe in discrímen addúxit, pepércit. Vicos, castélla, urbes, agros obívit. In aulas

príncipum, in Hebræórum et Hæreticórum convéntus pervásit. Totam fere Európam, Itáliam, Germániam, Hungáriam, Hispániam, Lusitániam, ómnibus benefaciéndo, et viam salútis ætérnæ commonstrándo, peragrávit. Omne hóminum genus compléxus est, Cathólicos, Hæréticos, Hebræos, nóbiles populáres, mílites, ómnibus ómnia factus, ut omnes Christo lucrifáceret. Plúribus pro religióne cathólica ad reges ac príncipes legatiónibus functus est. Nullam dénique demandáti sibi apostólici múneris partem omísit: numquam cessávit, nusquam quiévit. Quo autem fructu, dici non potest. Innumerábiles peccatóres ad pœniténtiam convértit; hæréticos ad ejuránda falsa dógmata adégit; Hebræos confutávit; perditíssimas mulíeres e vitiórum cœno edúxit; discórdias compósuit; ódia exstínxit; nihil non ad Dei glóriam, cathólicæ religiónis increméntum, et salútem animárum suscépit, effecítque, Deo ipso opitulánte et sermónem confirmánte, sequéntibus signis. Inter quæ celebérrima memorátur victória de potentíssimo Turcárum exércitu, præter omnem spem, imo vero desperántibus dúcibus, servo Dei præeúnte, et felícem belli éxitum annuntiánte, in Hungária a nostris reportáta.

℟ Amávit eum.

Lectio vj.

In hoc tam indeféssso divínæ glóriæ amplificándæ, et proximórum urgéndæ salútis stúdio sibi ipse non défuit: virtútibus ómnibus in gradu heróico emínuit; unde vis illa incredíbilis ad aliórum salútem erúpit. Has ob virtútes, et réliquas ánimi dotes, consílii præsértim ac prudéntiæ, præter óbitas minóres præfectúras in provínciis Hetrúsca, Véneta et Januénsi suprémo totíus órdinis régimini præfici méruit. Charitáte in Deum fuit ardentíssima. Erga Christi Dómini passiónem sic afficiebátur, ut in ea cogitatióne defíxus fletum continére non posset. Insígnis cultor fuit Deíparæ Vírginis Maríæ, cui singuláre illud linguárum donum referébat accéptum. Oratióni appríme déditus, quod a réliquis occupatiónibus superérat tempus, totum ei impendébat. In écstasim sæpe raptus divína patiebátur. Passim offéndi Deum ferébat ægérrime, et religiónis cathólicæ detriméntis angebátur plúrimum. Unum Deum, unam charitátem, unam animárum salútem cogitáre, loqui, spiráre videbátur. Prophetíæ dono enítuit, córdium íntima penetrávit, plura et loco et témpore remotíssima prædíxit, miráculis étiam et prodígiis insígniter cláruit. Propter exímiam sanctitátem Summis Pontifícibus acceptíssimus fuit, et fere ómnium Európæ princípum grátia flóruit. Demum orátor a Neapolitánis ad Philíppum tértium, qui tunc in Lusitánia morabátur, missus, in obeúnda legatióne attrítus labóribus, in morbo íncidit, ex itínere contráctum: quo patientíssime toleráto sacraméntis ómnibus summa devotióne sus-

céptis, prænuntiáto mortis die, cúpiens dissólvi, et esse cum Christo, Ulyssipóne discéssit e vita, die vigésima secúnda Júlii, anno millésimo sexcentésimo décimo nono. Quam pretiósa fúerit in conspéctu Dómini ejus mors, patráta non multo post mirácula declarárunt. Quibus rite probátis, Pius Sextus Póntifex Máximus beatórum número et dein Leo Décimus tértius die octávo Decémbris anni millésimi octingentésimi octogésimi primi sanctórum albo eum solémniter adscrípsit.
℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 9.

In illo témpore : Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et réliqua.

Homilía sancti Bonaventúræ Epíscopi.

*Exposit. in Cap.* 9. *Luc.*

Apostoli ídeo nomináti sunt, ut eórum commendarétur auctóritas. Apóstolus enim missus interpretátur; missi autem fúerant ad prædicándum, secúndum illud : Non misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre. Fuérunt ad prædicándum missi, non rem parvam, sed magnam, scílicet regnum Dei, per quod potest intélligi doctrína veritátis, juxta illud : Auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. Potest étiam dici grátia Spíritus sancti, secúndum illud : Non est regnum Dei esca et potus, sed justítia, et pax, et gáudium in Spíritu sancto; et infra : Ecce regnum Dei intra vos est. Potest étiam dici glória ætérna, juxta illud : Amen dico vobis, nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei.
℟. Iste est.

Lectio viij.

Omnibus his modis Apóstoli sunt missi prædicáre regnum Dei, scílicet veram doctrínam, divínam grátiam, et ætérnam glóriam. Et quia propter auctoritátem prædicatiónis concésserat potestátem curatiónis, ídeo subdit : Et sanáre infírmos; scílicet misit ad confirmatiónem veritátis prædicáre secúndum illud : Illi autem profécti, prædicavérunt ubíque Dómino cooperánte, et sermónem confirmánte sequéntibus signis. Unde signum missiónis spirituális ad prædicándum est sanátio audiéntium a morbis vitiórum.
℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Tria autem sunt signa evidéntia, quibus probátur utrum prædicátor a Dómino sit missus ad Evangélium prædicándum. Primum est auctóritas mitténtis, cujúsmodi est Pontíficis et máxime Pontíficis summi, qui est loco Petri, imo Jesu Christi : unde qui ab eo míttitur, a Christo míttitur. Secúndum est zelus animárum in persóna, quæ míttitur, quando scílicet, principáliter quærit Dei honórem, et animárum salútem. Tértium est fructificátio, et convérsio auditórum. Per primum sunt

núntii Patris, per secúndum Fílii, per tértium Spíritus sancti. De primo : Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii. De secúndo : Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum. De tértio : Pósui vos, ut eátis, fructum afferátis, et fructus ster máneat. Et qui sic míttit potest dícere illud : Spíri Dómini super me, eo quod xerit me.

Te Deum laudámus.

Imprimatur.

Mechliniæ, 22 Decembris 1882.

VICTOR AUGUSTUS CARD. DECHAMP.
ARCH. MECHLIN.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXXII.

DIE 15. JANUARII

IN FESTO

# B. FRANCISCI DE CAPILLAS

MARTYRIS.

Officium. Ps. 63. Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde. ℣. Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáti Mártyris tui Francísci fidem mirábili constántia roborásti: concéde propítius Ecclésiae tuae; ut ejus précibus adjúta, novos ubique fidei triúmphos celebráre mereátur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 14. et 15.

Beátus vir, qui in sapiéntia morábitur, et qui in justítia sua meditábitur, et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. Cibábit illum pane vitae et intelléctus, et aqua sapiéntiae salutáris potábit illum: Et firmábitur in illo, et non flectétur: et continébit illum, et non confundétur: et exaltábit illum apud próximos suos. Et nómine aetérno hereditábit illum, Dóminus Deus noster.

℟. Ps. 20. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 63. Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

Infra Septuag. Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiae in domo ejus: et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: Et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Deus, qui verae caritátis officiis beátum Franciscum ad hanc salutárem Hóstiam offeréndam se dispónere docuísti : praesta, quaesumus; ut pari caritátis ardóre ad sacra mystéria accedéntes, eórum fructum copiósius percipiámus. Per Dóminum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat cruc suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Fran cum, sacra mystéria c brántem, supérnis delíciis flúere voluísti : ipsíus no intervéntu concéde; ut an lórum pane refécti, terréna spícere, et advérsa ómnia 1 titer superáre discámus. I Dóminum.

Imprimatur. — Mechliniae, die 6 Octobris 1909.

E. VAN ROYE, Vic. Gen.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN.

DIE 12. DECEMBRIS.

IN FESTO

# B. M. V. DE GUADALUPE.

*Introitus.*

Salve, sancta Parens, enixa puérpera regem, qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum. *Ps.* 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

*Oratio.*

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos, perpétuis benefíciis nos cumulári voluísti : præsta supplícibus tuis ; ut cujus hódie commemoratióne lætámur in terris, ejus conspéctu perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

*Et fit commemoratio Feriæ.*

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : Spíritus enim meus super mel dulcis et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient, et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

*Graduale. Cant.* 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol ? ℣. *Eccli.* 30. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis.

Allelúia, allelúia. ℣. *Cant.* 2. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit, allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc.* 1.

In illo témpore : Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda : et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus : et repléta est Spíritu sancto Elísabeth : et exclamávit voce magna, et dixit : Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me ? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum : et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

*Et dicitur* Credo.

*Offertorium.* 2. *Paralip.* 6. Elégi, et sanctificávi locum istum, ut sit ibi nomen meum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

*Secreta.*

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuum

atque præséntem hæc oblátio nobis proficiat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

*Et fit commemoratio Feriæ.*

*Præfatio.* Et in Festivitáte.

*Communio. Ps.* 147. Non fecit táliter omni natióni : et judícia sua non manifestávit eis.

*Postcommunio.*

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis, da, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dñum.

*Et fit commem. Feriæ.*

DIE 4. JULII.

## BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

# REFUGII PECCATORUM

*Missa.* Salve sancta Parens, *ut in votiva a Pentecoste usque ad Adventum.*

*Oratio.*

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

*Dicitur* Credo, *et in Præfatione B. M. V. dicitur* Et te in festivitáte.

Imprimatur. — Mechliniæ, die 12 Maji 1911.

E. VAN ROEY, Vic. Gen.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN.

DIE 28. VEL 29. FEBRUARII.

IN FESTO

# B. M. V. DE BETHLEHEM.

*Introitus.*

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, de cujus Maternitáte gaudent Angeli, et collaudant Fílium Dei. *Ps.* 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

*Oratio.*

Deus, qui pro nobis ex intácto beátæ Maríæ Vírginis útero Béthlehem nasci voluísti : tríbue, quæsumus ; ut ad percipiéndum reparatiónis nostræ fructum, Genitrícis tuæ méritis ac précibus adjuvémur. Qui vivis et regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Cant.* 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter filios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles ; símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum : en ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit ; vox túrturis audita est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

*Graduale.* Benedícta et venerábilis es, Virgo María : quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera, factus homo.

Allelúia, allelúia. ℣. Post partum Virgo, invioláta permansísti : Dei Génitrix, intercéde pro nobis. Allelúia.

*Post Septuagesimam, omissis* Allelúia, *et versu seq. dicitur.*

*Tractus.* Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti : ℣. Dum Virgo Deum et hóminem genuísti : et post partum, Virgo, invioláta permansísti : ℣. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

*Temp. Pasch.* Allelúia, allelúia. ℣. Felix es namque, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : quia ex te ortus est Sol justítiæ,

Christus Deus noster. Allelúia. ℣. *Num.* 17. Virga Jesse flóruit : Virgo Deum et hóminem génuit : pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *c.* 2.

In illo témpore : Pastóres loquebántur ad ínvicem ; Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes, et invenérunt Maríam, et Joseph, et infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem cognovérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes, qui audiérunt miráti sunt : et de his, quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes, et laudántes Deum in ómnibus quæ audíerant, et víderant, sicut dictum est ad illos.

Credo.

*Offertorium.* Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

*Secreta.*

Dómine Jesu, qui Béthlehem, quæ domus panis interpretátur, ex beáta Vírgine nascens, te animárum panem futúrum præsignásti : da, ut hæc sacra mystéria digne nos celebrántes, ad cœléstia tandem récipi convívia mereámur. Qui vivis.

*Præfatio.* Et te in maternitáte.

*Communio.* Regína mundi, digníssima María, Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium.

*Postcommunio.*

Tuis sacraméntis purificátos, et beatíssimæ Matris tuæ protectióne munítos, ad ætérnam renásci vitam concéde, Dómine Deus noster : qui mirábili charitátis dispensatióne nascens in terris, Béthlehem primum consecrásti. Qui vivis et regnas.

DIE 26. NOVEMBRIS.

## S. CHRISTOPHORI, MARTYRIS.

*Missa.* In virtúte tua. *de Communi unius Martyris.*

*Oratio.*

Deus Mártyrum tuórum glória et coróna, concéde, quæsumus : ut qui beáti Christóphori Mártyris tui gloriósum agónem, et mortem pretiósam cólimus ; ejus méritis et intercessióne ab ómnibus malis liberári mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Imprimatur. — Mechliniæ, die 12 Maji 1911.

E. VAN ROEY, Vic. Gen.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN.